Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/platonisphilosop12plat

The Institute of Mediaeval Studies
Library
Toronto, Ontario

DIALOGORUM

PLATONIS

ARGUMENTA

EXPOSITA ET ILLUSTRATA

A

DIET. TIEDEMANN

PHILOSOPHIAE PROFESSORE P. O.

IN ACADEMIA MARBURGENSI

BIPONTI

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS

CIↃIↃCCLXXXVI

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA

MAR 31 1932

4855

PRAEFATIO.

MULTA reperiri in Platone, quae morentur lectorem, eorum, qui paulo curiosius egregium inspexerunt philosophum, fugit neminem. Desunt praeterea, qui lucem affundant obscuris philosophi locis. Marsilius namque Ficinus, in argumentis dialogorum sat prolixis, parum affert adiumenti; relicto Platone, Alexandrinorum, & Cabbalistarum, data quavis occasione, somnia potius quam interpretationes sequens, & alieniſſima a mente auctoris afferens, ut, qui eius legerit argumenta, tenebris oppressus a Platone discedat. Serranus autem, etsi a nugis sibi temperet magis, recentiorum tamen Platonicorum effugere laqueos non potuit: praeterea, quam debebat, in explananda conclusionum vi, operam non impendit. Quae obstacula cum deterrere multos a legendo Platone, philosopho lectu tamen dignissimo, ex quo multae ad nostram usque aetatem vigentes, aut in lucem denuo protractae, manarunt opiniones, quique plurimum iuvit philosophiam, animadverterit C. G. Heyne V. Cl. multis mihi nominibus semper colendus; ut commentario brevi illustrarem Platonem, auctor mihi fuit.

Suſcepta igitur provincia, qua ratione optime ſatisfacere deſiderio Viri de literis antiquioribus optime meriti, coepi cogitare: hunc enim unicum mihi ob oculos ponebam iudicem; ratus, ſi ei placeret quem meditabar libellus, fore, ut ab omnibus reliquis probaretur eruditis. Haec animo volventi, ad quatuor praecipue capita redire, quae morantur lectorem Platonis, quibuſque erat affundenda lux, ſuccurrit. Sunt enim primo loco voces ab uſu vulgari paulo longius in ſenſum philoſophicum & abſtruſiorem detortae, ibi obviae. Cum enim de rebus in vita communi haud occurrentibus diſputandum ſit ſaepe philoſopho, nec habeat tamen, quo utatur, ſermonem alium, praeter vulgarem: diſcedere ab uſu loquendi, novaſque vocabulis ſubiicere notiones cogitur. His vocabulis quinam ſubſit ſenſus, indicare quam potui pauciſſimis ſtudui: in his enim eſſe prolixum, tum ſeculi genius, a nimia eruditionis profuſione averſus, tum moles libri, qua deterreantur lectores, ſatis vetabat.

Solet porro philoſophorum aliorum opiniones tangere, reprehendendi maxime cauſa, Plato: quas, cum omnibus eſſent ea tempeſtate notae, haud ſatis explanat. Haec igitur ex philoſophiae hiſtoria luce erant uberiori colluſtranda: licuit tamen mihi, & in his eſſe breviorem. Pleraque philoſophiae hiſtoriam callentibus ſatis ſunt nota, unde diſſertatione ampliori poſſe me putavi ſuperſedere: quin & lectores teſtium & auctoritatum nubem hic quaeſituros non exiſtimavi; quam

apud Bruckerum, si libuerit quaerere, videbunt excitatam.

In scribendis dialogis imitari naturam sibi proposuerat Plato, idque tanta cum laude est assecutus, ut inter optimos dialogorum scriptores constans omnium aetatum iudicium eum collocarit. Relinquendum igitur sibi demonstrationum ordinem, & enuntiationum, quam praescribit ars logica, seriem, censens, a proposito haud raro digreditur, aut, ut diluat quae obiiciuntur, demonstrationis filum abrumpit; quin fabulam saepe, aut allegoriam interserit, ne nimia rerum abstrusiorum copia nauseam creet. Quo ipso fit saepe, ut obscurum sit, an & ubi redeat in viam; & quidnam sibi proposuerit demonstrare, ex animo legentium deleatur. His mederi succincta conclusionum expositione, omissis, quae ad delectationem modo faciunt, quae transposita sunt, suo loco redditis, studui.

Quam sit difficile loqui adeo accurate, ut nulla subsit ambiguitas, nihil, quod varias ferat interpretationes, documento sunt contractus, testamenta, foedera: idem multis etiam philosophia exemplis testatur. Nulla enim fere est definitio, quae obscuri aliquid & ambigui non secum afferat: quo factum etiam est, ut eandem rem aliter alii semper fere definierint. Nec fieri hoc per rerum naturam aliter potest: notiones enim adeo sunt inter se affines, ut discerni accurate vix queant; vocabulorum significationes, praeter obscuritatem, tanta laborant inconstantia, tanta varie-

B
353
1781

tate, ut omnem vitare ambiguitatem vix quisquam mortalium possit. His accedit, qui omnium hac in re est errorum fons, notionum ipsarum confusio, ex ipsa earum origine manans. Omnes a rebus sensu, seu interno, seu externo, perceptis oriuntur notiones: quo fit, ut imago quaedam confusa semper iis adhaereat, earumque partes & elementa distincta non percipiantur. Hoc in omni philosophia est difficillimum, in sua quamvis notionem elementa resolvere, ut, quaenam ei insint ideae simplices & primae, intelligatur accurate; hoc definiendo assequi studuerunt omnis aevi philosophi; hoc, quamdiu vera notionum ignorabatur origo, & idearum elementa, assequi ratione certa non potuerunt. Originem hinc traxit malum aliud haud minus grave: philosophi namque, notionibus carentes omnibus numeris absolutis, ambigue cogebantur loqui, multisque uti enuntiationibus ex parte tantum veris, & quibus quisnam subesset sensus, accurate nec ipsi intelligebant, nec definire posteri poterant. Multa sunt in Platone huius rei documenta; eaque philosophis serioribus, Alexandrinis praecipue, amplam de sensu magistri disputandi praebuerunt ansam. Accedebat, quod hi alienam a mente Platonis ingredientes philosophandi rationem, trahere eum in partes, eiusque auctoritate suas stabilire nitebantur opiniones. Hinc factum, ut multa ab his affingerentur Platoni, quae in mentem ei non venerant, aut quae sensisse eum, etsi per verba possit fieri, certis argumentis nequeat de-

monſtrari. In his declarandis, genuinam Platonis ſententiam a ſpuria diſcernenda, quae dubia ſunt a certis diſtinguendis, plurimam mihi eſſe collocandam operam iudicavi; idque eo magis, quo plus horum hominum valuit auctoritas, effecitque, ut, qualem hi finxerunt Platonem, talem fuiſſe ſoleamus iudicare.

Haec ſunt, quae in enarrando Platone exiſtimavi ſequenda. Superſunt alia, quae pertinent eo, ut cum fructu & iudicio legi a noſtris hominibus philoſophus, tot abhinc ſeculis florens, poſſit. In legendo philoſopho ni adhibeas iudicium, enuntiationes ſingulas, verae ſint an falſae, excutias, in concluſionum indolem inquiras; eruditionis quidem aliquid, intelligentiae parum aut nihil inde lucrabere. Quam in legendis philoſophorum libris rationem iniit I. I. Rouſſeau, ut, ſemoto iudicio omni, quam quiſque ſecutus eſt philoſophandi viam perdiſceret, deinde comparatis inter ſe ſingulorum opinionibus, quid ſequendum ſibi eſſet, ſtatueret, eam haud equidem iudico probandam. Multa enim neceſſe eſt ſua ſponte in animum ſeſe inſinuare, quae examini ſeveriori fuiſſent ſubiicienda; multa, quod initio diſplicuerant, aut a ſenſu communi nimium videbantur abhorrere, ſine ratione idonea reſpui. Cui rei documento eſt ipſe conſilii huiuſce auctor, vir cetera acutiſſimus, & futurus maior, ſi aliam philoſophandi methodum fuiſſet ſecutus: notiones eius plurimae, praeſertim metaphyſicae, obſcurae ſunt & confuſae, nec quidquam fere apud

eum reperias accurate & e legibus methodi concluſum. De opinionibus itaque Platonis quid iudicem, brevibus mihi putavi indicandum, ut, licet perperam ipſe de iis forte exiſtimem, aliis tamen exiſtimandi rectius anſam darem.

Haud parvi porro refert, quae a philoſopho docentur, ipſe invenerit, an aliunde hauſerit, noſſe. Qui poëtas commentariis ornant, haud parum inde laudis referunt, ſi poëticarum elegantiarum, ac fictionum fontes aperiant, &, quid quiſque invenerit, quid imitando aliunde derivarit, quam poſſunt accuratiſſime, doceant: neque enim aliter ſtatui unicuique poëtae pretium ulla ratione poteſt. Eodem modo in interpretando philoſopho verſandum etiam mihi exiſtimavi; & quoad fieri eius poteſt, quid ab aliis acceperit, quid primus dixerit Plato, definiendum. Qua in re, cum plurima eaque praeſtantiſſima antiquioris philoſophiae perierint monumenta, ſequi probabilia, & coniectando magis, quam accurate docendo multa definire, ipſa me rei natura coëgit. Si quid ibi eſt a me erratum, id ne invidiae poſſit tribui, ſatis mihi videor caviſſe; hanc maxime ſecutus normam, ut, quae apud antiquiores non meminerim me legere, Platoni tribuerem auctori: id quod ingenii eius magnitudini, & famae per omnem aetatem celebritati, iure meritoque putabam deberi.

Multa ex Platone hauſerunt philoſophi ſeriores: multa ad Platonem auctorem perperam referuntur; multa denique Platone antiquiora haud

optimo iure exiſtimantur. Haec ſilentio praeterire, ab officio boni interpretis iudicabam alienum. Dedi igitur operam, ut, quoad fieri per eruditionem meam, haud ſane magnam, poterat, aut memoriae imbecillitas patiebatur, quae a philoſophis celeberrimis ex Platone ſunt hauſta, aut quorum materiem iis Plato ſubminiſtravit, anſamque emendandi, augendi, accuratiuſque definiendi dedit, lectori indicarem; nonnunquam etiam, quae augeri, & expoliri adhuc poſſe videbantur, neglecta hucuſque a philoſophis, monerem. In diſciplinas politicas quo minus tantam conferrem operam ac induſtriam, quantam & ipſarum dignitas, & mea poſtulabat diſcendi cupiditas, multa mihi obſtaculo fuere, praecipue tamen, quod philoſophia, quam vocant, theoretica, invitum fere ac reluctantem me ſemper retinuit; nec relinqui ſe, priuſquam pro ingenii modulo perluſtraſſem omnem, in omneſque receſſus penetraſſem, eſt paſſa. Quaecunque ergo politicis praecepta traduntur a Platone, non ſicco quidem pede tranſii, ſed parcius tamen attigi; idque aequum mihi lectorem facile ſpero condonaturum, quin &, ſi alia inſuper in his deſiderabit.

De rerum e Deo emanatione, de mundo quodam ſolo intellectu percipiendo, de mentis acceſſu ad divina & Deum, de daemonibus denique ſaepius Plato differit. Quae cum antiquiora partim exiſtimentur Platone, partim alio longe ſenſu a Platonicis recentioribus & theoſophis accipiantur, quam quo intelligebantur a Platone: pluri-

bus existimavi discutienda, & causas harum opinionum, quatenus latent in Platone, aperiendas. Quod secundo ac tertio post Christum natum seculo, immo & sub ipsam eius nativitatem accidit, ut ab enthusiasmi verticibus abrepti, in superstitiones quascunque ruerent homines, idem nostra aetate videmus evenire. Cui rei si quae medicina adhuc potest afferri: boni viri & philosophi, verum aut probabile saltem sequentis est, omnibus viribus ei resistere, nec pessundari prorsus rationem humanam pati. Causas itaque huius erroris, quatenus ingenii sinebat imbecillitas, explicavi: saepe enim cognita mali causa, mali est medicina.

DIALOGORUM
PLATONIS
ARGUMENTA

DIALOGORUM PLATONIS ARGUMENTA.

EUTHYPHRO.

PROPOSITUM in hoc dialogo videtur esse Platoni, falsas vulgi non solum, sed sacerdotum etiam, eorumque, qui optime versati in rebus divinis putabantur, de eo, quod gratum est Diis, deque hominum erga Deum officiis, & Dei natura notiones reprehendere: non substitutis tamen in earum locum, quod periculo forte non caruisset, melioribus. Ideo Euthyphronem vatem inducit cum Socrate disputantem de sanctitate, & ignorare eius sese naturam turpiter tandem fatentem. Mercenarium, homicidii reum in carcerem condiderat Euthyphronis pater, ibique perire fame ac frigore erat passus. hanc ob causam filius patrem cum accusasset, a propinquis, impie eum facere existimantibus, (neque enim per iura divina filio licere diem patri dicere) vehementer reprehendebatur; recte tamen sese facere persuasus, a Socrate, quaenam sit natura ac definitio eius, quod iura nobis divina permittunt, id est, sanctitatis, interrogatur. Respondet Euthyphro, sanctum esse, quod ipse nunc agat; Iovem enim omnium iustissimum in vincula patrem

conieciſſe, ob devoratam ab eo ſobolem: proinde homines in vituperando ſe, pugnantia ſecum ſentire. Quo arrepto Socrates, ferre hoc ipſum, inquit, ſe quoque non poſſe, & a Melito accuſari ideo, quod cupiat, homines ſibi conſentanea, & Diis digna, de Diis exiſtimare: ſcire tamen cupere, an quaecunque de Diis fabulae tradunt, vera Euthyphro iudicet? Fatetur ille, omnia haec vera ſibi videri. Socrates contra, ut, quam ſint abſurdae vulgi opiniones, demonſtret, ipſa ſanctitatis utitur definitione, quam expediri, his poſitis, nulla poſſe ratione probat. Quod ſi enim dicamus, quod Diis gratum eſt, iuri divino eſſe conſentaneum; nobiſcum pugnabimus ipſi: Dii enim cum inter ſe diſſideant, odia, bella, ſecundum fabulas exerceant; cum porro iuſtum, iniuſtum, honeſtum, turpe, omnium ſint inimicitiarum cauſae, eademque adeo a Diis amentur, & odio habeantur: neceſſe eſt, eadem Diis grata eſſe & ingrata. Sin dicamus ſanctum eſſe, quod Dii omnes amant; fatendum nobis erit, ſanctum amari a Diis, quia ſanctum eſt; non eſſe ſanctum, quia amatur; adeoque non ipſam eius naturam, ſed accidens potius, hac definitione declarari. Quod ſi denique dicamus, ſanctitatem pertinere ad iuſtitiam, ut quodcunque ſanctum eſt, ſit etiam iuſtum; non autem vice verſa, quodcunque iuſtum etiam ſanctum: definiendum nobis erit, quam iuſtitiae partem ſanctitati exiſtimemus aſſignandam: idque ſi expediamus ita, ut eam iuſtitiae partem, quae pertinet ad curam Deorum, vocemus ſanctitatem; in multos nos laqueos induemus. Qui enim curam rei alicuius gerunt, profunt ſimul ei. iam Diis nos prodeſſe, fas non eſt exiſtimare. Nec eam licet intelligere Deorum curam, ſeu cultum, quem dominis exhibent ſervi, ut a dominis boni quid conſequantur: rediret enim ſic ſanctitas ad mercaturam, qua nos votis & ſacrificiis quidquam a Diis mercedis inſtar acciperemus; & in id inſuper abſurdum incideremus, quod, quaenam ad Deos e cultu noſtro redundet utilitas, dicere non eſſemus habituri. Id ſi effugere nitimur, redeundum iterum erit, unde depulſi ſumus, ut ſanctum definia-

mus, quod a Diis amatur. His auditis Euthyphro, non esse sibi amplius disputandi de his spatium causatus, discedit. Subtilissime simul & accuratissime de sanctitate, seu fonte nostrorum erga Deum officiorum disputat. quae res quam sit abstrusa, patet vel inde, quod nostra vix demum aetate vera, ob quam coli a nobis vult Deus, causa est patefacta. Qua de re cum apud antiquiores nihil me legere meminerim; tribuere haec Platoni auctori non dubito. Intelligitur simul hinc, quantopere philosophorum studia verae profuerint religioni, & emendandis absonis rudium hominum de rebus divinis notionibus.

APOLOGIA SOCRATIS.

DEFUNCTO Socrate, memoriam eius culturus, simulque ab omnibus, quas adsperserant ei inimici, maculis purgaturus discipulus pius, orationem hanc scripsit, qualem habere Socrates potuisset, quaeque personam eius & vitam maxime deceret. Missis itaque omnibus verborum lenociniis, & oratorum blandimentis, eodem fere modo Socratem facit loquentem, quo disputare cum discipulis, & verum defendere semper solebat. Primam accusationis partem, qua de Diis & rebus divinis nimium curiose disputare arguebatur, diluit ita, ut neget, haec sibi curae unquam fuisse, inclaruisse tamen sapientiae cuiusdam humanae beneficio, quam, quaerente quodam amico, Delphicum sibi oraculum tribuisset: cuius oraculi sensum ut perciperet, sciretque qualis esset, quam Deus suam intelligeret sapientiam, aggressum se omnes, qui habebantur sapientes, ac disputando cum iis in ruborem eos dedisse; quo ipso hanc esse suam sapientiam intellexisset, quod nihil sciret, simul tamen plurimorum sibi invidiam conflasset: eamque solam esse, cur in iudicium nunc sit vocatus, causam. Inimicos

enim ſuos, cum aliud non habeant, ad locum quendam communem confugere, quaeque opinio vulgi reprehendit in philoſophis, ſublimia eos ſcrutari, Deos negare, ſibi obiicere. Apparet hinc, eandem ſemper de philoſophis vulgi fuiſſe perſuaſionem, idque quare accidat, adeo facile intelligitur, ut omni ſupersedere queam explicatione. Alterum, quo corrumpere iuventutem accuſabatur, pluribus modis evertit. Lubentem ſe, inquit, non corrumpere iuvenes: eſſe enim hoc inſani, cum nemo lubens amicis & familiaribus male faciat. ſin vero invitum ſe dicat accuſator id facere, docendum ab eo eſſe, non in ius vocandum. Neſcire porro, quid ſibi velit, accuſatorem, & ſecum pugnantia dicere. quod ſi enim iuvenes corrumpi exiſtimet eo, quod Deos neget; id redargui ſtatim, cum novos ſe Deos invehere in urbem affirmet, adeoque, Deos ſe negare ſimul & non negare, dicat. At, inquit, obiiciet mihi forte quiſpiam, Quid, o Socrates, rebus eiuſmodi operam navas, quae in vitae te periculum adducunt? Huic ita reſpondeo: Id modo eſt quaerendum viro bono, utrum iuſta & utilia tractet: vitae autem ratio nulla habenda. quem quiſque obtinuit locum, ſeu ſponte electum, ſeu a ſuperiori aſſignatum, eum tueri decet, morte, ignominia, periculis quibuſvis ſpretis. mihi philoſophiae provincia ab oraculo eſt tradita: hanc ego ad ultimum uſque vitae halitum, quidquid dixerint, aut fecerint Athenienſes, obtinebo. Qui me condemnarunt, iis mala multa praedico patienda: qui me abſolverunt, iis ſolatii cauſa, ne mortem meam lugeant vehementer, affirmo, hanc rem eſſe mihi utilitati, cum daemonis monitum, quod ſemper me retinet, quoties in eo ſum, ut agam, quae mihi ſunt obfutura, non perceperim. Praeterea, aut omnis ſenſus morte exſtinguitur, adeoque nihil in morte eſt mali; aut, ſi non exſtinguitur, in ea ſum loca migraturus, ubi cum optimis maximiſque antiquitatis viris quam iucundiſſime vitam degam. De daemone ſeu genio Socratis commodior dicendi locus dabitur infra: quod autem attinet ad argumentum, quo mor-

tem ſolatur, primus eius auctor videtur Plato, idque Epicurei deinde in ſuos tranſtulerunt hortos.

CRITO.

PRIDIE illius diei, quo redituram a Delo navem coniiciebat Crito, Socratem convenit in carcere, ut ſummo ei ſtudio perſuaderet, fugam eſſe capeſſendam; corrumpere enim ſeſe cuſtodes facile poſſe: eſſe autem feſtinandum, quod, ſimul navis redierit, mors ipſi ſit oppetenda. quamdiu enim aberat navis ſacra, publice interficere neminem Athenis licebat. Haec ut refutet Socrates, & Critoni demonſtret, recte ſeſe & ex officio ſuo facere, his utitur argumentis: Nunquam alii eſt parendum, quam rationi; vulgi opinio parvi contra pendenda, & id ſemper ſequendum, quod probatur ab eo, qui iuſta & iniuſta optime intelligit, quodque veritas ipſa iubet; corporis autem hac in re ratio nulla habenda: quod enim laeditur & corrumpitur iniuſtitia, praeſtantius eſt corpore. Porro vivere ipſum nunquam eſt anteponendum vitae recte actae. cumque bene vivere nihil ſit aliud, quam honeſte ac iuſte vivere; id unum reſtat inquirendum, utrum iuſtum ſit ac honeſtum, me, invitis Athenienſibus, hinc abire. Cetera omnia, quae de ſubeunda morte, de liberis meis educandis, a Critone afferebantur, inſuper ſunt habenda: omnia enim nobis ſunt patienda potius, quam iniuſti quidquam in nos admittamus. Quae de honeſto hic memorantur, alibi uberius a Platone exponuntur, ubi commodius de iis diſſeretur. Quod autem omni iniuriae vitam eſſe poſtponendam exiſtimat, id arctioribus circumſcribi limitibus par eſt. ſunt enim nonnullae iniuriae adeo exiguae, ut vita earum vitandarum cauſa non videatur dimittenda, praeſertim ſi invitus & reluctans ad eas acceſſeris; idque iuris naturae doctores hodie largiuntur omnes, neceſſitatem ultimam legibus derogare docendo.

Hinc porro infert noſter, iniuriam neminī eſſe inferendam, quique iniuria nos afficit, ei reddi iniuriam non debere; quin & qui male nobis fecit, ei malum non eſſe retribuendum, cum male hominibus facere, ſit idem quod eos laedere. Iam autem leges & civitas laeduntur, ſi quis a civitate damnatus, effugere poenam nititur, eoque ipſo leges reddere irritas conatur. Quae iniuria quo appareat maior, reputandum quoque, legum beneficio civem unumquemque & genitum eſſe, & eductum, omniaque, quae habet, accepiſſe; legibus porro civitatis ſeſe victurum tacite promiſiſſe: quae niſi placuiſſent, migrare ei e civitate licuiſſet. Patri porro aut domino, ſi iurgiis aut verberibus te inceſſat, cum par pari non liceat referre: multo minus legibus, etiamſi duri quid in nos conſulant, eſt refragandum. Accedit, quod qui contra leges fugit, ab iis etiam, ad quos ſe confert, non poteſt non contemni, quod cognatis & affinibus relictis bonorum aut vitae periculum creat; quod denique fuga, eorum, qui iure eum affirmant damnatum, opinioni, robur videtur afferre.

Duo in hac quaeſtione, probe inter ſe diſtinguenda, quorum alterum ad ius, alterum pertinet ad philoſophiam morum, a Platone confunduntur. Primo enim loco quaerendum eſt, utrum per iniuriam damnatus, ſi fuga ſibi conſulat, in ius naturae peccet? Quod quo efficiat, fundamenti loco ſubſternit Plato, iniuriam iniuria non eſſe referendam: at latere hic ambiguitatem non animadvertit. Verum eſt omnino, non licere iniuſte in eum agere, qui iniuria nos affecit; ſed falſum, par pari non debere referri: qui enim mali quid ab alio paſſus contra ius faſque, tantundem ipſi mali retribuit, iure agit. Quare qui per iniuriam damnatus, adeoque legibus invitis, fuga poenam praevertitur, iniuriam a legibus ſibi illatam referens, iniuſte non agit. Praeclare tamen monet Plato, legibus civitatum ideo parendum, quod pacto quodam tacito ita convenerit: quo ipſo iis iam praeluſit, quae multis ſeculis poſt ab Hobbeſio, aliiſque iuris publici doctoribus, uberius ſunt declarata. Nulla

ante Platonem huius pacti fit mentio. Quod autem attinet ad alterum, utrum, qui damnatus e carcere fugit, recte sibi consulat, &, quod iubet philosophia morum, optimum eligat? Socratem recte quidem fecisse, quae ab eo afferuntur argumenta docent; imitari autem id omnes debere, non efficiunt. Fieri enim omnino potest, ut sibi aliquis hoc modo prospiciens, magno deinde generi humano sit emolumento, utque in eum nihil redundet eorum, quae sibi suisque Socrates timebat, incommodorum.

PHAEDO.

Multa sunt in hoc dialogo ex intimis philosophiae Platonicae recessibus depromta, quaeque philosophis serioribus, nostra adhuc aetate, amplam tam disputandi, quam multa etiam & mira addendi, quin & Platoni multa affingendi, materiam praebuerunt; adeoque inter dignissimos notatu, immo, si ad id respicias, quod praecipue agit Plato, inter praestantissimos est dialogos referendus. Echecrates, quaenam eo die, quo venenum hausit Socrates, in carcere sint gesta, ex Phaedone postquam quaesivit; rem is omnem exponit, inter alia autem, rogasse Cebetem, ut, quidnam Eveno, saepius de carminibus quibusdam a se compositis quaerenti, responderet, Socrates sibi aperiret. Cui Socrates: somnio frequenter uno eodemque musicam tractare iussus ut obtemperarem, poësin attigi: haec refer Eveno, simulque eum, si sapit, sequi me iube. Hinc apparet, (praesertim si praeter alia, & quae in Critone de somniis a Socrate afferuntur, in animum revocemus) divini aliquid somniis sive ipsum, sive Platonem tribuisse: id quod infra ad Daemonas, a quibus somniorum repetit originem, refert. Quam difficile est, viros etiam sapientes, infantiae nationisque praeiudicia exuere! Cum obscurum esset, quod

monere Evenum Socrates iusserat; philosophum quemque moriturum quidem libenter, manus tamen violentas sibi non illaturum, addit: Philolaum obscure id significasse, & secretos ferri sermones, nos esse in custodia; quae quam sint vera, intelligi inde, quod curam hominum Dii gerunt, & dominium in nos habent, unde nil invitis Diis facere nobis licet, vitaque ante non relinquenda, quam necessitas nobis a Diis imponatur. Quin a Pythagoraeis haec sint petita, nullus equidem dubito: hi autem ex antiquissima forte rudium adhuc hominum opinione, quam apud Iudaeos non minus, quam alias Asiae gentes, offendimus, homines Dei seu Deorum servos esse, id ratiocinium derivarunt. In vulgus quidem non cadit haec opinio, ut quod per omnem, quamdiu rude adhuc est, aetatem, viribus suis fidens, libertatemque amans, ab eiusmodi servitute abhorret: at sacerdotes, quique religionibus magis sese tradebant, hominumque rectores primi, eam excogitarunt; facileque in eam inciderunt, tum quod Dii ipsi omnibus hominum negotiis interesse putabantur, tum quod ad compescendos barbarorum animos nihil fieri aptius poterat. A Pythagora, Platone inprimis, ad philosophos haec opinio transiit, & quanta inde, in morum maxime philosophia & iure naturae, manarint deliramenta, pia quidem illa prima fronte, at nociva tamen, dici vix potest. Deus, cum hominum generi liberum dederit arbitrium, ius quoque hac libertate utendi, rationemque ducem sequendi, indulsit: liberis enim, non servis, voluit praeesse: adeoque dominium istud absque omni fingitur ratione. Gubernat nos, beneficia in nos confert, providetque nobis tanquam hominibus liberis; quamque vult Plato servitutem, minime hinc sequitur: quare nec id etiam recte infertur, hominibus mortem sibi consciscere hanc ob causam non licere.

Animadvertens autem Cebes, non optime inter se cohaerere, quae dixerat Socrates, mortem sapienti esse optandam, nec tamen inferre vim sibi licere, cum non possit non dolere, quicunque prudentia est praeditus, quod de-

ferendus ſibi ſit is rerum ſtatus, cuius Dii curam gerunt; ad demonſtrandum etiam hoc Socratem compellit. Ac oſtendere quidem conatur Socrates, mortem omnino ſapienti eſſe expetendam; non ſublata tamen, quae hic latet, repugnantia. Eſt namque abſurdum, quod licet nobis optare, & expetere, id facere tamen eſſe nefas. Argumentis autem utitur his: Mors eſt animi a corpore ſolutio. iam philoſophus, quaecunque ad corpus pertinent, voluptates puta, divitias, veſtes pretioſas, aliaque id genus, nihili aeſtimat; relictoque corpore, animi tantum curam gerit. Unica porro, cui ſtudet philoſophus, eſt ſapientia. huic autem omni modo corpus eſt impedimento, cum ſenſibus nihil accurate ac ſincere percipiatur, cumque tum maxime, quid ſit verum, intelligatur, cum a corpore animus ſevocetur, utpote ſenſibus, cupiditatibus, aliiſque e corpore ſurgentibus turbis minime impedientibus: iuſtitia namque, honeſtas, pulchritudo, & quaecunque ſunt inſuper abſtracta, omnia, quae vere exiſtunt, (ὄντα) a mutatione, interitu, aut ortu aliena, non corporis ope, ſed ſola mente cernuntur. Huic ſtudio vacare nos corpus non ſinit, quippe quod morbis, alimentorum quaerendorum neceſſitate, bellis, ſeditionibus, aliiſque ex eius cura oriundis incommodis, a ſtudio ſapientiae ſemper nos avocat. Apparet porro hinc, animam a corpore maxime ſeparatam, verum maxime cernere, adeoque poſt mortem maximam nobis obtingere ſapientiam: philoſophi proinde eſt, in hac etiam vita, quoad fieri eius poteſt, a corpore animam ſeiungere. Sapientem denique & philoſophum virtute oportet eſſe praeditum: virtus autem veri nominis contingere nemini, niſi qui animum prorſus ſeiungit a corpore, poteſt; fortitudine enim is demum vera eſt inſtructus, qui a rebus extra ſe poſitis nihil plane metuit: temperans autem quomodo iure dicatur, qui dolorum metu cupiditates coërcet, adeoque voluptates tantum cum voluptatibus permutat? Verae virtutes animum ab omnibus pravis affectionibus, omnibuſque, quae ad corpus pertinent, cupiditatibus purgant. Cum itaque philoſophus in id

per omnem vitam maxime incumbat, ut animum avocet a corpore; mortis esse meditationem philosophiam appareat, ac proinde tantum abesse, ut aegre mortem ferat, ut nihil potius sit ei morte iucundius.

Platonem elementa quaedam harum conclusionum accepisse a Pythagoraeis haud mihi videtur posse negari; omnis namque Pythagoricae philosophiae habitus ad enthusiasmum spectat: multa tamen de suo eum addidisse, subtiliusque exsecutum, non dubito. Nititur tota argumentatio hoc fundamento: In perspiciendo & inveniendo vero animus est a corpore sevocandus: ergo philosophia est studium & meditatio mortis. Quo sic exposito, ambiguitas statim apparet: alia enim longe est ea mentis sevocatio, quam meditando adhibemus, ab ea, quae mortem affert. Praeterea meditantes non id agunt, ut mentem separent a corpore, sed ut quae e sensibus tam externis, quam internis hauserant, ea colligant, & animo contemplentur. Haec Plato, notionum nostrarum origine nondum investigata, mentisque operationibus nondum satis exploratis, non perspiciebat, longeque alium veri investigandi modum sibi fingebat. Persuaserat enim sibi, esse regionem quandam, seu locum idearum, ubi aeternae illae ac immotae rerum notiones habitarent: huc, meditando & a corpore secedendo, mentem accedere, ut inde omnis veri hauriat cognitionem. Sed de his infra. Quae autem de virtutibus affert, in his quoque verborum ambiguitatibus decipitur: fieri enim plane non potest, ut ullam contemnamus rem, nisi maioris pretii alia sit proposita; aut cupiditatem vincamus ullam, nisi vehementioris adminiculo. Platonis proinde virtus nihil est aliud, quam permutatio bonorum & voluptatum animi cum bonis & voluptatibus corporis; eiusque vir temperans voluptatis studio est temperans, ut fortis, metu fortis. Retorquetur itaque in eum, quod ipse in causas virtutum, petitas e commodis aut incommodis extra nos positis, torquet. Ceterum gratuitae, quam multi post eum professi sunt, virtuti hoc loco videtur praelusisse. Quae

autem de virtutibus tanquam animi purgandi cauſa adhibendis docet, amplam nugandi, totamque morum philoſophiam pervertendi, materiem Plotino recentioribuſque Platonicis praebuerunt; ut hi nihil aliud, quam a corpore & terrenis omnibus ſemovere animum, ad Deumque accedere, ſtuderent. Ab his idem Patres quidam Chriſtiani acceptum, poſteris, miris e doctrina Chriſtianorum nugis auctum, tradidere; unde myſtica, quam dicunt, theologia profluxit. Ex altera autem parte idem ad Arabes, philoſophoſque quoſdam ſcholaſticos tranſiit, indeque novis commentis inſtructum, enthuſiaſticae cuidam hodieque vigenti philoſophiae ortum dedit. Ad Platonem autem quod attinet, is meliora longe & ſaniora in moribus praecepit, nec purgatricem hanc virtutum vim, eo putavit transferendam: unde liquido, ni fallor, conſtat, haec ab eo animi magis aeſtu, quam quod ſerio & de induſtria ſit illa rimatus, doceri.

His omnibus conceſſis, dubitare ſe adhuc, obiicit Cebes, an poſt mortem anima ſit ſuperſtes: id enim ut ſibi perſuadeant, haud facile homines adduci. Socrates ergo, ut animam eſſe immortalem demonſtret, argumentis utitur his: 1) Si, ut antiqua quaedam fert traditio, vivi fiunt ex mortuis; animam neceſſe eſt poſt mortem manere. Iam autem quae fiunt, ex ſuo quodlibet contrario gignuntur: proinde, ut e viventibus fiunt mortui, ita e mortuis fieri viventes neceſſe eſt; & ut τὸ vivere ſequitur τὸ mori, ita τὸ reviviſcere ſequi τὸ mortuum eſſe: ne, cum mutationem ex uno contrario in alterum habeat natura, ex altera parte relinquatur mutila. Poſt mortem igitur animas, ſi quidem ad vitam iis eſt redeundum, eſſe alicubi, nec prorſus interire, efficitur. Petitum eſt, ut ipſe Plato indicat, argumentum e Pythagoraeorum metempſychoſi, eamque confirmat: an autem eodem iam uſi ſint Pythagoraei, deficientibus literarum monumentis, non poteſt definiri. Vim autem habet exiguam, cum e contrariis fieri omnia, quibuſdam tantum experientiis, nulla e rerum ipſarum notionibus deſumta demonſtratione, conſtet; ideoque, an ſemper

& ubique fiat, relinquatur incertum. Eſt inſuper in hac enuntiatione ambiguitas: contrarium fieri poſt contrarium, neceſſe eſt omnino, idque experientia tantum conſtat; ipſum autem contrarium eſſe materiam, quae contrario deinde ſubſternatur, non experientia modo non docet, ſed ratio quoque falſum eſſe & abſurdum demonſtrat. Ipſum album fieri nigrum, & eſſe materia nigri non poteſt: iam hic eſt enuntiationis ſenſus, unde, quam quaerit Plato, efficitur concluſio. Non poſſum, quin rogem hoc loco lectores, ne, quod ſaepius adhuc erit mihi faciendum, Platonem, praeclarum ſane philoſophum, toties verborum ambiguitatibus deceptum ſi monuero, aegre ferant: id potius inde colligant velim, omnium eſſe difficillimum accurate philoſophari, verbiſque ſepoſitis, res ipſas ſincere contemplari; ac proinde, cum in multis id nondum attigerint philoſophi, non deſperandum propterea de philoſophia, ſed, quamdiu profici aliquantum hiſtoria docet, ſummo ſtudio, omnique animi contentione pergendum, ut, quam maximi eſſe pretii rem omnes fatentur, certam accuratamque philoſophiam adipiſcamur. Ceterum huic argumento ut novum addat robur, omnia eſſe interitura, vivenſque plane nihil ſuperfuturum, ſi e mortuis vivi non fierent, ut omnia tandem dormitura, niſi dormientes expergiſcerentur, Socrates adiicit. At eadem hic quoque latet ambiguitas. verum quidem eſt, omnia mortem habituram, ſi nulla morti ſuccederet vita: falſum autem, nihil in vita iri relictum, niſi mortui reviviſcant; cum fieri poſſit, ut aliunde viventes, quam ex mortuis, procreentur.

2) Si, quaecunque diſcimus, recordando tantum diſcimus: ante hanc vitam exſtitiſſe iam animam, adeoque morte non exſtingui, apparet. Interrogati de rebus geometricis, aut aliis, quas antea nunquam didicerant, ſi quis ordine quaerat, recte reſpondent. Hanc rationem, cum uberius alio loco ediſſerat Plato, infra exponam: nunc aliam adiicit Socrates, ex ipſa recordationis natura petitam. Reminiſcimur alicuius rei, quotieſcunque aliud quid

ſenſibus percipimus, aliud inſuper cogitamus; ut ſi lyram videns amici, de ipſo amico, licet abſente, cogitet. Recordatio autem omnis aut e ſimilibus, aut ex diſſimilibus proficiſcitur: viſa enim Simmiae imagine, ipſe Simmias; viſo Simmia, Cebes animo obverſatur. Iam utroque hoc modo, ex iis, quae ſenſu percipiuntur, in cognitionem rerum adducimur e nullo unquam ſenſu petitarum. Aequalia enim multa ſenſibus ſunt obvia: ſed aequalitas ipſa, quae multum ab his differt, ſenſu percipitur nullo. ut verbis nobis notioribus idem efferam, concreta ſentiuntur, abſtracta ſenſibus non ſunt obvia; proinde cum e concretis abſtractorum hauriamus cognitionem, fieri id eo recordationis genere neceſſe eſt, quo ſimilia ſimilium ideas in animum revocant. Hanc autem ſimilitudinis, boni, pulchri, honeſti, omnemque in univerſum abſtractorum ſcientiam, ſimulac naſcimur nondum habemus; cumque antea tamen ea nos fuiſſe inſtructos ſit neceſſe, oblivioni eam, cum ante hanc vitam poſſideremus, nos tradidiſſe, animamque adeo ante corpus iam exſtitiſſe, recte concluditur. Quo autem, poſt mortem quoque manere animam, efficiatur; addendum, quod ſupra demonſtratum, e mortuis fieri viventes. Platoni, niſi omnia me fallunt, haec argumenta, ſubtilia profecto, & ſummo philoſopho digna, debentur. Diu multumque haec de ideis innatis quaeſtio torſit philoſophos, quique inter antiquos contra Platonem diſputabant, Peripatetici, Epicurei, & Stoici, cum e ſenſibus externis omnium mentis conceptuum repeterent originem, moleſtia, quam haec iis Platonis argumenta creabant, liberare ſeſe non valebant. Lockius, dum quaſdam ſenſui quoque interno notiones deberi aſſerit, primus, quo modo obviam ſit iis eundum, licet nec ipſe ex omni ſeſe expedierit difficultate, monſtravit. Omnis in hoc vertitur diſputationis cardo, utrum abſtractae, quas dicimus hodie, notiones, oriri ex ipſa animae natura, viribuſque ipſi inditis, queant? Hae notiones aut rerum ſenſibus perceptarum nobis exhibent relationes; aut ea,

quae multis ſunt rebus communia, quae univerſalia dicuntur. Relationes autem nihil ſunt aliud, quam iudicii, & mentis, plura inter ſe comparantis, actiones, aequalitas v. g. bonitas, ſimilitudo, alia. Quae vero dicuntur univerſalia, normam quandam aut regulam menti exhibent, ad quam ſingula, quae ſenſibus aut imaginationi occurrunt, ſunt exigenda: ſic, dum triangulum dico eſſe figuram tribus lineis comprehenſam, nihil volo aliud, quàm eos mentis actus, quibus repraeſentatur figura, cum eo, qui ſiſtit lineam ter repetito, ita eſſe copulandos, ut tres lineae ſpatium includant; ubicunque hi actus occurrunt, ibi eſſe triangulum. Univerſalia ergo nihil ſunt aliud, quam modus, quo verſatur in rebus ſingulis ſibi repraeſentandis animus, accurate deſcriptus. Oriri ergo notiones haſce e ſenſibus, viribuſque animo inditis hinc intelligitur: cumque ſuapte natura gignere eas animum non poſſe, a Platone non ſit demonſtratum, corruere totam neceſſe eſt argumentationem. Quod autem de ideis, ſimilitudinis vi in animum ſe invicem revocantibus, Plato adiicit, id doctrinae de idearum aſſociatione, mirum in modum hodie auctae, ac utiliſſimae, prima continet ſtamina, ut adeo eius auctor iure Plato exiſtimetur.

3) Quodcunque eſt compoſitum, ſolutioni & interitui eſt obnoxium: ſimplex contra dirimi nullo modo ac diſſipari poteſt: quodcunque porro idem ſemper ſibique ſimile manet, id ſimplex eſſe ac compoſitionis expers, concedendum. Sunt autem, ipſum honeſtum, pulchrum, aequale, utpote uniformia, mutationis omnis expertia, ſemperque eadem: ea contra, in quibus eſt pulchritudo, aequalitas, honeſtas, homines nempe, equi, aliaque id genus omnia, mutabilia: haecque omnia cum cerni, ſenſibuſque queant percipi, illa contra cum ſenſibus non ſint obvia; quaecunque ſub ſenſus cadunt, mutabilia & interitui obnoxia, quae vero omnem ſenſum fugiunt, eſſe mutationis expertia, & ſempiterna, iure concluditur. Iam autem animus noſter inter ea, quae ſenſibus nequeunt per-

cipi, est referendus: idem praeterea, quoties sensuum ministerio in rem aliquam inquirit, in errorem abripitur, vagatur, & perturbatur; a corpore contra sese subducens, soloque intellectu utens, utpote ad ea, quae sunt sempiterna, sese tanquam sibi cognata convertens, cum iisque versans, ab omni errore remotam certam rerum cognitionem adipiscitur, ideoque simplicis ac perennis naturae est habendus. Accedit, quod anima corpori praeest, eique imperat: id quod praestantioris eam divinioris-que esse naturae satis superque arguit. Anima igitur ubi pura e corpore discedit, nihilque eorum, quae pertinent ad corpus, secum aufert, quod fit rite philosophando, mortemque semper meditando, ad sui similem naturam divinam accedit, ibique omni felicitatis genere fruitur. Quaecunque contra anima, corporeis cupiditatibus & affectionibus polluta, hinc discedit, eam trahi semper ad corpus, circaque illud haerere, (unde mortuorum oriuntur circa sepulcra apparitiones) &, cum iungi iterum corpori nitatur, eorum alligari animalium corporibus, quibuscum maxima ei interceſſit morum similitudo, necesse est; ut impudicae, gulosae, in asinorum; iniustae, crudeles, in luporum aut accipitrum corpora transeant. Ad Deos autem accedere, nisi sapientiae studiosis, vereque philosophis, licet nulli.

Egregiam Plato ingreditur argumentationem, simplicitati animae eius immortalitatem superstruendo, quod, ut primus, ni fallor, fecit, ita omnibus quoque philosophis serioribus praeivit. Nonnullos tamen, eosque haud parvi momenti, errores obrepere sibi passus est. Primo enim loco, non omnem perspexit simplicitatis naturam, quam in eo tantum putat consistere, ut diversorum generum partes absint, ut exempla e rebus abstractis petita satis docent: non autem in eo, ut omnis omnino partium removeatur compositio. Quamvis itaque aliqua animae simplicitas a Platone iam sit perspecta; omnem tamen attigisse non est censendus: ansam tamen accuratius de ea

quaerendi dedit, inprimis Aristoteli, qui de Dei differens natura, partibus eam omnibus carere, dedita opera demonstrat. Simplicitatis autem, qua utitur Plato, indoles, ut anima nullo possit modo dissolvi, non efficit, cum quod partes habet eiusdem generis, extensio v. g. sit obnoxium solutioni. Deinde nec argumenta, quibus simplicem animae naturam vult efficere, examen sustinent accuratum: in rebus enim abstractis non minus erratur, quam in iis, quae cadunt sub sensus: & etiamsi minus ibi errari ponamus, immota tamen inde animi natura non apparet, cum error, & inconstantia sit motus tantum metaphoricus, unde in ipsa animae natura ac substantia esse mutabilitatem hinc non efficitur. Anima porro, quamvis sensibus nequeat percipi, ideo tamen eadem semperque sibi similis non manet, cum multa, e partibus conflata, nostris non sint sensibus pervia. Corpori denique quod imperat anima, indicium id quidem est naturae praestantioris; demonstrationis tamen vim habet nullam, praesertim cum saepissime corpori contra obedire animam experiendo discamus. Ceterum obiter hoc loco id quoque attingit, quod Alexandrini, recentioresque haud pauci, in disciplinam verterunt; meditando nempe res abstractas, eaque, quae sunt aeternae veritatis, indagando, Deo nos coniungi, mentemque ad omnis veri fontem, intellectum divinum, accedere. Quo ipso haud satis secum videtur consentire: supra enim scientiam esse recordationem ponendo, accessum mentis ad regionem quandam omnis veri negat. Quae ut concilientur inter se, Deum nunc intelligi animae nostrae partem rationis compotem, ut infra satis patebit, in anteceſſum notemus. Avide hoc arripuerunt Alexandrini, iidemque, licet ideae innatae placerent & ipsis, alio longe sensu, cuique vera inest repugnantia, hoc acceperunt, ad Deum nos accedere ipsum sibi persuadentes; ob eam maxime causam, quod, qua ratione vera haec aeterna a nobis eruerentur, non perspiciebant. Hinc in partes eundo, alii per ecstasin nos Deo coniungi, ab eoque mentem colluſtra-

ri ſtatuebant; alii contra intellectum quendam agentem, alium a Deo, cuius beneficio abſtracta nobis innoteſcerent, ſibi finxerunt. Hos ſecutus Auguſtinus ſecundam divinitatis perſonam, id eſt, verbum Dei, vera nobis omnia docuit aperire: cuius ſententiam ſeculo ſuperiori multo ſubtiliſſimarum rationum apparatu defendit Mallebranchius, in Deo omnia nos videre ac intelligere ſtatuendo. Alexandrinorum autem preſſius veſtigia ſequentes Arabes, deinde myſtici quidam theologi, Paracelſus denique ac theoſophi, nec non Cabbaliſtae, miram quandam & enthuſiaſticam procuderunt philoſophiam. His omnibus anſam primus dedit Plato, de aſcenſu mentis ad divinam illam veri omnis, idearumque omnium regionem ſaepius loquendo: quam tamen invexerunt Alexandrini ecſtaſin, cuius ope Deo coniungeremur, Plato ignorat, nihilque aliud, quam eum mentis habitum, intelligit, quo ſemotis ſenſibus ſolo utimur intellectu. Qui ſtatus cum per ſe plurimum habeat iucunditatis; manare eum a Deo, qui in nob. habitat, ſibi perſuaſit, indeque factum, ut, quod in Pythagoraeorum iam diſciplina continetur, verae tum demum nos fieri felicitatis participes exiſtimaret, ubi Deo reddimur ſimiles, divinaque & vere exiſtentia contemplamur. Haec eadem ad ecſtaſin recentiores traduxere, ut quae & ipſa ingenti animum perfundere laetitia dicitur; miraque hinc multa de gaudio quodam, a Deo in animos manante, derivantes, quod debetur naturae, quodque ex ipſamet animi, perfectione ſua gaudentis, ſequitur indole, in divinum quid & ſupra vires naturae aſſurgens, ſeſe mutaſſe non animadverterunt. De ideis autem innatis id adhuc monendum, multum eas diſtare ab ideis recentiorum innatis. Plato enim ideas in vita anteriori nos accepiſſe; recentiores contra ipſi animae eas inhaerere, ad eiuſque pertinere naturam, volunt.

Hiſce Socratis argumentis obiicit Simmias, poſſe eadem & ad harmoniam transferri; eſſe enim hanc incorpoream, oculis non obviam, adeoque divini quidquam, & immor-

talem; nihilo tamen ſecius, deſtructa lyra, perire omnino & harmoniam: Cebes vero, effici quidem iis, ut anima diuturnitate corpus ſuperet, non tamen, ut ſit ab omni interitu plane remota; homo namque, etſi veſte ſit praeſtantior, ultimam tamen antequam detriverit veſtem, moritur. Ac horum quidem primum ſubtiliſſimum profecto eſt, ipſamque Platonis argumentationem prorſus evertit, utpote cuius in eo ſita eſt omnis vis, quod anima ſub ſenſum non cadens, ſit res divina & immortalis, quodque abſtracta quaecunque nullo pereant modo. Alterum autem, licet minus infringat ipſam argumentorum vim, haud recte tamen animae immortalitatem, praeſtantiae, qua ſupra corpus eminet, inaedificare Platonem oſtendit. Cum itaque de fiducia, quam modo conceperant, his deiectos cerneret diſcipulos Socrates; revocandos eorum animos antea cenſet, quam reſponſionem aggrediatur; monendo, ne idem accidere ſibi patiantur, quod ſimplicioris & imperitioris animi hominibus evenit, ut decepti ſaepius generis humani odium induant. Fieri namque ita in inquirendo etiam vero ſolere, ut qui nimio diſputandi ſtudio ducuntur, de omnibus denique dubitent, nihilque eſſe certi affirment; utque, qui quaerendi inſcitia falſis quibuſdam & ſpecioſis nimium tribuerint argumentis, futilia deinde eſſe animadvertentes, rerumque obſcuritatem, non ſuam accuſantes imperitiam, omnis ratiocinationis evadant hoſtes. Cavendum igitur omni ſtudio, ne, rationi nihil ineſſe firmi integrique, in animum inducamus: nos potius nondum iis intelligendis ac perpendendis eſſe idoneos, nobis perſuadeamus. Egregia prorſus haec ſunt, noſtris praecipue temporibus accommodata, quibus, quod tot ſeculorum decurſu philoſophia omnibus abſoluta numeris, ſtabilis ac firma nondum ſit reperta, contemtus, immo & odium philoſophiae animos hominum occupavit; plurimum nihilominus eam profeciſſe, quin ex hoc contemtu ipſo, miras iam nunc ſuperſtitiones, portentoſaſque opiniones pullulare, non animadvertentium.

His praemiſſis, ipſas Socrates obiectiones aggreditur, primoque animam non eſſe harmoniam variis modis probat: eam nempe, cum ante corpus exſiſtat, harmonia autem praecedere ea, ex quibus oritur, nequeat, eſſe harmoniam non poſſe: habere porro omnem harmoniam gradus, animam autem alia aliam non magis aut minus eſſe animam; ſequi etiam hinc omnes omnino animas eſſe pares, cum omne, quod inter animas locum habet, diſcrimen in eo ſit poſitum, ut plus minuſve virtutis vel vitii in iis reperiatur, id quod, ſi omnes aeque ſunt animae, & harmoniae, habere locum non poteſt: animam denique corpori praeeſſe, ſaepiſſimeque cupiditatibus eius & libidinibus adverſari; harmoniam autem omnem id ſemper ſequi inſtrumentum, in quo reperiatur. Quae omnia licet animam non eſſe harmoniam ſatis demonſtrent; non ex omni tamen difficultate ſeſe expedivit Plato. longe maxima adhuc reſtat, ea nempe, qua vitium ineſſe ipſi Platonis argumentationi aſſeritur: abſtracta namque omnia, deſtructis, quibus inſunt, concretis, pereunt, adeoque anima eſſe ideo immortalis nequit, quod notionibus mentis deprehenditur ſimilis. Primus, ni fallor, Plato his argumentis utitur, quorum praeſtantia cernitur vel inde, quod eadem fere dicuntur a philoſophis noſtris contra eos, qui animam a corpore contendunt non differre.

Ad Cebetem priuſquam ſeſe convertat, prologo viam ſibi munit: animae enim ut declaretur natura omnis expers corruptionis, indeque nullum ei prorſus interitum eſſe metuendum efficiatur, inquirendum eſſe in generationis omnis & corruptionis naturam, quaeque ſint corruptioni obnoxia, hinc demonſtrandum, ac in eum philoſophiae locum, qui rerum perſcrutatur naturam, deſcendendum, poſtquam docuit; parum ei ſe ſcientiae tribuere, aliamque ingreſſurum argumentationem, adiicit. Iuvenis, inquit, cum eſſem, multam phyſicis impendi operam, ſanguiſne, an aër, aut ignis, intelligendi nobis cauſa eſſet? an e cerebro ſenſus omnis, memoria & opinio originem

duceret? de coelo praeterea & terra ſtudioſe inquirens: ſed occoecari me magis, quam lumine veri perfundi, quin &, quae ſcire antea me putabam, me dediſcere animadverti. Creſcere enim aliquid & fieri maius, ſi quid ei adiiceretur, cum mihi perſuaderem; falſum id eſſe intellexi, ſiquidem fieri duo, dum unum additur uni, non poſſe perſpexi. Unitates namque, quamdiu ſunt ſeorſim, non ſunt duo; & ideo fieri duo, quod altera alteri admovetur, non capiebam; cum praeſertim dividendo unum duo quoque fiant; id quod maxime ſecum videtur pugnare. De ortu igitur rerum & interitu nihil prorſus me certi habere, in animum induxi. In Anaxagorae autem cum inciderem librum, mentem diſponere omnia ac ordinare affirmantem, putaremque, rerum omnium fabricam conſilio ſapienti, cauſiſque, quas hodie dicimus finales, iri explicatum; mire me ſenſi deluſum, ubi aërem, aquam, aliaſque eiuſmodi naturas ad reddendam de ſingulis rationem adhiberi, praetermiſſa mente, intellexi. Hac ſpe deiectus, ſimulque poſſe me in rebus phyſicis certiorem invenire cauſam deſperans, alia ſtatui via incedere, atque ad abſtractas rerum notiones confugere. Cum igitur, eſſe aliquam pulchritudinem, magnitudinem, bonitatem, praeter id pulchrum, magnum, bonum, animadverterem, quod in rebus ſenſu perceptis eſt obvium; e rebus his naturiſque abſtractis omnium eſſe cauſas repetendas, mihi perſuaſi: ut ſi, quare pulchrum ſit quidpiam, quaeratur, non colore vivido, ſed pulchritudinis illius participatione, eſſe pulchrum, eodemque modo magna, magnitudinis, exigua, exiguitatis, multa multitudinis participatione, talia eſſe; & ſic de reliquis iſtiuſmodi cunctis, ſtatuam. Sunt igitur, ut verbo omnia comprehendam, formae quaedam ac ſpecies (εἰδη, quae & ἰδέαι a Platone alias dicuntur,) quarum participatione (μεταϲχέϲει, μεταλήψει) res ſenſibus occurrentes, ſuam quamque naturam & denominationem ſortiuntur. Cui ſi obiiciatur, Simmiam Socrate maiorem, Phaedone minorem, proinde magnitudinem ſimul & parvitatem in eo

esse: magnitudinem Simmiae semper manere eandem, nec recipere in se parvitatem, sed, in medio amborum constitutam, si alteri conferatur magnitudinis, si alteri parvitatis accipere nomen, respondendum. Aut si quis dicat, contraria fieri e contrariis, adeoque parvitati inhaerere magnitudinem, quotiescunque e minori fit aliquid maius: non ipsum parvum, sed subiectum potius, cui inhaeret parvitas, fieri magnum, regerendum. Afferuntur hic causae, quae Platonem, ut ideis uteretur in philosophia, permoverunt; nec omnes tamen, aut praecipuae: siquidem id maxime apud eum valuit, quod sensibus nihil percipi certi, ut supra iam indicavit, ab antiquioribus, Eleaticis maxime, Democrito deinde & Heraclito, satis putabat demonstratum. Cum igitur, docente Heraclito, ob perpetuum rerum sub sensus cadentium motum, stabilis certaque nulla animo imprimi notio queat: e perpetuis illis aeternisque rerum formis scientia est repetenda. Est aliquid in hac conclusione, cetera subtilissima summoque philosopho digna, veri; fieri nempe non posse, ut, rebus cunctis mutationi continuae subiectis, nullaque vicissitudinum servata regula, certi quidpiam percipiatur: somnio etenim tunc omnia forent simillima, omnisque cautarum inquisitio prorsus exsularet. At falsum est, quod sumitur deinde, omnia tanta mutari celeritate, eoque rapi ferrique cursu, ut nulla lex, nulla ibi norma, nullus ordo queat notari. Sunt leges, quas nunquam natura violat, homo v. g. licet quovis momento aliquam subeat mutationem, in leonem tamen, aut equum nunquam vertitur; & tametsi semper mutetur, id tamen adeo fit sensim, ut sensum omnem fugiat, idemque, qui paulo fuit ante, videatur. Non obstat itaque hoc, quo minus regulas legesque, quibus adstringitur natura, observando discamus, notionesque de rebus in universum animo informemus. Quod de numeris hoc loco affertur, intelligi prae nimia subtilitate vix potest. Videtur hoc sibi velle philosophus: unum uni additum auget numerum; unum in partes secatum, itidem nume-

rum auget; quod ſibi repugnat: proinde aliam, quam qua vulgo utuntur homines, aucti numeri cauſam, dyadis nempe formam, oportet adeſſe. Praeterea, cum additione non ſemper augeatur numerus; partis quoque ad partem acceſſio, non poteſt eſſe, cur res fiant maiores, cauſa, adeoque quae de partium concretione afferunt phyſici, ut, qua ratione omnia creſcant, explicetur, non ſatisfaciunt. Hoc loco Platonem fugit, numeri aliam longe, quam magnitudinis, eſſe rationem: illum uno ſive adiecto, ſive in partes ſecato, augeri; hanc autem, non niſi additis partibus, capere incrementum; praeterea aliam longe numeri, additione unius aucti, eſſe conditionem, quam eiuſdem ex unius diviſione prodeuntis; quorum ille numerus eſt integer, hic contra fractus. Sed moleſtiam creare haec non poterant non veteribus, ut quos numeri, rei in omni philoſophia abſtruſiſſimae, natura non ſatis perſpecta, & numero arithmetico, ſeu abſtracto, ad concretum perperam translato, in laqueos neceſſe erat incidere. Anaxagoras, quod Deo ſeu menti nihil tribueret aliud, quam materiae antea quieſcentis motum, ceteraque ex ipſis rerum explicare niteretur naturis, nulla finis habita ratione, iure meritoque reprehenditur. Praeterquam autem, quod cauſas haud idoneas Plato ſubiicit, quare, relicta veterum philoſophia mechanica, ideas advocaverit; haud leve etiam in ipſa hac philoſophandi ratione in ſe admittit peccatum, ut qua nihil prorſus magis explicatur, ratioque redditur haud ſatisfaciens. Duo namque fieri participatione dyadis, hominem humanitatis in materiam transfuſione, id nihil eſt aliud, quam ideo eſſe duo aliqua, quod dualitatis ibi occurrat notio; adeoque cauſa quidem, quare duo eſſe cogitentur, non autem, quare ſint vel fiant duo, affertur. Singularia quaevis ac individua, quae hodie dicuntur a philoſophis, ideo ad genus quoddam referuntur, generiſque cuiuſdam nomine inſigniuntur, quod generis huius notio in iis eſt obvia, quae participatio in mente ſola locum habet: noſtrumque adeo res

abſtracte cogitandi modum, in locum naturae ſubſtituit Plato. Idearum veſtigia apud Pythagoreos iam occurrunt, indeque eas hauſiſſe Plato videtur: an autem eandem de iis iam Pythagorei animo informarint notionem, carentes eorum libris, definire liquido non poſſumus. Sumſit hinc formas rerum Ariſtoteles, ita tamen, ut longe ſimul a Platonis abiret ſententia: hic enim formas omnes aeternas, divinas, extrinſecus ad materiam accedere; ille plurimas in ipſa latere materia, cauſarumque efficientium ope e materiae educi potentia, affirmat. Hanc participationem amplexi deinde Alexandrini, miris auxerunt figmentis, adhibendo eam, Platone in libris quibuſdam ſecretis, at hodie deperditis, iam praeeunte, ad explicandam rerum omnium e Deo emanationem, explicandam quoque eorum, quae in noſtro orbe cernuntur, naturam: quo quantopere vera ſit philoſophia corrupta, inque meros tantum ſonos, verborumque tricas mutata, dici vix a quopiam ſatis poteſt.

Hinc Socrates infert, nunquam ſibimetipſi quidquam eſſe contrarium poſſe, idque non de ipſis tantum rerum abſtractarum notionibus, ſed de ſubiectis quoque, quibus inſunt contraria, valere, ut, v. g. nix, quamdiu ſit nix, caloris; ignis, quamdiu ſit ignis, frigoris non ſit capax: immo ad ea quoque extendi, quae, licet per ſe ſibi non adverſentur, tamen ſemper aliquid habent ſibi adiunctum, quod alteri eſt oppoſitum, ut, v. g. duo, quae tribus non ſunt contraria, cum paritatem tamen ſimul habeant, tria autem imparitatem, tranſire in numerum imparem nulla queant ratione. Iam igitur, cuicunque corpori ineſt anima, eſt corpus vivens, ſemperque vitam anima corpori affert: ergo animam, cum eius, quod ſemper ſecum adducit, contrarium res nulla queat ſuſcipere, mortis & interitus eſſe expertem concluditur. In firmando huius argumenti fundamento licet multus ſit, immo nimius Plato; decipi tamen ſe enuntiationum affinitate eſt paſſus. Verum eſt omnino, ſecum pugnantia ineſſe ſimul eidem, adeoque & contrarium eius, quod ſemper alicui eſt adiunctum, in-

esse huic, quamdiu adest alterum, non posse; at, quod valde huic est affine, nunquam succedere in eius locum contrarium posse, minime hinc efficitur: dyas, quamdiu est dyas, transire in numerum imparem nequit, addita tamen unitate perit dyas, & prodit numerus impar ternarius. Anima igitur, quae semper secum affert vitam, quamdiu est anima, mortis omnino est expers: at semper eam esse animam, Plato non demonstravit, adeoque totum corruit argumentum.

Anima igitur cum sit immortalis, de vita etiam & felicitate post mortem sollicitos nos esse, oportet: suum namque cuiusque, quem in hac vita sortitus est, daemonem, animam ferunt in eum deducere locum, ubi de mortuis exercetur iudicium, & sua cuique seu praemia seu poenae decernuntur. Sunt quippe multa miraque in hoc terrarum orbe loca, quorum nullam omnino nos notitiam habemus. Qua de re sic equidem mihi persuasi: nos in terrae habitamus cavitatibus, ubi, quidquid est sordium, subsedit, excisa, corrupta, impura sunt omnia; supra nos autem alia est terra, puriſſima ea, ac vera demum terra, pulchritudine mira praedita, lapidibus, montibus, arboribus perfectiſſimis, pellucidis, miroque fulgentibus decore ornata; ibi vera Deorum est sedes; sol, luna, astra, qualia revera sunt, cernuntur; homines a morbis, ceteriſque infirmitatibus & animorum vitiis immunes, iidemque beatiſſimi ibi degunt. Quae apud nos reperiuntur, umbrae tantum sunt, non verae res; nosque per errorem, terrae nos habitare superficiem nobis persuademus, haud aliter, ac si quis in maris fundo degens, & per aquam supera aspiciens, summa sese loca tenere sibi videretur. His fundamenti loco subſtratis, exsequi eorum locorum descriptionem, tam quae coluntur a beatis, quam quae accipiunt poenae destinatos, pergit. Afferri autem haec non ornandi tantum argumenti causa & fingi a Platone, sed ita quoque eum sibi persuasisse, vel id est argumento, quod idem aliis locis repetit, quodque eius est opinionis consectarium, qua,

quae percipiuntur noſtris ſenſibus, non eſſe veras res, ſed umbras tantum, vere autem exiſtentia, id eſt, pura, perfecta, corruptionis & generationis expertia alium occupare locum, Plato docet. Ceterum verae hae res, quales ſint, & an differant ab ideis, quas veras ſolet etiam vocare naturas, merito quaeritur. Nuſpiam, quid hac de re ſentiat, aperte Plato docet: antiquiorum tamen, Pythagoreorum maxime, reſpicienti philoſophiam, differre eas ab ideis, ſatis apparet: hi namque noſtram ſub luna regionem mali omnis & corruptionis eſſe ſedem, ſuperiora eſſe perfectiora, ſibi perſuadebant. Iam Plato planetarum etiam orbes, ipſoſque planetas, eſſe a Deo conditos, in Timaeo docet: quaecunque ergo ſunt ibi naturae, aliae ſunt ab ideis ante conditum mundum menti divinae obverſantibus. Quae quamquam ſic ſatis bene expediantur, non omni tamen Plato caret reprehenſione: res enim iſtas generationis eſſe expertes aſſerit, cuius contrarium docet Timaeus.

Finito ſermone, hauſtoque veneno, optime omnia procedere, mortemque iam iam appropinquare Socrates ſentiens, Critonem Aeſculapio gallum gallinaceum iubet immolare. Materiam id viris eruditis multa diſputandi praebuit: quibus brevitatis cauſa praetermiſſis, quod mihi maxime videtur probabile, afferam. Ex animi ſententia omnia procedere, nec, quod futurum dixerat, qui carceri praecrat, ut bis aut ter cicuta ſit haurienda, ſi quis nimis multa loquendo vehementius corpus agitaſſet, id evenire, ſed facilem cernens mortem ſibi obtingere Socrates, praeterea iam ſeſe omnibus vitae moleſtiis cicurae beneficio iri liberatum, Aeſculapio agi gratias iubet. In quo nulla prorſus eſt ſimulatio, aut popularium Deorum irriſio; praeter unum enim ſummumque numen, eſſe inferiores multos & daemonas, & heroës, Socrates ac Plato ſibi perſuadebant, iidemque in ea inſuper erant opinione, eo modo Deos eſſe cuique colendos, quo iuſſerit civitas: quare nihil prorſus in ſe admiſit Socrates, quod reprehendi iure queat ab eo, qui, qualis fuerit eius philoſophia, habet perſpectum.

THEAGES.

THEAGES Demodoci filius, discendae sapientiae cupidus, ad Socratem a patre deducitur, ut, qua ratione adipiscatur sapientiam, eum consulat. Sapientia autem (σοφία) cum cuiuslibet rei peritiam Graecis significet; quaerit ex eo Socrates, quidnam sit, in quo excellere secum constituerit: eoque artem a se expeti eam respondente, qua liberae civitati praeesse aliquis possit; & una cum patre, Socratem, ut eruditur ab eo, rogante; Socrates ad genium provocat; esse sibi namque genium, qui voce aliqua deterreat quidem, nunquam autem impellat: quae is moneat, ea semper quoque evenire; eo invito nullam a se rem doceri cum fructu posse; qui genio invito in disciplinam sese sibi tradiderint, nihil profeciisse; huius ergo genii vocem esse exspectandam. Similia sunt haec iis, quae in Apologia de genio attulit. quod attinet autem ad exempla, quibus, eveniisse semper a genio praemonita, demonstrat: probabile est, Socratem eorum more, qui divinandi aliquam sibi tribuunt facultatem, praetermissis, quae secus ceciderant, ea tantum, quae respondebant praevisis, memoriae mandasse, & suammet prudentiam pro monitu quodam divino habuisse; casum praeterea rem adiuvisse: ut enim sunt, quibus in ludendo aliisque rebus mire fortuna favet, ita sunt etiam, quorum praedictis ac provisionibus prae ceteris casus opitulatur.

AMATORES.

DIONYSIUM Grammaticum conveniens, cum iuvenibus quibusdam & eorum amatoribus quem habuerit sermonem, Socrates narrat. Propositum est ei redarguere opi-

nionem, quae Sophiſtarum invaluerat iactantia, philoſophiam eſſe panſophiam. Poſtquam igitur rem praeclaram, bonam, hominemque prae ceteris decentem eſſe philoſophiam, fundamenti loco poſuit; refellit iuvenem, omnium rerum peritiam eam eſſe affirmantem: ut enim nimia corpori nocent, ita nimia quoque eruditio, animo obeſt. Quaenam igitur maxime ſint diſcenda e iuvene quaerens, eoque ea reſpondente, unde maxima paretur laus & gloria, artes praeſertim cunctas, exceptis tamen opificiis: obiicit Socrates, fieri non poſſe, ut in artibus cunctis ſummus quis evadat, adeoque fore philoſophum omnibus, qui penitus artem aliquam callent, inferiorem, id eſt, inutilem; cum tamen utilem eum, utpote bonam callentem artem, antea conceſſiſſet. Philoſophiam igitur, rem bonam & utilem, circa aliud quid verſari neceſſe eſt, id nempe, quo meliores redduntur homines. Iam autem in omni arte, qui meliores quomodo reddantur equi, v. g. animalia, homines, callent iidem coërcere, poeniſque afficere recte, ac diſcernere bonos a malis norunt: cumque iuſtitia in rebuſpublicis malis poenas infligat, hanc ſcientiam eſſe iuſtitiam concluditur. Eadem etiam iuſtitia bonos ac malos noſcit; nemoque, qui ſemet ignorat ipſum, noſſe alios poteſt: unde, cum ſui ipſius cognitio ſit ſapientia, ſapientiam & iuſtitiam eſſe eandem efficitur. Hac eadem iuſtitia reges, patresfamilias, regna, domumque adminiſtrant: eſt adeo ea ſcientia etiam politica, oeconomica; ut verbo dicam, ſcientia, quae omnia gubernat & adminiſtrat; proinde ſummae utilitatis, id eſt, vere philoſophica; ergo philoſophia in omnium artium peritia minime verſatur. Cum non eſſet Platoni propoſitum, philoſophiam, qualis eſſet, accurate definire; cumque, quae de ea afferuntur, ſatis eſſent ad redarguendam Sophiſtarum abſurdam vaniloquentiam: reprehendi etiam iure non poteſt, quod accurate parum de philoſophiae natura differit. Id tamen non omnem effugit reprehenſionem, quod iuſtitiam, politicam, oeconomicamque ſcientiam, quae partes ſunt &

ſpecies practicae philoſophiae, ſapientiaeque latiſſime ſumtae, inter ſe confundit, unamque eſſe omnes ſcientiam contendit.

THEAETETUS.

CONTRA falſas quaſdam ſcientiae definitiones diſputaturus, poſt prooemium, in quo diſceptationis occaſio exponitur, cum Theodoro geometra eiuſque diſcipulo Theaeteto loquentem Plato Socratem inducit. Propoſita igitur Theaeteto quaeſtione, quid ſit ſcientia? eoque geometriam, opificumque artes eſſe ſcientias reſpondente, aberrare eum a propoſito, nec, quaenam ipſa ſit ſcientiae natura ac definitio, declarare docet. Id eſſe difficillimum, nec ſaepius conanti rem ſibi ſucceſſiſſe, faſſus Theaetetus, ut ipſe explicet, Socratem rogat: eoque ignorantiam excuſante, nihil quippe ſe ſcire, & obſtetricis filium, obſtetriciam tantum artem callere, cuius ope ex aliorum quidem animis interrogando aliquid eliciat, idque ipſum quale ſit deinde inquirat, proinde nulla de re poſſe ſe in medium quidquam afferre, ſed quicum colloquatur, eum ponere aliquid, de quo diſputetur, debere; Theaetetus ad reſpondendum redditur promtior. Hinc Scepticiſmi Socratem & Platonem accuſarunt multi, verba magis, quam rem, attendentes: plane enim, quod verba ſonant, omnium rerum fuiſſe Socratem ignarum, cum tanta arte interrogaret, affirmare nulla licet ratione; immo ne certi quidem eum habuiſſe quidquam, cum examinare ſeſe aliorum reſponſa, falſa reiicere, quae autem recte ſeſe habent, iis accedere ſe dicat. Utitur hoc artificio Socrates ad effugiendos Sophiſtarum laqueos, quos tendi ſibi ſemper videbat; nihil enim affirmans, redargui non poteſt: praetereaque, cum liceat ei omnes diſputando aggredi, ac refutare, So-

phiſtis & cavillatoribus ſemper eſt ſuperior. Quod autem attinet ad Platonem, is lectorem non ſemper dimittit incertum, ſed in Phaedone, Timaeo, libris de republica & legibus, aliiſque, quid ſibi placeat, ſatis aperte prodit. Nihilo tamen ſecius Academici medii & recentiores, ut Platonis auctoritate ſeſe tuerentur, pertrahere eum in partes omni ſtuduerunt ratione, iidemque falſa Scepticiſmi macula eum aſperſerunt. Primam Theaetetus definitionem ponit hanc: ſcientia eſt ſenſus; eaque refutata, alteram, ſcientia eſt vera opinio; qua etiam repudiata, tertiam, ſcientia eſt vera opinio cum ratione: quae & ipſa reſpuitur, & in ambiguo, quid ſit ſcientia, relinquitur. Apparet hinc, propoſitum tantum eſſe Platoni, falſas, quae ferebantur, ſcientiae definitiones removere: quarum quidem prima, ut ipſe prodit, Protagoram habet auctorem, ex eius ſaltem philoſophia derivatur; reliquae unde ſint petitae, non liquet. Prima definitio ut confirmetur, ea afferuntur, quibus innixus Protagoras ſenſu tantum vera nos diiudicare affirmabat. Sunt autem haec: nulla per ſe res aliquid, aut unum idemque eſt, aut dici ullo modo qualis poteſt: quod iam dixeris magnum, id parvum; quod grave, id leve videbitur: nulla, ut verbo dicam, cuiquam in ſe ſpectato qualitas inhaeret; quin e motu, iiſque, quae in ſe res efficiunt, omnia proficiſcuntur, ut fiant & oriantur omnia, ſit autem prorſus nihil. Sic v. g. color extra oculos & viſum eſt nullus, efficitur autem, dum in oculos quidpiam incurrit, ibique aliquam inducit mutationem: albedo namque nec eſt in re, quae videtur alba, nec in oculo ipſo; ſed ſimulac oculus certa quadam ratione ab aliquo movetur, oculus fit videns, non ſenſus, ſeu viſio, & res fit alba, non albedo; demtis autem oculo, re mota, & oculi motu, album eſt prorſus nihil; idemque eodem modo de reliquis rerum qualitatibus dicendum. Quod ſi enim ineſſe aliquid qualitatis rebus per ſe putemus; cum experientia, quae eandem rem abſque ulla ſeu ſui, ſeu noſtra mutatione videri nobis aliam docet, pugnabimus. Sex tali ſi comparen-

tur cum aliis quatuor, plures sunt his toto & dimidio; sin autem conferantur cum duodecim, proportione eos non superant, sed dimidium modo efficiunt; proinde idem numerus modo maior est, modo minor, quod fieri non posset, si in se magnitudinem aliquam haberet. Sic igitur de rebus in universum habendum: praeter motum & mutationem nihil est; motuum autem duo sunt genera, quorum alterum in agendo, alterum in patiendo consistit: haec ubi ad se invicem accedunt, fit alterum sensus, alterum sensile, idque hoc modo: motum in oculum incurrens visu eum implet, oculumque videntem efficit; simul autem ipsum repletur albedine v. g. & fit album, licet in se sit nec album, nec nigrum; eaque albedine tamdiu tantum gaudet, quamdiu cernitur. Hinc, quodcunque aliquis sentit, esse etiam revera, sensumque esse idoneum veri iudicem, seu, ut dicebat Protagoras, hominem omnium esse mensuram, id est, diiudicandi veri normam, ut, quod cuique videtur, sit verum, concluditur. Cui si quis obiiciat, falsa saepe homines sentire; insomniis, insania, aliisque morbis decipi: respondetur statim, nihil inde, quod hanc sententiam evertat, sequi; qualis enim sum ego, qui sentio, talia esse & quae sentiuntur, taliaque debere videri: proinde si aegroto mihi aut insanienti vinum videatur amarum, aut aliud quid aliter, quam sano, appareat; esse tum id revera, quale videtur; cum esse sit idem, quod videri. Insuper quae somniantes, aut insanientes imaginamur, falsa esse nullo idoneo demonstratur argumento; cum somnum a vigilia nullum discernat criterium evidens, cumque, licet morbi breve tantum vitae spatium soleant occupare, temporis diuturnitate verum non definiatur. Si qui porro sequi hinc contendant, suem, cynocephalum, haud minus esse sapientes, quam homines; quin & hominem quemvis sapientia Deos aequare: occurritur statim, Deos, ut quos de medio tollit Protagoras, huic negotio non esse immiscendos; indignum autem esse, si bestia quaevis homini sapientia habeatur aequalis, id ex vulgi magis opinionibus

ac praeiudiciis, quam demonſtratione ulla compulſos, affirmare. Qui autem contra haec pugnat ita, ut audire quidem nos peregrinae linguae voces, non autem intelligere, adeoque ſentire aliud eſſe, quam ſcire, dicat; ei regerendum, nihil in his ſimilibuſque rebus ſciri, quam quod ſentiatur, reliqua omnia neſciri. Nec denique alicuius momenti eſt, quod obiicitur, ſcire nos multa, poſtquam ſemel didicerimus; quod autem non ſentitur amplius, id ſciri non poſſe; praeterea ſentiri aliquid obſcure, eminus aut cominus, ſciri autem nihil hac ratione: memoria enim aliud quid eſt omnino, quam ſenſus, quaeque recordando ſcire nos putamus, non ſunt ea, quae ſenſibus percepimus, ergo nulla nobis reminiſcendo contingit ſcientia; qui autem obſcure quidpiam aut eminus ſenſu percipit, alius eſt ab eo, qui clare aut cominus idem ſentit; nihilque abſurdi cogitur, diverſorum differre etiam ſcientiam ponendo. In univerſum autem tenenda ſunt haec: ſcientia praeſtare nemo poteſt alteri; ut enim res quaeque cuique videntur, ita revera quoque ſunt: differunt tamen inter ſe homines & beſtiae, eo quod conditio ſtatuſque tam animi, quam corporis, alter altero eſt praeſtantior; aeger enim deterioris eſt conditionis ſano; medicus medicaminum cognitione praeſtat imperito; philoſophus & orator praeſtantiores ſunt indoctis, non quod accuratius certiuſque, quales ſint res ipſae, habent perſpectum, ſed quod quae magis ſunt utilia norunt. Haec autem vera eſt ſapientiae menſura: quo quis magis callet e conditione deteriori traducere homines ad meliorem, & utilia ipſis perſuadere, eo eſt habendus ſapientior. Devolvitur tandem hic ſermo eodem, quod apertius quidam recentiores docuerunt, nihil in ſe nec falſum eſſe, nec verum; aut ſi ſit, ſaltem ſciri a nobis nullo modo poſſe: proinde utilitatem eſſe ſolam, quae verum & falſum metiatur; idque, quod plurimam ſemper omnibus & ſingulis attuliſſe utilitatem experientia docuerit, pro vero certoque habendum.

Hanc tam ſtudioſe ſubtiliterque a ſe defenſam Protagorae

opinionem, ita deinde oppugnat Socrates: non omnes homines vera semper, sed falsa etiam interdum opinari; eosdemque de vero & falso uno eodemque saepissime dissentire: unde efficitur, ut unum idemque verum sit simul & falsum dicendum, immo ipsa Protagorae opinio, nisi ab eo fuisset defensa, falsis fuisset accensenda; efficitur, ut quo pluribus aliquid probetur, eo magis sit verum, Protagoraeque sententia, quae paucos invenit defensores, parum habeat veritatis, quin &, cum ab adversariis falsa putetur, sit quoque falsa; efficitur denique, ut, dissentientibus hac de re hominibus, dubium sit saltem, quod ponit Protagoras, proindeque veritas eius nec ulli alii, nec ipsi Protagorae sit vera. Esse praeterea alios aliis sapientiores multisque in rebus peritiores, apud omnes, ipsum quoque Protagoram, est in confesso; nec affirmatur ab eo, quaecunque civitates, utilia sibi putantes, constituunt, ob id ipsum etiam prodesse, nullumque quoad haec inter suasores, eosque, qui adhibentur in consilium, intercedere discrimen. Sic philosophos in defendendis civium causis, ut qui ignorant, aut non curant, quae ad iudicia pertinent, orationes esse ridiculos, experientia docet. Ne vicinos quidem, multo minus viam ad forum, aut leges, ac respublica bene an male procedat, philosophi norunt: quaecunque in foro disceptantur, opes, agros, nobilitatem, assueti terram omnem, ipsumque universum semper intueri, parvi pendunt. Intelligitur hinc, si philosophorum vitam viverent omnes, multo malorum minus in orbe terrarum iri relictum: quod cum nequeat fieri, semper enim quod bono est contrarium necesse est existere; cumque nihil apud Deos sit mali; quam ocissime hinc esse aufugiendum, quod fit, ubi Deo reddimur similes, id est, iusti, sancti, sapientes evadimus: ut autem, quod supra est commemoratum, magis fiat perspicuum; utilitatis quaenam sit natura, considerandum. Refertur omnis utilitas ad id, quod est futurum; adeoque Protagorae, siquidem sibi velit constare, dicendum, quod quisque opinatur eventurum, id revera futu-

rum: unde ſequitur, ſi quis medicinae imperitus a febre ſeſe iri correptum putet, medicus autem negat, aut febrem eum ſenſurum ſimul & non ſenſurum; ratione medici autem a morbo manſurum immunem; aut nec ipſum febris calorem percepturum. Si illud ſumſerit Protagoras, peritum differre ab imperito, quod antea tamen poſuerat, rurſus tollet: ſin autem hoc, hominem quemvis veri eſſe iudicem negabit. His addendum & hoc: duo cum ſint genera mutationis, quorum alterum ad locum pertinet, alterum ad qualitatem, ut ſi quid ex alio in alium locum tranſeat, in eodemque circumagatur, aut ex albo nigrum, e duro molle fiat; neceſſe eſt, omnia moveri utroque modo, ſiquidem alias movebuntur ſimul & ſtabunt. Album igitur dum movetur, ſimul quoque mutatur; & viſus dum movetur, ſimul ſubit mutationem; nihilque ulla ratione ſimile ſibi vel per unicum temporis momentum manet; quamobrem nihil nec album dici poteſt, nec non album, nec videri, nec non videri; ſed album ſimul & non album, videri & non videri dicendum; ſenſibuſque iudicandi ſcientiamque nobis ſubminiſtrandi poteſtas abiudicanda. Qui denique, ſenſuum ipſorum qualis ſit natura, ſecum reputaverit, is nullam iis ineſſe iudicandi vim, adeoque nec ſcientiam ab iis ullam poſſe gigni, facile perſpiciet. Quae auribus percipimus, in oculos non incurrunt, ſuntque ſua cuique ſenſui obiecta: iam autem ſenſuum ſingulorum perceptiones ſaepiſſime inter ſe comparamus, aut quod commune eſt pluribus, animo complectimur: idque cum fieri organorum, quibus ea percipiuntur, ope nequeat; ipſam abſque organorum ope id facere animam neceſſe eſt. Neque enim mentis notiones, quales ſunt ſimilitudo, idem, diverſum, ipſum eſſe & non eſſe, aliaeque inſuper plurimae, peculiari quodam organo animae repraeſentari, facile quiſquam affirmaverit. Accedit, quod ſimulac in lucem ſumus editi, ſentiendi pollemus facultate, intelligendi autem & ratiocinandi caremus poteſtate, & quaenam vere exſiſtant, utilitatemque praeſtent, ſero demum multoque ſtudio intelligimus; quod ſenſus

adeo verum non attingunt. Ex his omnibus, ſenſum non eſſe ſcientiam, ſatis apparet.

Praeclare contra Protagoram diſputat Plato, licet graviſſimum hac in re argumentum non attigerit. Stare enim Protagorae ratio prorſus nequit, quia ſecum pugnantia ſumit: eſſe nempe res quaſdam, eaſque agendi poteſtate & patiendi praeditas, omni tamen in ſe qualitate orbas, quarum ope varios & multiplices in nobis ſenſus efficiant. Effectum autem hac diſputatione, ut Sceptici poſt Platonem magis ſibi proſpicerent, de rebus quales in ſe ſunt nihil affirmando, eaeque an aliquibus ſint qualitatibus praeditae, necne, in medio relinquendo. In argumento, quo ſenſus non eſſe competentes veri iudices egregie primus demonſtrat, alia quoque inſunt, a philoſophis poſt Platonem aucta. Ariſtoteles namque, cum, non poſſe ſenſus de rebus eorum ope perceptis iudicare, a Platone didiciſſet, vim quandam animi peculiarem, a iudicio & intellectu diſtinguendam, qua percipiuntur, quae ſenſibus ſunt communia, ſenſus communis nomine, excogitavit; eoque meliorem Platonis, animae & menti ipſi hanc vim tribuentis, ſententiam corrupit. Ex iis autem, quae de mentis notionibus nulli organo propriis Plato affert, Ariſtoteles & Alexandrini, praecipue Plotinus, eumque ſecuti recentiores multi, haud ſpernenda quaedam argumenta, animam alius eſſe quam corpus naturae, demonſtrantia, derivarunt.

Refutato Protagora, eos Socrates aggreditur, qui veram opinionem eſſe ſcientiam volebant. In hoc igitur diiudicando, inquirendum, quaenam ſit opinio vera, quaenam falſa. Omnia, de quibus quidquam opinamur, aut nota ſunt nobis, aut ignota: iam vero, quae quis ignorat, eſſe alia, quae itidem ignorat; nec quae novit, eſſe alia pariter ſibi nota; nec etiam, quae novit, eſſe alia, quae ignorat, perſuadere ſibi nemo poteſt. Efficitur ergo, ut falſa opinio ſit nulla, & perperam vera opinio definiatur ſcientia; cum opinio omnis ſit vera, nihilque inter ſcientiam & opinionem diſcriminis intercedat. Subtilis ſane concluſio, ſed tamen falſa! Ut recte

ratio concludatur, addendum, eodem tempore; ſicque efferenda enuntiatio: quod quis novit, non poteſt idem, eodem quo novit tempore, aliud exiſtimare, quod eodem tempore novit; ſicque efficitur tantum, neminem falſa opinari ſcientem. Fieri omnino poteſt, & fit ſaepiſſime, ut, licet Socratem & Theaetetum optime norimus, tamen ubi Theaeteti veſte & habitu incedentem eminus videmus Socratem, a Theaeteto eum non diſtinguamus; Socratem, quem bene alias novimus, hoc tempore ipſo, ſenſuum ope non agnoſcentes.

Quaecunque opinamur, aut ſunt porro, aut non ſunt: quaerendum itaque, an hac ratione falſa queat opinio gigni. Sit igitur opinio falſa, qua, quod non eſt, opinamur eſſe. Huic ſtatim occurritur ſic: ut quis videat aliquid, & ſimul videat nihil, fieri plane nequit: qui adeo videt, aliquid videt; qui aliquid videt, quod eſt videt: eodem modo, qui opinatur, aliquid opinatur; & qui aliquid opinatur, quod eſt opinatur; nihil autem opinans, plane non opinatur: ergo, ut ſit opinio de eo, quod non eſt, fieri nequit; falſaque opinio perperam dicitur, qua, quod non eſt, opinamur. Fallitur iterum Plato, ſuaque ſe ſubtilitate perimit. De eo, quod nulla ratione exſiſtit, eſſe nulla omnino opinio poteſt; at quod eſt, aut in animo tantum, aut extra animum eſt: ſi quis ergo, quod eſt in animo, opinetur eſſe & extra animum, falſam animo concipit opinionem.

Sed ne hoc quidem conceſſurus, alteram dilemmatis partem, opinionem nempe verſari circa ea, quae ſunt, ut haec inter ſe permutentur, ſub examen vocat. In hac, inquit, permutatione, aut res utraeque inter ſe permutatae, aut altera tantum animo obverſatur. Si altera tantum; eveniet, quod modo improbabatur, ut, quod non eſt, opinemur: ſin autem utraeque; nobiſcum pugnabimus ipſi, &, quod ne ſomniantes quidem faciunt, pulchrum putabimus turpe, bonum iudicabimus malum; aut equum bovem, duo unum eſſe dicemus. Sequeretur id omnino, ſi nullum aliud, quam quo ſecum res pugnant, inter eas diſcrimen intercederet:

cum autem multae sint & aliae rerum differentiae, sequitur etiam hoc, a nobis Socratem haberi Theaetetum, Alcibiadem pulchrum existimari minus pulchrum, Alexandrum temerarium iudicari fortem virum; quibus omnibus nulla inest absurditas.

Erepturus tamen nobis & hoc, permutando inter se, quae sentiuntur, & impressas animo notiones, falsam gigni opinionem non posse, aggreditur docere; sive, ut hodierna diceret philosophia, abstracta concretaque inter se confundendo, perperamque alterum alteri applicando. Rationem autem subducit hoc modo: fac animae nostrae inesse ceram, huic quidem minorem, illi maiorem; huic puriorem, illi sordidiorem durioremve; huic humidiorem, illi ficciorem; cui eorum, quae sentimus, imagines imprimuntur, & quamdiu insunt hae imagines, tamdiu meminisse nos & scire, quae sensu percepimus. Iam falsa opinio procreatur sic: te & Theodorum, quorum simulacra animo meo sunt impressa, quosque novi, dum longo interiecto tempore, eminusque conspicio, & suum cuique, ut fiat agnitio, simulacrum studeo applicare; aberro, & Theaetetum esse Theodorum iudico; aut dum amborum, quae menti insunt, imagines, alterum modo sensu percipiens, inter se confundo, & quem video Theodorum, esse Theaetetum non visum puto. Causam huius rei perhibent eam, quam modo finximus, ceram, quae, ubi ampla est beneque praeparata, sinceras, profundas, diuturnasque suscipit imagines; ubi vero mollior iusto, durior, aut angustior, & sordidior, obscuras, parum accuratas, ac diuturnas: quo fit, ut alii sint dociles, memores, rectequc opinentur; alii contra indociles, oblivioси, obtusi. Haec etsi speciosa sint admodum, vera tamen sunt minime: fac enim interrogatum aliquem septem & quinque, quem efficiant addita sibi numerum, respondere, undecim: ipsa undecim eum existimare esse ipsa duodecim, sequitur, eumque duodecim, quae ex his efficiuntur numeris, esse undecim sibi persuadere, quae inde non prodeunt. Hoc autem fieri non posse, modo est

conceſſum. Fallitur iterum in hac concluſione philoſophus: qui enim proponuntur in quaeſtione numeri, etſi efficiant duodecim, non ſunt tamen ipſa duodecim, ut quae additione demum inde ſunt elicienda. Quae autem de cera afferuntur, egregia prorſus ſunt; & a Stoicis, multoque deinde perſpicuitate maiori a recentioribus ad cerebrum translata, in explicanda memoriae iudiciique natura plurimum profuerunt. Undenam haec acceperit Plato, (nam ipſum non inveniſſe haud obſcure prodit) haud conſtat.

Quo autem magis confirmetur, quod modo adhibuit argumentum, ratione alia explicat idem. Fac, inquit, ſcire eſſe ſcientiam habere, non autem poſſidere, eamque gigni in nobis ſic: pueri dum ſumus, ignoramus omnia, diſcendo autem, arithmeticam, v. g. id adipiſcimur, ut, quotieſcunque de numeris quaeſtio proponatur, in memoriam quae didicimus revocando, recte poſſimus reſpondere; quorum alterum eſt poſſidere ſcientiam, alterum habere: habemus enim, quibus, licet non utamur, uti tamen pro lubitu poſſumus; poſſidemus, quibus iam utimur: quique arithmeticam didicit, dum non numerat, habet eam; dum numerando occupatur, poſſidet. Falſa opinio, his poſitis, ita gignitur: earum, quae quis habet, ſcientiarum aliquam quaerens, eamque ſtudens poſſidere, aliam pro ea apprehendit, quam eſſe quaeſitam exiſtimat. At fieri ne hoc quidem poteſt: qui enim ſcit, quid quaerat; quamdiu ſcit, aliud accipere eius loco, adeoque falli, omnino nequit. His ſubiungit denique, quod eſt graviſſimum, iudicem ab oratore perſuaſum, non autem plane edoctum, recte ſaepius pronuntiare; proinde opinionem veram & ſcientiam longe inter ſe differre: id enim niſi ita ſe haberet, nunquam abſque ſcientia iudicem recte iudicaturum. Verum hoc eſt omnino, etſi minime ſequatur, toto, ut aiunt, genere ſcientiam opinionemque differre: quae de opinione falſa eiuſque origine affert Plato, ne iudicium quidem falſum gigni ullo modo poſſe demonſtrant: iam autem opinio & ſcientia, ſub iudiciorum genere continentur; ſequeretur

ergo, omnem prorſus a nobis abeſſe errorem, id eſt, ſcientiam & opinionem unum eſſe & idem. Ceterum nec hoc argumento aliud oſtenditur, quam ſcientem errare neminem.

Ultimam denique ſcientiae definitionem affert Theaetetus, eſſe eam opinionem veram cum ratione (μετὰ λόγου), id eſt, clare, diſtincteque cognitam. Ratio autem cum non uno accipiatur modo, trifariam deinde eam explicat: Socrates contra, nihil eorum ad ſcientiae pertinere naturam, conatur demonſtrare. Ac prima quidem definitio eſt: ratio eorum, quae cogitamus, eſt adumbratio, ac delineatio verbis comprehenſa; quam rationem non efficere ſcientiam, inde brevibus concludit, quod hominum unuſquiſque, quid ſibi de quaque videatur re, verbis poteſt declarare, veraque adeo opinio nulla a ſcientia eſt ſeiuncta; cum ſupra tamen, eſſe veras ſine ſcientia opiniones, patuerit.

Confugere itaque alio coactus Theaetetus, ponit alteram rationis definitionem hanc: cum ratione rem aliquam novit, qui elementa eius poteſt enarrare, ut ſi quis interrogatus de curru, quid ſit, ligna, e quibus conſtat, & partes; aut de Socratis nomine, literas eius & ſyllabas recenſeat. Duobus hoc modis Plato impugnat: altero, ut ſecum pugnantia dici; altero, ut, ſciri hac ratione nihil poſſe, oſtendat. Erat autem eorum, a quibus haec audiſſe ſe dicit, opinio talis: rerum, ex quibus conſtant, elementa ac principia definitionem non admittunt, nec verbis explicari ullis poſſunt, ſed ſuis tantum quodlibet nominibus deſignari; quae autem ex iis componuntur, per ea ipſa definiuntur & explicantur; ſuntque haec eius naturae, ut poſſint animo cognoſci (γνωστὰ), id eſt, ut diſtincta earum cognitio, & intellectio animo queat informari; illa vero ſolo tantum ſenſu abſque omni intellectus ope percipiuntur: proinde de illis vera opinio cum definitione diſtinctaque cognitione, id eſt, ſcientia; de his contra nihil, praeter veram opinionem, poteſt haberi. Quod quo appareat magis, vocabula, eorumque elementa, literas, oportet intueri: ſyllaba enim per ſuas

quaeque literas & definitur, & distincte cognoscitur; literae vero ipsae nullam admittunt definitionem, menteque nequeunt cognosci (ἄγνωστόν ἐστι.) Huic occurritur ita: syllabam aut singulas esse literas dicendum, aut unam procreatam a compositis iisdem formam, & ideam. Prius si admiseris; qui distinctam habet syllabae cognitionem, eundem & singulas eius literas eodem nosse modo, est concedendum; adeoque literarum & elementorum cognitionem, syllabae esse cognitione priorem. Posterius si arripueris; in idem alia via absurdum incides: syllaba enim, cum e singulis coniunctis inter se literis efficiatur, totum quid est; totum autem omne nihil est aliud, quam partes simul sumtae omnes. Cuius nihil abest, dicitur totum; idem alio vocabulo audit omne: ergo totum & omne nihil differunt. Omne porro & omnia sunt unum idemque: nam milites omnes omnem faciunt exercitum, numeri omnes singuli omnem efficiunt summam. Quamobrem, cum omnia sint totum; partes enim omnes esse totum satis claret: totum nihil esse aliud, quam partes omnes simul sumtas, sequitur: indeque porro, eodem, quo totum, cognitionis genere, partes cognosci; &, si partium & elementorum distincta non habeatur cognitio, nec totius haberi, concluditur. Accedit, quod ex elementis & partibus proficiscitur notitia totius; earumque adeo clariorem oportet & evidentiorem, quam totius, esse cognitionem. Praeterquam autem, quod horum hominum opinio nihil est; nec scientia quoque hoc modo gigni ulla potest. Licet enim quam maxime omnium literarum gaudeas notitia, ex iisque conficere syllabas noris: non tamen error omnis in scribendis rerum vocabulis excluditur, Theodorumque recte scribens per The, Theaetetum perperam scribere per Te, non prohiberis. Quinam sint huius sententiae auctores, non constat: quicunque autem fuerint, praeclare eos recteque philosophatos infitias ibit nemo. Semina hic apparent eorum, quae magno cum philosophiae emolumento recentiores de ideis simplicibus dixerunt: quae si persequi magis, quam insequi, placuisset

Platoni, mereri optime de tota potuiſſet philoſophia. Sed erant haec a genio non Platonicae modo, ſed omnis etiam antiquorum philoſophiae, remota, adeo ut nemo his inſiſtere veſtigiis auderet. Scholaſtici, alia incedentes via, de notionibus ſimplicibus nonnulla docuerunt; earum tamen, cum ad rerum tantum genera ideaſque, quas vocant univerſales, animum attenderent, ambitum vimque omnem non valuerunt perſpicere. Mallebranchius autem, etſi, quae ſentiuntur, dulce, amarum, reliqua, non poſſe definiri, earumque diſtinctam non haberi cognitionem, recte animadvertendo, propius ad rem accederet; averſus tamen abſtractarum notionum contemplatione, Lockio copioſius hac de re differendi, eamque clara in luce collocandi, laudem reliquit. A quibus omnibus haud longe profecto aberant, qui hoc loco a Platone refutantur; iique, ſi quae de rerum extra nos poſitarum elementis afferebant, ad ipſas animi transtuliſſent notiones, rem omnem tenuiſſent. Quod autem huic doctrinae opponitur a Platone, id, quamquam ſubtile ſit & argutum, evertendae tamen ei ſufficit minime. Cognitionem, quam illi probe diſtinguebant, claram ac diſtinctam, dum elementa ſenſu tantum, non mente ac definitione; quae ex iis componuntur definitione ac diſtincte, volebant cognoſci; Plato rurſus confundit. Elementa omnino nota nobis eſſe prius neceſſe eſt, quam inde conflata noſcamus: ſed alius eſt, quo elementa, alius, quo ex iis compoſita novimus, cognoſcendi modus; nihilque adeo ſequitur abſurdi, ſi quis diſtinctam oriri cognitionem e cognitione clara elementorum afferat. De toto autem eiuſque partibus, an ſint eadem, necne, quae afferuntur, difficilem, diuque inter Peripateticos, denique & Scholaſticos, agitatam quaeſtionem tangunt. Plato, nihil differre totum omneſque eius partes defendens, decipi ſe a rerum ſimilitudine patitur: eſt enim totum quidem omnes partes; ſed eſt praeterea aliud quid, partium nempe certa quadam ratione inter ſe coniunctio; quae cum in numeris non attendatur, nihil in univerſum differre totum omneſque partes, haud recte infert.

Recte tamen monet, scientiam hac cognitione non effici, siquidem non ab omni nos prohibet errore.

His absolutis, ultimam denique definitionis explicationem sub examen vocat: definitio est, quae, quo differt a reliquis res quaepiam, docet. Admissa hac definitione, scientia esset recta opinio, adiuncta propria eius, de quo quaeritur, ab reliquis differentia. Hinc sequitur primum, qui hominem aliquem probe novit, non cognito ante, quo a reliquis discernitur omnibus, hunc certo eum non noviſſe: quod repugnat experientiae. Deinde circulus in definiendo admittitur turpissimus: scire enim dicitur, qui rectam habet opinionem cum ratione seu definitione: definitionem autem alicuius rei habere, nihil est aliud, quam nosse; nosse autem est, accipere scientiam: adeoque scientia est recta opinio, cum scientia differentiae. Refutatis hisce definitionibus, Socrates haud sibi amplius ad differendum otii quidquam superesse (accusato quippe a Melito in iudicio sibi esse comparendum) sese excusans, sermonem claudit; rogatis, ut postridie ad colloquium redeant, amicis.

SOPHISTA.

His, ut constitutum erat, cum hospite Eleate venientibus, percontatur Socrates hospitem, quidnam de Sophistis cives sentiant; indeque definiendi Sophistae occasionem sumit. Propositum autem esse Platoni videtur, tum carpere Sophistas, invidiamque, qua erunt digni, illis conflare, tum difficultatibus quibusdam haud levibus, cum de erroris ageretur natura, falsique prorsus nihil esse in hominum opinionibus affereretur, pridie subortis, sese expedire. Confabulantur inter se hospes & Theaetetus, quo quaerendo & respondendo, more Socratico Sophistae definitio eliciatur. Enume-

ratis eius partibus hisce, Sophista est iuvenum divitumque, captandae mercedis gratia, venator; earum, quae ad animum spectant, doctrinarum mercator & caupo; in sermonibus & ratiociniis artificiosus litigator: in ea tandem parte, qua, an prosit ulla ratione auditoribus, quaeritur, haerent. Cum enim omnia sese scire, omnes sese ad disputandum quacunque de re, &, quodcunque ponitur, redarguendum, aptos profiteantur redditurosque; magnam utique afferre auditoribus videntur utilitatem. Si quis tamen reputet secum, fieri non posse, ut omnes aliquis artes scientiasque probe calleat: nihil revera eos prodesse, intelliget, indeque praestigiatores tantum eos esse, speciem quandam sapientiae prae se ferentes, iuvenibusque ut videantur sapientes callide efficientes, sibi persuadebit. Hucusque progressus, quaeque a Sophistis solent iactari, in animum revocans, impediri sese constrictumque teneri sentiet: illud enim videri, errare, falli, nullum prorsus in rerum natura videtur locum habere. Quod enim non est (μὴ ὄν), esse secundum Parmenidem nullo modo, immo nec dici, aut ulla oratione significari potest; & quod est, esse aliquid (τι) necesse est. Iam, qui dicit aliquid, dicit unum quid, & qui non aliquid dicit, nihil dicit, immo prorsus non dicit: ergo, quod non est, dici nullo modo, aut verbis enuntiari potest. Non entis porro, ut dicunt recentiores, nulla sunt praedicata, adeoque nec eorum, quae sunt, tribuere ei quidquam licet; ergo nec numerus, quippe qui refertur ad ea, quae sunt, affirmari de eo potest; quique non ens tanquam unum quid, aut non entia dicit, nihil dicit; & quod non est, id ne cogitare quidem fas est. Quod autem mirum magis & absurdum videtur, ne haec quidem, quae modo sunt demonstrata, dici de non ente queunt: qui enim ineffabile & inexplicabile dicit esse, quod non est, eo ipso esse non ens iam affirmat; eoque secum pugnans deprehenditur. Hinc autem falsam inanemque speciem, & errorem, quaeque his sunt affinia, nulla plane esse, facile concluditur. Falsa namque species, cum aliud ab eo, quod est, utpote rem aliter, quam est, seu

qualis non est, exhibeat; cumque non ens non sit in rerum natura; reperiri nusquam potest. Subtilissima sane sunt haec, atque ex intimis animi recessibus petita, ut mirum non sit, philosophos vehementer iis fuisse perturbatos, nullumque potuisse exitum reperire. Nemo, quod sciam, veterum explanare haec, originemque paralogismi aperire est aggressus: quae enim Platonem mox audiemus afferentem, palliant magis, quam sanant, hoc philosophiae vulnus; nec quae breviter differit Aristoteles in physicis, plus habent efficaciae; seriores autem, cui medendo sese sentiebant impares, id contemnendo sese putabant, ne animadverteretur, effecturos. De reliquis supra iam, quae videbantur necessaria, monui: nunc id modo attingam, quod est obscurissimum, qui non ens affirmat esse inexplicabile, eum pugnantia secum dicere, & esse non ens confiteri. Ac primo quidem intuitu, non ens est inexplicabile; ergo est, recte videtur concludi: at propius rem inspicienti paralogismus statim apparet. Inter plures namque, quae vocabulo est insunt, significationes, relatio quoque & respectus ad mentem nostram reperitur: quique non ens dicit inexplicabile, quid sibi accidat non ens consideranti, ac ratiocinari super eo cupienti, narrat; non autem extra animum id esse, aut aliquam eius speciem animo obversari; quin potius nullo id a se modo cogitari posse, nihilque revera cogitari, seu plane non cogitari. At maior statim suboritur difficultas: non ens enim dum dicimus id, quod sibi repugnat, videmur dicere aliquid esse, animoque nobis obversari, cum pronomen id semper significet aliquid animo obiectum. Quae ut removeatur, considerandum, pronomen hocce omnem significare animi aliquid sibi repraesentantis actum, non eum modo, quo ut aliquid animo obversetur efficimus, sed eum quoque, quo hoc ipsum negamus, animumque ab repraesentandis sibi rebus cohibemus, id est, quo non positiva modo, sed negativa etiam, cogitamus. Non ens itaque id, quod non est, dicentes, nihil volumus aliud, quam repraesentari non ens, dum nihil plane animo obversatur, dum eum mentis actum,

quo animo quidquam proponimus, removemus, ac cohibemus.

Haec non animadvertens ad excutiendas antiquiorum de eo, quod est, sententias Plato convertitur, novamque inde, haud multo tamen meliorem elicit. Ac initio quidem eorum commemorat opiniones, qui moveri cuncta & mutari, quique contra nihil omnino mutari asserebant. Illorum, inquit, alius quae sunt, tria esse, pugnantia modo, modo amice conspirantia; alius duo tantum, humidum & siccum, aut calidum & frigidum, mutua coniunctione efficere omnia ac gignere affirmat. Quosnam eos intellexerit, haud facile est definitu: ex iis, quae sequuntur, antiquissimos quosdam eum innuere poëtas apparet; philosophorum namque placita deinde afferuntur. In horum numerum referuntur Eleatici, quos a Xenophane, aut ante eius etiam aetatem, exortos refert; qua in re ad eam respicit traditionem, quae Eleaticam sectam Pythagorea faciebat antiquiorem. Quidquid sit, nihil de eo constat, parumque id nostra etiam interest, cum de horum opinionibus nulla amplius memoria extet. A Xenophane, unum esse omnia contendente, ad philosophos seriores pregreditur, Ionicasque ac Siculas deinde Musas horum sententias copulasse, quae sunt, esse unum simul & multa asserendo, ut amicitia aut discordia gubernentur: dissidendo namque semper omnia coniungi, vehementiores Musas; alternatim contra cuncta pugnare inter se, & rursus amicitia copulari, remissiores canere. Ionicas Musas intelligit Heraclitum Ephesium, amicitiam ac discordiam cuncta dispensare, sic tamen, ut nunquam omnia prorsus intererant, sed vincente amicitia mundus quidam divinus gignatur, ignem namque, simulac contraria vicerit, esse ipsum Deum, omniumque adeo rerum interitum locum nusquam habere; vincente contra discordia, sub sensum cadens noster corruptionique obnoxius procreetur mundus, disputantem. Siculae autem Musae Empedoclem Agrigentinum indicant, amicitiam omnia iungendo, Chaos, rerumque omnium confusionem inducere; discordiam vero segre-

gando cuncta, ac in suos ordines suaque genera distribuendo, mundi ornatum efficere, ut universum modo intereat, modo generetur rursus, docentem. Utrumque, mutari semper omnia, nihilque perpetuum manere ac stabile affirmantem, hoc aggreditur argumento: ipsum, quod est, seu ens, aut est aliud quid a calido & frigido, aliisve, quos defenditis, contrariis secumque pugnantibus, quorum duo tantum summa ponitis genera; aut alterum horum, aut utrumque. Si aliud ab utroque; tria emergunt rerum genera, ens, calidum, & frigidum: si alterutrum, unum tantum revera est: sin utrumque, iterum unum tantum est eorum, quae sunt, genus; perperam ergo duo vos rerum genera ponere efficitur. Leve primo intuitu hoc videtur: quid enim, si utrumque se dicere ens, eo modo respondissent, quo Petrum vocamus hominem, qui tamen propterea duo non est entia? Sed non id volebat Plato: ens quippe, seu quod est, Platoni immotum quiddam, mutationisque expers significat, idque esse peculiare quoddam praeter ea, quae sunt mutabilia, genus necesse est; quo ipso, cum aliquid non esse perpetuum non possit, male duo tantum eos rerum genera ponere, concluditur.

Missis his, ad Eleaticos conversus, errare eos, unum esse omnia, & unum hoc esse ens affirmantes, docet: id autem quo sensu accipiebant, nec Plato explicat, nec ipsi forte accurate satis docebant; est namque omnis eorum argumentatio e vocabulis tantum metaphysicis, quorum multiplex est sensus, conflata, ut, cum insuper ab iis nulla adiiciatur definitio, quinam subsit sensus, dictu haud sit proclive, nec a vero prorsus abludat, auctores ipsos, quid sibi vellent, haud satis intellexisse. Plato igitur, ut & post eum Aristoteles, contra verba eorum disputant, unumque tantum, quocunque demum modo intelligatur, esse non posse, conantur demonstrare. Sunt autem argumenta Platonis haec: si unum non differt ab ente; vocabula haec duo, unam tantum eandemque rem, quod ridiculum, significant, nihil enim aliud tum dicitur, quam unum esse unum, aut ens

esse ens: sin autem differt, aut duo saltem ipsis sunt ponenda, aut alterum vocabulum nihil prorsus, vel vocabulum significare, ut nominis sit tantum nomen, concedendum. Praeterea huic uni & enti totius quoque tribuunt appellationem, idque totum Parmenides sphaericae esse figurae asserit. Iam autem omnis sphaera habet medium, & extrema, est ergo capax divisionis, proindeque, quod ita est totum, non potest esse ipsum unum, utpote quod partium omnium sit expers necesse est. Unum porro aut est accidens totius, aut omnino ens totum non est. Si prius, duo statim prodeunt entia: sin posterius, ne ens quidem, adeoque non ens est; quod enim non est totum, id nec esse ens ipsi largiuntur: praeterea quodcunque sit, fit semper totum; quique totum aut unum in rebus non ponit, eum tollere ortum rerum, quin & ipsam exsistentiam, sequitur. Eadem ferme via Aristoteles etiam incedit, suaque hinc sine dubio hausit: est autem, cum, quid sibi vellent, Eleatici perspicue non docuissent, redarguendi haec ratio egregia. Si enim, qui omnia esse unum affirmat, ei intercedere aliquid inter res discriminis demonstraveris, ut plures omnino sint res ponendae, quantum satis est, praestitisti. Accedit, quod metaphysicis & illi pugnabant armis, iisdemque sese deinde vinci, nullo iure possunt queri. Ceterum ab omni fallacia hunc refutandi modum pronuntiare liberum equidem nolim: unum namque Eleatici intelligebant rem extra nos animumque nostrum positam, sive sensu, sive solo tantum intellectu queat percipi; iam autem nihil omnino repugnat, rem unam pluribus gaudere qualitatibus, pluribusque diversa significantibus insigniri nominibus. Plato, plures animi nostri de hoc uno esse conceptus, demonstrat, quod quae unum sunt re, differre tamen, & plura esse ratione, quaeque, prout a nobis concipiuntur, differunt revera, unum tamen quiddam ac simplex extra animum constituere, nondum animadvertisset, sibique, quae diversis animo exhibentur notionibus, extra animum quoque plures esse res, persuasisset. Quod autem unum dicit partium esse expers de-

bere, ſi quidem veri nominis tale ſit futurum, multi deinde, interque eos Leibnitius quoque, inter axiomata retulere, a conſuetudine loquendi iure haud optimo recedentes: quod enim partes habet eadem ratione, qua id, quod partibus caret, eſt unum, definitio in utrumque eadem cadit.

Duo adhuc reſtant philoſophorum genera, quorum alterum corpora veras eſſe res & entia, alterum corporis expertia ſeu ideas tantum eſſe entia, contendit. Primum genus nihil praeter id, quod ſenſibus percipitur & tangitur, veras exiſtimare naturas Plato refert; iique ſunt, qui a Leucippo & Democrito perſuaſi, aliud quam atomos nihil revera exſiſtere affirmant, rebus corpore carentibus plane ſublatis. Adverſus eos hac utitur concluſione: eſt quoddam animal mortale, adeoque & anima exſiſtit: anima autem alia eſt iuſta, alia iniuſta, ſapiens alia, alia ſtulta; iuſtamque reddit animam iuſtitia, ſapientem ſapientia; adeoque iuſtitia, ſapientia, ceteraeque virtutes in rerum natura inveniuntur; eae autem cum cerni tangique non poſſint, ſint corporis expertes neceſſe eſt. Quod ſi autem, ut faciunt nonnulli, eo impudentiae progrediantur, ut corporeas eſſe virtutes affirment: vim tamen ipſam, & patiendi agendique facultatem, quae omnibus ineſt rebus, utque eſſe dicantur ſingulae efficiunt, differre a natura corporea, non poterunt infitiari. Haec autem vis, eorum, quae vere ſunt, naturam conſtituit, ut ens nihil aliud eſſe, quam vis, recte dicatur. Valuit diu poſt Platonem haec concluſio: at intellectum eſt tandem, id modo hinc ſequi, praeter corpora eſſe naturas quaſdam abſtractas; corporum qualitates & vires, etſi non ſint corpora, ſubſtantias tamen non eſſe habendas; eſſe autem ſubſtantias incorporeas, quod ſequi hinc putabat Plato, alio debere modo demonſtrari. Hoc argumento licet ipſos non putem uſos Pythagoreos, materiam tamen Platoni ſuppeditaſſe, cum de rerum corpore carentium natura primi diſſeruerint, virtutesque & abſtractas a rebus qualitates ſubſtantias exiſtimarint, facile equidem mihi perſuadeo. Latiſſime dehinc is error manavit, & praeter

Aristotelem & Alexandrinos, Scholasticos fere omnes, qualitates de subiecto in subiectum migrare, subtilesque quasdam praeter corpora esse naturas, existimantes, infecit. Vim ipsam esse substantiam praeter Plotinum, Leibnitius etiam ex Platone sumsit.

Tandem idearum aggreditur patronos, quos species (ἰδέας) quasdam, corporis expertes, visuque non percipiendas, pro veris agnoscere rebus (ἀληθινὴν οὐσίαν) refert. Sunt autem hi, nisi me omnia fallunt, Pythagorei, qui de ideis differuisse dicuntur, & praeter quos de rebus corpore destitutis ante Platonem philosophatus est nemo. Mirifice locus nic Platonis confirmat, quae a Laërtio traduntur, ideas Platonem a Pythagoreis esse mutuatum. Praeter ideas hi nihil exsistere vere volebant, eamque tantum ob causam a Platone his refelluntur. Id quod vere est (οὐσία), quia omnis mutationis & motus expers ab iis habetur, differre ab eo, quod generatur, (γενεσιν ita interpretor: solet quippe Plato abstracta vocabula haud raro adhibere pro concretis) necesse est; praeterea, quod vere est, sensuum ope per corpus, ratiocinii autem beneficio per animam, adeoque, cum in utroque cognoscendi modo insit mutatio, mutatis nobis cognosci, proinde a rebus vere exsistentibus non abesse mutationem, haud poterunt negare. Quod si vero, ut solent, agere & pati non cadere in id, quod vere est, generationemque & mutationem videri, non esse, reponant: frustra id esse facile demonstratur. Anima namque, quam vere esse affirmant, dum cognoscit, agit; & quae cognoscuntur, patiuntur; veraeque adeo res, quatenus cognoscuntur, mutantur. Qui removere ergo ab eo, quod vere est, mutationem omnem conatur, vitam quoque, sapientiam, intelligentiam ab eo seiungit; idque cum sit absurdum, praeter verum ens, esse motum & mutationem, cogetur largiri. Egregie haec contra eos disputantur, qui ab eo, quod vere est, removere motum omnem mutationemque studebant.

Confecto iam, esse revera motum & generationem non minus, quam quietem; difficultas quaedam haud levis resta-

tollenda. Cum motum esse & quietem, mutationem & non mutationem, ut ita dicam, eaque inter se contraria, sit concessum; cumque nihil, ubi movetur & stat, moveri aut non moveri dicatur, quae enim secum pugnant, inesse eidem simul nequeunt: differre a motu & quiete ens, ac tertium quiddam esse praeter utrumque, sequitur. Iam autem quodcunque est, aut stare necesse est, aut moveri; nec fieri potest, ut sit ens aliquod nec motum, nec stans: secum pugnantia ergo dicit, qui motum esse & quietem contendit. Cui ut occurratur, reputandum, unum idemque multis saepe nominibus appellari, hominemque eundem bonum, magnum, album, & quae sunt reliqua, dici; neque audiendos esse, qui, ne unum cogantur simul multa fateri, (qualem fuisse Lycophronem refert Aristoteles) nihil praedicari de quoquam volebant. Id enim si admittamus, quietemque & motum, ut & reliqua, quae possunt enti inesse, praedicata, enti non tribuamus: funditus oratio omnis & ratiocinium peribit; quin & ipsum, quod est, simul tolletur; cum nec esse, nec non esse, nec esse ens dicere de ulla re liceat. Sunt ergo, quae copulari sibi miscerique possunt; nec ita tamen, ut omnia omnibus queant adiungi: sic enim quies ipsa moveretur, motusque rursus quiesceret. Quare aliquas tantum res iungi sibi ac misceri, quasdam contra pati hoc nulla posse ratione, conficitur. Genera rerum hucusque reperta sunt tria, ens, motus, quies: quorum primum reliquis ambobus, motus autem & quies copulari sibi non possunt. Horum praeterea cum unumquodque sibimet sit idem, a duobus autem reliquis diversum: esse praeter haec duo adhuc genera, idem & diversum, colligitur. Motum namque & quietem, quia motum quiescere, & quietem moveri, sequeretur, horum esse utrumque dicere non licet, id est, motum simul esse sibi eundem, & a se rursus diversum: quod enim simile sibi semper est, non mutatur, nec movetur, adeoque motus foret ipsa quies; quies contra sibi dissimilis, quia sic moveretur, non est; proinde, si motus sibi idem semper, ac a se diversus esset, motus simul foret ac quies. Cum autem

idem & diverſum nihilominus in motu ac quiete reperiatur; differre ab his, participari tamen, affirmandum. Differt idem quoque ab ente: motus namque & quies, quae ſunt entia, eadem eſſe ſequeretur, ſi ens & idem nulla re diſtinguerentur. Diverſum autem aliud eſſe ab ente intelligitur inde, quod entia ſaepe ad alia referuntur, aliaque ab aliis dicuntur diſcrepare: quod vero differt ab alio, id reſpectu eius, ipſum id, quod eſt, neceſſe eſt eſſe; ſi enim non maneret idem, ſed mutaretur continue, nullo ab ulla re modo differret. Haec ſunt quinque ſumma entium genera, interque ea motus idem ſimul ſibi, ac a ſe eſt diverſus: idem ſcilicet ſibi, quatenus eadem ei ineſt motus natura; diverſus vero, quatenus res mota aut mutata ſimilis ſibi non manet. Unde ſequitur, motum eſſe ens; quatenus vero per naturam diverſi ab ente ſeiungitur, ac non ens efficitur, non ens, ens adeo & non ens ſimul: ſequitur quoque, omnia, in quibus diverſum occurrit, quoad hoc non eſſe entia; quoad contra eiuſdem participant naturam, eſſe entia. Quod ne abſurdum videatur, conſiderandum inſuper, ens & non ens ſibi non eſſe contraria, ſed a ſe ſolum diverſa, ſicut non magnum, parvum ſtatim non eſt, ſed aliud modo, quam magnum. Ac modo quemadmodum pulchrum & non pulchrum, iuſtum & non iuſtum, eodemque modo oppoſita cetera, eſſe dicuntur: ita ens quoque & non ens eſſe utrumque, ipſumque non ens eſſe, habendum. Obſcurior in his eſt Plato, ob terminorum metaphyſicorum inopiam. Argumenta, ut paucis comprehendam, redeunt huc: ſenſus, ipſaque animi meditatio ac inquiſitio eſſe motum ſatis docent; motus autem cum ſit & quies, quae ſimul ineſſe eidem nequeunt; eſſe etiam praeter haec ens, ſuapte natura nec quieſcens nec motum, ſequitur. Cui non obſtat, quodcunque eſt, aut quieſcere, aut moveri, adeoque eſſe nihil, quod nec quieſcat, nec moveatur, poſſe: multa namque & contraria de uno eodemque ſaepe dicuntur. Hoc qui negant, orationem omnem, ac rationem funditus evertunt; unde ſic occurrendum, ens a quiete & motu negantibus differre: ſunt, quae

copulari ſibi invicem ſe patiuntur; ens adeo ſi modo motui, modo quieti, iungatur, ut nunc quieſcat, nunc moveatur, abſurdi nihil emerget. His omnibus, ſi ſenſum vocabulorum attendamus, praeter id, quod vere eſt, omnemque reſpuit mutationem, eſſe etiam aliud, quod poteſt mutari, recte concluditur; etſi Parmenides motum & mutationem, non eſſe ex iis, quae ſunt, ſed quae videntur tantum, iure adhuc poteſt reponere. Notio, quam fundamenti loco adhibet Plato, mutationis, eſſe eam in rerum natura nondum evincit: multa enim animo, quae non ſunt, noſtro obverſantur. Quod autem autumat Plato, Parmenidem a ſe ſuperatum, in eo fallitur egregie: ens quippe & non ens, etiamſi non ſint contraria, oppoſita tamen ſunt, & quidem, ut logici dicunt, contradictorie; adeoque dum ipſum non ens docet eſſe, ſibi repugnantia cogitur concedere. Vera quidem entis notio, qua, quidquid ullo modo eſt, ſignificat, animo Platonis obverſatur, at obſcure admodum: eaque magis ut irretiat ſe, quam ut expediat, efficit. Primus hanc clare vidit Ariſtoteles, eiuſque beneficio felicius Parmenidis laqueos evaſit: nec ea tamen laude fraudandus Plato, quod viam, qua id agnoſceretur, munierit.

Praeſtructis hiſce, erroris naturam aperit, Sophiſtiſque, nihil uſquam eſſe falſi contendentibus, reſpondet. Vocabula rerum cum rebus ipſis in eo neceſſe eſt congruere, quod quaedam tantum quibuſdam adiungi ſe & copulari ad efficiendam orationem patiuntur. Fit autem oratio ſive enuntiatio, ſubſtantivo & verbo inter ſe copulatis: eaque vera eſt, ubi quae ſunt; falſa, ubi quae non ſunt, enuntiat. Eadem quoque iudicii, & opinionis eſt ratio, ut quae eodem modo vera falſave dicuntur. Cum enim ſit non ens, cogitarique & verbis poſſit enuntiari; id, orationibus immixtum & cogitationibus, errorem quo minus gignat & falſum, nihil plane obſtat. Quare artem quoque circa haec aliquam verſari, quae falſas quaſdam & inanes effingat ſpecies, vero ſimillimas, eoque inducat in errorem, nihil impedit. Atque haec eſt ea, quam dicimus Sophiſticam: proinde, qui ſecum

differentes ſibi repugnantia cogit dicere, qui falſis decipit rerum ſpeciebus, eae ut veris videantur ſimillimae efficit, verborumque praeſtigiis fallit auditores, is iure meritoque Sophiſta dicendus.

EUTHYDEMUS.

SOPHISTAS Plato inſectari hoc dialogo pergit, Socratem Critoni, quaenam Euthydemum inter & Dionyſodorum Sophiſtas, ſeque ſint diſputata, referentem inducens. Qui cum virtutem, id eſt, ingenii animique praeſtantiam, non eam modo, quae in moribus cernitur, brevi ſeſe hominibus poſſe tradere, ipſis etiam invitis & repugnantibus, profiterentur: ſolutus in admirationem Socrates, ceterique mire accenſi, impenſiſſime eos rogant, ut ſpecimen iam ſapientiae exhibeant, Cliniae, iuveni nobili, quemque ne in laqueos incideret hominum pravorum vehementer metuebant, eſſe philoſophandum perſuadendo. Hunc, prudentes ac ſapientes diſcere affirmantem, Euthydemus ſtatim concluſiuncula adoritur tali: qui diſcunt, ab aliis docentur; qui docent, ignorantibus diſciplinas tradunt; ergo non ſapientes diſcunt, ſed ignorantes. Dionyſodorus contra, hanc in eum torquet concluſionem: Grammatico ſyllabas pronuntiante, ii tantum puerorum diſcunt, qui non ſunt ſapientia deſtituti; ergo ſapientes diſcunt, non ignorantes. Magno haec plauſu excipientibus Sophiſtarum aſſeclis, reliquis autem vehementer perculſis, Cliniam ſtatim interrogat Dionyſodorus: qui diſcunt, nonne, quae nondum ſciunt, diſcunt? eoque affirmante, pergit: qui ordinantem literas ſyllabarum audit, licet ſyllabam diſcat, literas tamen novit; ergo diſcentes, quae iam ſciunt, diſcunt. Contra hunc Euthydemus illico ſic inſurgit: ſcire eſt ſcientiam habere; diſcere, ſcientiam accipere: ſcientiam autem is accipit, qui nondum habet; ergo

diſcentes, quae ignorant, diſcunt. Socrates adoleſcentem, ne animum deſpondeat omnino, erigere ſtudet, ludere hoſpites, ſerio mox acturos, ſapientiaeque ſibi theſauros recluſuros affirmando; idque quo fiat, quod quaeſierat antea explanat, viamque, qua erui id cupit, praemonſtrat: facile autem, quae propoſitae modo erant, concluſiones ſolvi, modo verborum vis attendatur; diſcere quippe tum eum dici, qui cognitionem rei accipit, qua plane caret; tum qui, qua iam eſt imbutus, ea ad aliquid conſiderandum utitur cognitione; proinde tam ignorantem, quam ſcientem recte diſcere aliquid dici.

Ut autem, quid ſibi quaeſtio a principio propoſita velit, aperiatur, rationem ita ſubducit: Cupiunt omnes eſſe beati, felicitatemque parari adeptis bonis eſt in confeſſo; quaenam ergo ſint bona, & quomodo eorum reddamur participes, eſt quaerendum. In bonis cenſentur divitiae, proſpera valetudo, honores, iuſtitia, temperantia, ceteraeque virtutes, ſapientia, felix omnium rerum ſucceſſus. Felici rerum ſucceſſu ſapientia praediti non egent, cuiuslibet namque artis peritia, ut in ea nobis ex animo ſuccedant cuncta, efficit: divitiae vero, honores, aliaque, quae habentur bona, cum recte adhibita felicitatem demum pariant, male adminiſtrata noceant, cumque id ſcientia efficiatur; ſapientiam & ſcientiam verum eſſe bonum, inſcitiam contra & ſtultitiam verum malum, ſequitur. Scientia autem cum compararetur philoſophando, quandoquidem doceri eam & diſci poſſe nunc pro certo ponemus: reſtat, ut ad philoſophandum Clinias accendatur, idque ut eadem, qua praeierat, ratione exſequantur, Sophiſtas Socrates rogat. Sunt in hac Platonis argumentatione praeclara multa ac egregia, primuſque forte ita concluſit; ſed errorem tamen aliquem obrepere ſibi patitur. Verum omnino eſt, iis, quae largita nobis eſt benigna numinis providentia, recte utendi ſcientiam primum inter bona tenere locum; ſed ſolum eam unicumque eſſe bonum, haud recte hinc concluditur. Ut enim bonis utatur aliquis recte, adeſſe ea oportet: bona ſingula,

partes ſunt felicitatis, ad quam aliquid unumquodque eorum confert; mera ergo iis utendi ſcientia nihilo magis parit felicitatem, quam ars muſica abſque inſtrumentis efficit concentum.

Propoſita quaeſtione graviſſima, in maxima omnes erant exſpectatione, Socrates praecipue, ſumme intentum ſeſe ab Sophiſtis dicenda captaſſe, affirmat. Igitur Dionyſodorus, Qui, inquit, fieri ſapientem ſapientia carentem cupit, eſſe eum, qualis nunc eſt, non amplius vult; ergo perdere eum ſtudet: perdere enim eſt, qui iam eſt, ut non ſit, efficere. Hic Cteſippus, calidioris animi homo, non continet ſe, quin mentiri Dionyſodorum dicat; nullo quippe modo ſe iuvenem ſibi amicum perditum velle. Ad haec ſtatim Euthydemus: Qui mentitur, dicit, quod non eſt: iam quae non ſunt, nec dici ſeſe ſinunt; ergo mentiri nemo poteſt. Reſpondente autem Cteſippo, qui mentitur, eum res dicere aliter, ac ſunt; infert Dionyſodorus: ergo ſunt etiam, qui res dicunt prout ſunt, id eſt, qui de malis male, de bonis bene dicunt: ergo de magnis rebus grandes, de calidis calidos, de frigidis frigidos ſermones habent; quod abſurdum. Socrates autem, incaleſcere eos animadvertens, monet Cteſippum, ſi ita perdere homines ſciant Sophiſtae, ut e malis bonos, ex inſipientibus ſapientes eos reddant, id aegre non eſſe ferendum; proinde non eſſe, quod indignetur, quaſi perditum ſeſe amicum cupere ſibi eſſet obiectum; eoque ipſo ſophiſma ſimul ſolvit. Cteſippo, non indignantem, ſed contradicturum tantum, ea ſe dixiſſe aſſeverante, Dionyſodorus hoc arripiens, Quod non eſt, inquit, dici non poteſt, adeoque contradicere ſibi homines, ita ut, quod unus affirmat, neget alter, nequeunt, ſiquidem qui negat, quod non eſt, dicit; ſicubi vero de eodem non eſt ſermo, nulla inter loquentes eſt pugna; adeoque ut alter contradicat alteri fieri non poteſt. Socrates, obmuteſcente Cteſippo, defenſionem eius ſuſcepturus, contra ſic argumentatur: ſi falſum dici non poteſt; falſa nulla eſt opinio, ergo nec inſcitia, nec inſcius quiſquam; quare nec qui errantem aut ignorantem

doceat: vos igitur quid docturi veniſtis? Quo tamen aliquod ſibi effugium pararet, haud recte Socratem diſputare contendit Dionyſodorus: non eſſe namque haec ex pridem dictis, ſed ex ſe ipſis, redarguenda; ſeſe vero, quid huic argumento ſit facturus, eum non habere, eſſe perſuaſum. Socrate, hoc arrepto, quidnam ea ſibi locutio velit, interrogante; non ſibi, ſed Socrati ad interrogata, ſecundum diſſerendi leges reſpondendum, ſe nempe interrogare tantum, afferit; eoque conceſſo, ſic infert: ſenſum & cogitationem habent, quae anima ſunt praedita; verba animae ſunt expertia, adeoque ſenſum habent nullum; perperam ergo, quem ſenſum habeat meus ſermo, eſt a te quaeſitum. Iam Socrates conſtrictum ſua arte tenens Sophiſtam, erraſſe ſeſe fatetur; male tamen id ſibi ab Dionyſodoro, omnem modo errorem tollente, obiectum: quo autem, unde aberrarat ſermo, regrediatur, remque aliquam ſcitu dignam e Sophiſtis eliciat, cum Clinia coeptam ſupra de philoſophia diſquiſitionem reſumit.

Convenit inter nos, inquit, eſſe philoſophandum: philoſophia autem cum ſit ſcientiae acquiſitio, quaenam maxime ſcientia, ut reddamur beati, ſit nobis paranda, porro quaeramus. Id quóque iam conceſſimus, ſcientias arteſque, quibus aliquid efficitur tantum, nec, quomodo uti eo oporteat, traditur, felices nos non reddere: quaerenda itaque ſcientia eſt, quae uſum rerum ſimul oſtendit. Iam artes, quibus inſtrumenta muſica, aliaque elaborantur, qua orationes componuntur, qua exercitus ducuntur, qua populis & civitatibus imperatur, partis recte uti non docent, nec bonos ſapienteſque reddunt homines; ſuntque adeo omnes ab ea, quae quaeritur, ſcientia, diverſae. Diu multumque in ea invenienda defatigatus Socrates, ad Sophiſtas iterum orationem convertit, ſibique eam ut monſtrent, vehementer eos rogat. Tunc Euthydemus: Qui ſcit aliquid, habet ſcientiam; qui habet ſcientiam, cum idem ſimul eſſe & non eſſe non poſſit, eſt ſcientia praeditus; qui ſcientia eſt praeditus, ſcit omnia: tu ergo, Socrates, quandoquidem ſcire te aliquid

modo es faſſus, omnia, idque ipſum, quod quaeris, iam ſcis. Etſi autem Socrates, ſcire ſe aliqua tantum, eiuſque modo, quod ſciret, habere ſcientiam recte contenderet, proinde male eos rationem concludere affirmaret; nullo tamen modo excipere eum quaedam, aut aliter, quam affirmando & negando, reſpondere Sophiſtae patiebantur. Praecluſo itaque hoc effugio, quaerit ex eis, utrum ipſi, qui aliqua ſciant, ideo ſint omnibus in rebus verſati: idque cum negare iam non poſſent, abſurdiſſima cogit eos concedere. Accenſus audaci eorum vaniloquentia Cteſippus, alterum, ſcire ſe quot habeat alter dentes aſſeverantem, ut eorum ſibi numerum indicet rogatum, idque facturum ſeſe negantem, dat in ruborem. Quem ut tegant, Socrati ſeſe demonſtraturos profitentur, omnia eum, & quidem ſemper ſcire. Poſtquam igitur quaedam ſe ſcire Socrates affirmavit, Euthydemus pergit ita: qui ſcit aliquid, aliquo hoc ſcit; eodemque, quo ea ſcit, nec ullo alio, omnia ſemper ſcit: ergo qui ſcit aliquid, omnia, & quidem ſemper ſcit. Animadverſam verborum ambiguitatem cum effugere Socrates diſtinguendo conaretur, aliaque praeter quaeſita reſponderet, anima nempe ſe ſcire; ſic enim concluſum nihil fuiſſet aliud, quam animam eſſe, cui inſit rerum omnium cognitio; deinde quae ſciat, eodem ſemper ſe ſcire, ita namque, omnia ſemper eum ſcire, iterum non fuiſſet effectum: abſque ulla adiectione aut diſtinctione reſpondendum clamitans Euthydemus, cedere eum, concluſionemque deinde cogit adoriri. Quaerit itaque ex iis, utrum viros bonos eſſe iniuſtos ſciat, an neſciat? ac Dionyſodorum, neſcire eum reſpondentem, non omnia eum ſcire cum rubore cogit fateri; ut Euthydemus & ipſe fratri (erant enim fratres) perperam id conceſſum obiiciat. Victoriam autem Socrates proſecuturus, & huic, an qui ſciat omnia, haud recte poſſit loqui? oggerit. Audito fratris nomine, novum ſophiſma orſurus, ſimulque ſuperatos ſe callide celaturus, e Socrate quaerit Dionyſodorus, an fratrem ſe Euthydemi dicat? eumque, invitum licet & multa renitentem, Herculeque,

qui tamen abſque nepotis Iolai auxilio ſuperare hydram nequiverit, imbecilliorem ſeſe fatentem, a ſermone priori abſtrahit, quaeſtione priori, alio tamen modo, ſtatim repetita. Fuitne, inquit, Iolaus Herculis non magis nepos, quam tuus? Negat Socrates: Patrocliem enim fratrem ſuum, patrem eius non fuiſſe. Patrocles ergo tuus eſt frater? Ex una quidem matre, ſed non eodem tamen patre. Ergo frater eſt tuus, & non frater. Non ex eodem patre: eius namque pater fuit Chaeredemus, meus vero Sophroniſcus. Ergo Chaeredemus alius fuit a patre; ergo non pater; ergo nec Sophroniſcus eſt pater ob eandem cauſam: tu itaque, o Socrates, patrem non habes. Hoc excipiens ſtatim Cteſippus, in Sophiſtas ipſos torquet ita: paterne veſter differt a meo patre? Negant, ne ſe quoque carere parente inferatur; ſed pergit Cteſippus: hiccine, aliorum quoque hominum, an meus tantum eſt pater? Affirmant aliorum etiam hominum hunc eſſe patrem; eoque dato, Cteſippus omnium eum eſſe patrem concludit; quin matrem eorum, omnium hominum matrem; nec hominum ſolum, ſed equorum, canum, & animalium quorumcunque: ſimulac enim negaſſent, Cteſippus ſtatim matrem eos patremque non habere intuliſſet.

Ut victoriam tamen eripiat Cteſippo, canem eſſe ei patrem demonſtraturum ſeſe pollicetur Dionyſodorus; idque hoc praeſtat modo: tibi eſt canis, is canis habet catulos, eſtque eorum pater; ergo eſt tibi canis pater, tuque catulorum es frater. Hunc canem, cum verberare te non neges; patrem te pulſare confiteris. Cteſippo, maiori iure Sophiſtarum ſeſe patrem verberaturum, reponente, ſimulque an multa ex eorum ſapientia in hunc redundaverint bona, ironice interrogante: non egere eum, immo hominum neminem, multis bonis, reſpondet ille; medicina namque multa aegrotanti, & arma multa ad bellum proficiſcenti ſi eſſent bona, quamplurimum medicamentorum armorumque eſſet adhibendum, cum parum tamen ſufficiat. Contra haec Dionyſodorus ſtatim inſurgit ita: ſi bonum eſt, aurum ha-

bere; ſemper id, ubique, copiaque quanta fieri poteſt maxima, ſecum eſt circumferendum: ergo feliciſſimus eſt, quia tria in ventre auri talenta, in capite talentum, in unoquoque oculo ſtaterem gerit. Cteſippo, ut riſui haec exponeret, Scythas in capitibus habere aurum, e ſuis craniis auratis bibere, ſua manu ea dementes, quaeque ſunt intus adſpicientes, narrante; avertendi ictus cauſa, Euthydemus ſtatim, an videant Scythae aliique homines, quae poſſunt videre, ex eo quaerit: eoque affirmante, ergo, infert, veſtes noſtrae, quas tu vides, poſſunt videre. Miratur hoc Cteſippus, poſſeque eum, ut qui nihil dicat, tamen loquatur, efficere, ſe ferme putare reſpondit. Quo audito, ut hanc ei admirationem demat, Dionyſodorus, dicere omnino tacentem poſſe, affirmat: ferrum namque aut lignum qui dicit, aliquid tacens dicit. Negat Cteſippus, ferrum, ubi pulſetur, ſilere; ſimulque ut demonſtrent ſibi, dicentem tacere, rogat. Euthydemus promtiſſime, Quando taces, inquit, omnia taces, ergo & omnem rem dicentem taces; unde ſequitur, dicentem tacere. Callide hoc arripiens Cteſippus, taceantne, an loquantur omnia? quaerit: horum enim conceſſo alterutro, concluſio ſtatim evertebatur. Reſpondente autem Euthydemo, omnia, quae loquuntur, loqui, in regulas eum diſſerendi impingere, regerit Cteſippus; ſummoque cum riſu & gaudio plurimorum Sophiſtam ſuperat.

Quorum ut temperaret riſum, non eſſe inter res tam ſerias pulchraſque riſui locum, Socrates monet: eoque ſimul dicto, Dionyſodorus novo ſophiſmate eum adoritur; velitatique aliquamdiu inter ſe ridiculis aliquot concluſiunculis, tandem Socrates, quaſi admiretur eorum ſapientiam atque maximi faciat, paucos, inquit, eſſe, qui eiuſmodi ament ſermones, plurimos contemtui eos habere; rationes eorum non aliis modo, ſed ipſiſmet etiam, os obturare, nec difficiles eſſe admodum, ſed imitatu facillimas: ſuadere ſe tamen iis, ut ſecreto haec tractent; vileſcere enim vulgata ſolere. His dictis, diſcedit. Critonem deinde, philoſophiam a multis, rhetoribus maxime, ob inanes eiuſmodi nugas con-

temni, ſeque incidiſſe in eiuſmodi virum, narrantem, fidem per omnia iis non habendam docet; ſui enim extoſſendi cauſa ab iis deprimi philoſophos: amplectendum vero, quicunque afferat aliquid non omni ſapientia deſtitutum, ipſiuſque philoſophiae indolem altius rimandam. Egregie autem hoc dialogo Sophiſtas Platonem traducere, eſt omnino fatendum: quin & ineſſe haud pauca, ad diſciplinam logicam multum facientia; etſi rerum ipſarum cognitio non admodum iuvetur. Id boni Sophiſtarum genus ſaltem attulit, quod coegit homines in ratiociniorum indole magis inquirere, eaque ad certas revocare normas, unde logices demum ſcientia eſt profecta: in qua augenda & ornanda his ipſis Sophiſtarum cavillis plurima debuit Plato; hauſturus inde plura, ſi Ariſtotelis inſtar, rimari iſta altius, remediaque quaerere ad omnes ſpecioſas, falſas tamen, concluſiunculas ipſi placuiſſet.

PROTAGORAS.

CONTRA Sophiſtas perpetuum & quaſi internecinum Socrates bellum ſuſceperat: generoſus quippe eius, ad emendationem civium omnia referens animus, impleri inani quadam loquacitate magis, quam ſapientia, cum tumore & faſtu homines, moribus nihil correctis, nullo ferebat modo, cum a vera inſuper philoſophia abducerentur, in quam contemtus quoque ex vanis Sophiſtarum ratiunculis redundabat. Erat autem ea aetate maxima horum hominum auctoritas, ad quos divites nobileſque iuvenes, laudis honorumque cupidi, certatim confluebant, ſplendidis eorum promiſſis, ſe inferiorem cauſam dicendo reddituros ſuperiorem, allecti. Socrati, & poſt eum Platoni, devictorum & exſtirpatorum Sophiſtarum, veraeque in priſtinum ſplendorem philoſophiae reſtitutae laus debetur. Poſtquam igitur, Sophiſtae minuti quales eſſent, ſuperiori

dialogo oſtendit Plato, futileſque eorum cavillos contemtui ſatis expoſuit, prae quibus ſeriam rem nullam agebant, eluſa ſemper propoſita illis quaeſtione graviſſima, an doceri virtus queat; caput eorum & quaſi principem Protagoram, quem ex omnibus fere Graeciae civitatibus iuvenum agmina ſequebantur, hoc dialogo aggreditur, relata eadem, quam omiſerat ſupra, de virtute quaeſtione, eumque Euthydemo quidem & Dionyſodoro in differendo graviorem ac robuſtiorem, Socrate tamen in accuratis ſubtilibuſque ratiociniis facit inferiorem. Summo mane ad Socratem properans accedit Hippocrates, iuvenis diſcendi cupidiſſimus, nuntioque de adventu Protagorae allato, eum, ut ſeſe commendet Protagorae, rogat. Inter eundum, quidnam maxime doceri a Protagora cupiat, ex eo quaerens Socrates, ab arte ſophiſtica eum deterret: ſimulque Sophiſtas mercatorum inſtar & cauponum merces ſuas praedicare, ſintne utiles & bonae, an ſecus, parum ſollicitos; proinde, quidnam afferat Protagoras, eſſe ante excutiendum, deque ea re cum ſenioribus & prudentioribus conſultandum, cum diſciplinae in animum ſemel admiſſae, ſi fuerint nocivae, animum ſtatim corrumpant, nec liceat eas, mercium inſtar alio quodam vaſe incluſas domum delatas, probare, iuvenem monendo, ne nimia & praepoſtera cupiditate Protagorae tradat ſe in diſciplinam, ei perſuadet. Hac mente ingreſſi, ingenti diſcipulorum miratorumque ſtipatum caterva Protagoram, ſummaque gravitate deambulantem; Hippiam Elienſem in ſolio ſedentem, cum aliis haud paucis differentem; Prodicum denique Coum adhuc decumbentem, auditoribus itidem cinctum, offendunt. Ad Protagoram accedens Socrates, cupere Hippocratem, ut in civitate illuſtrem aliquem occupet locum, ipſius frui conſuetudine, ſeque hac de re cum eo, ſeu ſolo, ſeu coram aliis, veniſſe locutum, narrat. Ad haec ille: Sophiſtarum profeſſionem antiquiſſimam, utpote ab Homero, Heſiodo, Orpheo, aliiſque exercitam, invidiae metu clam habuiſſe antiquos, aliuſque cuiuſdam artis, poëſeos, my-

ſteriorum, vaticiniorumque obtentu celaſſe: ſe tamen, invidiam nec metuentem, nec magni aeſtimantem, Sophiſtam ſe fateri; nihil proinde, quo minus coram omnibus hac de re ſecum loquatur, obſtare. Quam iactat artis ſuae antiquitatem, nulla eſt: prudentiam vitae eximiam cum Sophiſtarum profeſſione confundens callide, antiquitatis ſpeciem affingere rei nuper ortae conatur.

Fit igitur conſeſſus, omneſque, qui aderant, & Sophiſtae & auditores, ſpe magnae alicuius rei audiendae arrecti, circa Protagoram & Socratem ſedes occupant. Socrati, Hippocratis nomine, quidnam utilitatis in eum e Protagorae ſit redundaturum conſuetudine, quaerenti, quotidie eum redditum iri meliorem, reſpondet Protagoras: idque quale ſit explicari porro roganti, tum domeſticae, tum publicae rei adminiſtrationem, beneque dicendi facultatem ſeſe intelligere, Protagoras reponit. Tu igitur, inquit Socrates, doceri putas virtutem poſſe; quam ego, ad Athenienſium reſpiciens opinionem, in conciliis de rebus ad artes pertinentibus artis ſemper peritos conſulentium, ceteros reſpuentium, de iis vero, quae ad reipublicae ſpectant adminiſtrationem copiam cuivis dicendi facientium, diſcique adeo ac doceri hanc artem non exiſtimantium, experientiaeque inſuper attendens, egregiorum ſummorumque in hac arte virorum filios degeneraſſe teſtanti, tradi nulla ratione poſſe mihi perſuaſi: ſententiae ergo tuae ut ſubvenias, mihique eam probes, vehementer equidem velim. Narrat hunc in finem Protagoras fabulam hanc: Cum tempus iam adeſſet, quo prodire e terra animalium genera fatorum ordo iubebat, Prometheus ac Epimetheus a Diis ſuas unicuique vires diſtribuere iuſſi; omniaque Epimetheus inter omnia apte diviſerat ita, ut aliis robur abſque celeritate, aliis celeritatem ſine robore, minutis alas, aut domicilium ſubterraneum ad ſecuritatem, grandioribus ipſam magnitudinem ad defenſionem, verbo, cuique generi eas largiretur vires, quibus ab interitu prohiberetur. Hominum autem generi cum quod daret, nihil reſervaſſet; Prometheus, nudum id & in-

erme cernens, artem ignis ope multa fabricandi, Vulcano ac Minervae ſurreptam, homini tradidit, qua inſtructus vitam facile ſuſtentaret. Cum vero homines, ea deſtituti arte, qua ordinantur & gubernantur civitates, ſeorſim ſinguli habitarent, feris inferiores laniabantur; ac in urbes denique congregati, inteſtina exercendo bella, rurſus diſſipabantur. His commotus Iuppiter, ſimulque ne genus noſtrum periret funditus metuens, Mercurium, iuſtitiam & pudorem nobis traditurum, miſit, eaſque virtutes in omnes diſtribuere eum iuſſit. Quo factum, ut, quoties de artibus ſuſcipitur deliberatio, artium periti conſulantur, quod artes omnibus & ſingulis Dii non ſunt largiti; ſicubi vero de re aliqua ad reipublicae adminiſtrationem ſpectante agitur, omnibus fiat dicendi poteſtas. Eſſe autem in ea homines opinione, virtutem poſſe doceri, patet vel inde, quod quae ſunt naturae vitia & neceſſitatis, eorum miſeret eos, deformitatis v. g. infirmitatis, aliorum, correctionem ea reſpuere probe intelligentes; quae vero a negligentia aut inertia proficiſcuntur, poenis adiciunt, iniquitatem v. g. impietatem, ſimilia: eamque poenam non ob id infligunt, quod factum iam eſt, mutari enim nequit; ſed ut emendentur mali, ceterique de vitandis vitiis admoneantur. Quod denique de clarorum virorum filiis affertur, malos eos ſaepius eſſe, nec parentum aequare virtutem, id ita ſeſe habet: iuſtitia, temperantia, ac virtutes reliquae, maxime ſunt civitatibus neceſſariae, ut nec ſtare ſine iis civitas poſſit; eamque ob cauſam in eo omnes conſpirant cives, ut has liberis & iuvenibus virtutes tradant, & civium unuſquiſque, monendo, caſtigando, erudiendo, quoad fieri eius poteſt, iuvenes formare ad virtutem ſtudeat. Quo fit, ut omnes quoque virtutis fiant participes, utque ii ipſi, quos degenerare a parentibus dicimus, multo tamen hominibus plane impoliris, omniumque virtutum expertibus praeſtent; adeoque, ſi quod res eſt dicendum, degeneres tantum dicantur, quod parentum non aequant virtutem, non quod omni plane carent virtute. Sunt in his Protagorae verbis egregia omnino

multarum ſemina veritatum, quae huic ipſi, an Platoni potius, ſint tribuenda, in incerto eſt relinquendum; id modo conſtat, ante Platonem haec literis conſignata nuſpiam reperiri. Quae enim de ratione, qua inter animalia vires ſunt diſtributae, afferuntur, ſi in Promethei locum divinam ſubſtituas providentiam, mire eam illuſtrant, omniumque, quae Stoici deinde, multique noſtra adhuc aetate ſcriptores eximii, de ſingulari circa animalium omnium conſervationem numinis cura, deque praeclaro Dei artificio, quo vires ita ſingulis eorum generibus diviſit, ut, licet perpetua inter ſe bella gerant, nullum tamen exſtingui funditus poſſit, elementa continent. Quod autem de hominibus, artium primo rudibus, deinde urbes condentibus, legeſque ferentibus, dicit Protagoras, initium eſt eius diſciplinae, quam Epicurei aliique auctam nobis tranſmiſere, noſtrique, adiectis, quae in gentibus Americae aliarumque deinde regionum obſervaverant, in corpus redegere, eſſeque inter partes philoſophiae, principes iuſſere. Argumenta denique, quibus doceri virtutem poſſe Protagoras demonſtrat, minime ſunt contemnenda, eſſeque in adipiſcenda virtute omnino diſciplinae locum, oſtendunt: etſi, quod voluit Protagoras, omnia pendere a diſciplina, non efficiant; cum praeſtantiſſimorum virorum filios, omni licet cura adhibita, patrum non aequare virtutem largiatur.

Hac igitur maxime ratione Protagoras fuiſſet impugnandus: at Plato, ſive hoc non animadvertens, ſive Sophiſtam magis irretiturus, & perturbaturus, ſi nihil ei cedat, alio modo Socratem contra diſputantem facit. Ac principio, cum oratione perpetua, uter eſſet in diſputando melior & ſuperior, haud ſatis declararetur; Socrates obliviosum ſeſe, nec ſatis in dicendo exercitatum fingens, a Protagora, in utroque genere ſeſe iactante, ut interrogando & reſpondendo tranſigat ſecum rem, extorquet. Summa argumentationis eſt haec: ſi virtus eſt ſcientia, poteſt doceri: eſt autem ſcientia, ergo &c. Ne autem Protagoras, diſputator callidiſſimus, quo tenderet a principio animadvertens,

ſibi caveret, ab ea quaeſtione, an virtus ſit una tantum, auſpicatur; eoque oſtenſo, id, quo virtus eſt virtus, ſeu omnis virtutis, ut hodie dicunt, eſſentiam, eſſe ſcientiam infert; hinc denique, poſſe eam doceri, in fine dialogi concludit.

Sunt autem concluſiones ſingulae hae: in oratione ſua plures Protagoras virtutes memoraverat; hae omnes aut ſunt una virtus tantum, aut unius virtutis partes: & ſi ſunt unius partes; aut eiuſdem cum toto naturae, velut ſingulae auri partes, aut alius naturae, ut naſus, oculus, auris, partes faciei. Iam non habent ſe ſicut partes auri, maius quippe inter eas intercedit diſcrimen; nec ſicut partes faciei, quod enim iuſtum eſt, idem quoque eſt ſanctum, & vice verſa, iuſtitia ergo & ſanctitas altera alteram complectitur, nec differunt, ſicut faciei partes. Reſpondet Protagoras, iuſtitiam & ſanctitatem non eſſe per omnia ſibi ſimiles, nec tamen prorſus etiam diſſimiles: eoque ipſo quamquam, quod poſuerat initio, virtutes ſingulas habere ſe ad virtutem in univerſum, ſicut partes faciei ad faciem, cogatur omittere; non eſſe tamen prorſus eaſdem tenet; idque, quidquid contra dicat Plato, omni iure. Species namque ad genus alio ſeſe modo habent, quam partes extenſi, ad totum; eamque relationem non animadvertens, in diviſione ſuperiori omiſerat Plato. Fuiſſe eam tum temporis ignotam adhuc, e Protagorae etiam apparet defenſione, qua extricare ſeſe quidem conatur, error tamen ubi ſit locorum, non reperit. Non ſequitur ergo, quod putabat Plato, virtutes, ſi non ita ad ſe invicem & ad virtutem in univerſum ſeſe habeant, ſicut partes faciei ad faciem, eſſe unam tantum virtutem.

Quod affert deinde argumentum alterum, non magis hoc efficit. Eſt autem huiuſmodi: ſtultitia contraria eſt non modo ſapientiae, ſed etiam prudentiae: iam uni unum tantum eſt contrarium; ergo ſapientia & prudentia unum ſunt idemque, nec, quod antea volebat Protagoras, a ſe diverſae. Qui cum ſuperiora omnia inconſiderate conceſſiſſet, accedere concluſioni, licet invitus, cogebatur; ſtatimque

Socrates, ut arctius eum conſtringeret, alio argumento eum aggreditur. Cupiunt omnes, quae ſibi ſunt utilia; quae utilia, ſunt etiam bona; qui, quae bona ſunt, facit, recte facit; qui recte facit, prudenter agit: ergo, cum recte faciat, qui iuſtitiam colit; quaecunque iniuſte agit, non agit prudenter, nemoque prudens, quae ſunt contra iuſtitiam, poteſt velle; ſunt ergo iuſtitia & prudentia virtus eadem. Cum Protagoras, quo tenderent haec, videret, nolletque Socrati victoriam ſemper concedere, multa molitur, inprimiſque bona quae ſint, eſſe ſemper utilia, eo quod bonum dicatur relative, quodque huic eſt bonum, id alii ſit malum, conatur infitiari; Socrate autem, ut huic occurrat, an, quae hominum nemini ſint utilia, bona queant dici, ſtatim quaerente, longiorem orſus orationem, eludere concluſionem ſtudet. Ibi Socrates, cum nolle Protagoram brevi videret oratione uti, diſcedere parat, aegreque ab amicis retentus, Protagoraque multis denique precibus victo, ita ſermonem inſtaurat, ut, miſſa hac quaeſtione, interrogandi munus Protagorae demandetur, redeatque, ubi ſatis ab eo ſit quaeſitum, ad Socratem. Nimis autem in his omnibus concedendis facilis eſt Protagoras. Si eorum, quae ſub genere uno continentur, alicui quidpiam ſit contrarium, ſpeciebus pluribus idem eſſe contrarium neceſſe eſt; triangulum namque rectangulum, contrarium eſt omni triangulo rectum angulum non habenti, id eſt, aequicruro, obtuſum habenti angulum, aliiſque eius ſpeciebus; ergo unum uni non ſemper eſt contrarium, ſenſu eo, quo contrarii vox hic a Socrate accipitur: quae porro ad idem pertinent genus, ea in nonnullis ſunt omnino eadem, quo fit, ut qui ius violat, peccet etiam contra prudentiam; nec iuſtitiam tamen & prudentiam eſſe eandem ſequitur, aliud enim in eadem actione eſt, quod in iuſtitiam, aliud quod in prudentiam impingit. Qui ultro alium laedit, iniuſte agit ideo, quia non laceſſitum laedere contra ius eſt; imprudenter agit ideo, quia mala, quae poſſis vitare, prudentis non eſt, arceſſere.

Protagoras, ſuſcepta interrogandi provincia, ſitne Si-

monidis illud carmen, in quo difficile esse virum fieri bonum canit, laude dignum, quaerit? ac annuente Socrate, pugnetne cum eo, quod subiungit poëta cum reprehensione Pittaci, difficile est virum bonum esse, pergit interrogare? ut inde Simonidem secum pugnantia dicere, carmenque istud incurrere in reprehensionem, cogat. Prius vero quam ad conclusionem perveniret, Socrates non pugnare haec secum contendit; Simonidis nempe sensum esse hunc: virum bonum fieri est difficile; Pittacus proinde, qui esse, seu manere bonum difficile affirmat, fallitur; propter varios namque, quibus hominum vita est exposita, casus, bonum semper sese virum fore, spondere potest nemo, immo, ut semper simus boni, fieri propter eosdem casus saepe prorsus nequit; adeoque perperam Pittacus difficile dicit, quod fieri non posse fuisset dicendum.

Victus iterum Protagoras, multum renitens, omnium tandem precibus, ut quaerenti Socrati respondeat, adductus, denuo de eadem re interrogatur; mutataque nonnihil sententia, iustitiam, sanctitatem, temperantiam & prudentiam admodum inter se esse similes, fortitudinem vero magnopere ab his differre, cum, qui reliquis careant virtutibus, sint saepe fortissimi, affirmat. Hoc ita impugnat Socrates: omnes fortes sunt etiam audaces; quicunque audent aliquid, cuius sunt periti, laudantur; qui contra audaces sese praestant in eo, quod ignorant, insani audiunt: iam omnis virtus est honesta ac laude digna; ergo omnis, quae scientia destituitur, audacia non est virtus; veraque sine scientia fortitudo esse nequit, quia scientia & fortitudo sunt unum idemque. Excipit Protagoras, fortitudinem quidem audaciam habere adiunctam, non omnem tamen audacem esse etiam fortem; audaciam arti, irae, insaniae, aliisque affectibus saepe deberi; fortitudinem, contra naturae, ac disciplinae; adeoque non omnem fortitudinem esse scientiam. Hanc si tueri sciviſſet sententiam, superare Socratem facile potuisset: verum namque est omnino, praeter scientiam aliud quid ad virtutem, fortitudinem inprimis, requiri.

Refutaturus hoc Socrates, praeter ſcientiam nihil ad virtutem pertinere ſubtiliter quidem, non omnino tamen ex vero, nititur probare. Omne, inquit, iucundum, & quod ſuaviter nos afficit, bonum eſt; idque cum omnes expetant, ut ſciens aliquis mali quid faciat, fieri nullo modo poteſt. At quaedam iucunda non eſſe bona, ſaepeque nos a voluptate ſuperari, ut, quae mala eſſe intelligimus, faciamus tamen, proinde voluptatem non ſemper eſſe bonum, ſolet ab hominibus dici. Id ut tollatur, non de rebus iucundis, quae adiunctum ſibi habent aliquid grati, ſed de ipſo voluptatis ſenſu, de iucundo in ſe ſpectato, eſſe ſermonem probe notandum. A voluptate ut ſuperemur haec ſolent efficere: cibus, potus, aliaque voluptatem ſtatim afferentia; morbos autem, paupertatem ſimiliaque in poſterum mala gignentia, ſaepe nos, ut voluptatem praeſentem futuris anteponamus malis, inducunt. Haec omnia ob id modo ſunt mala, quia in dolores deſinunt, aliiſque ſimul voluptatibus nos privant. Quae bona contra dicuntur moleſta, ſunt huiuſmodi: corporis exercitationes, militia, morborum curationes: haec bona ſunt, quia commoda hinc ingentia ſequuntur, valetudo proſpera, corporis firmitudo, divitiae, alia; mala vero, quia dolores ſtatim afferunt. Igitur voluptatem ipſam per ſe, unquam eſſe malum nullo hinc modo ſequitur; cum mala ideo tantum dicatur nonnunquam, quod maioribus nos voluptatibus privat, aut maiores dolores affert: quo demto, in ſe bona ſemper vocabitur. Praeclare omnis morum philoſophiae fundamenta primus, ni fallor, iacit Plato: iucundum namque quod eſt, bonum eſſe dicitur veriſſime, modo recte explicetur, nec cum Ariſtippo, Epicuro, Helvetio aliiſque, iucundum omne ad corpus referri, aut ex corpore originem ducere, exiſtimetur; a qua ſententia, ut ex aliis patet locis, longiſſime Plato abeſt.

Confecto, voluptatem per ſe eſſe bonam, eamque appetere omnes, ad alterum ſeſe accingit, quo ſcientes nos male ſaepius agere, multi contendunt. Qui voluptate vi-

ctus, male agit, ab eo, quod bonum eſt, cum voluptatem eſſe bonam ſit demonſtratum, vincitur: ſequitur ergo, eum, quae mala ſunt, facere, dum mala eſſe novit, & non faciendi ea poteſtate gaudet, victum a bonis. Bona porro haec aut digna ſunt, quae vincant, aut indigna: ſi digna, nullum admittitur peccatum; ſin indigna, ſuperari ab iis nihil eſt aliud, quam pro maioribus, aut pluribus bonis, minora, ac pauciora ſcientem ſumere; quod fieri per naturam animi humani prorſus nequit. At, inquiet aliquis, voluptates praeſentes ac dolores, multum a futuris differunt, modoque plane diverſo animum afficiunt. Huic ſtatim occurritur, diſtare eas nullo alio, quam eo, quod iucundum eſt aut acerbum, poſſe; adeoque ſcientem peccare neminem, cum bonum omnes expetant, & iucundo moveantur. Sic potius res ſeſe habet: ut eadem procul minora apparent, eſtque in his recte diiudicandis optica ars adhibenda; ſic in eligendis quoque bonis & malis, arte quadam recte ea metiendi, ne error nobis obrepat, opus eſt: & quemadmodum qui in magnitudinibus eminus viſis falluntur, ob ignorantiam optices errant; ſic in vita, qui a voluptatibus ſuperantur, non ſcientes, ſed huius artis imperiti, ignorantes peccant. Scientia ergo ut aliis in rebus, ita in moribus quoque dominatur; quodque obiiciebatur, voluptatem imperare etiam ſcienti, hoc nihil eſt. Dat haec omnia Protagoras, victoriamque nimis facilem Socrati concedit, cum dare non debuiſſet. Verum eſt omnino, multos ob errorem & inſcitiam a voluptatibus ſuperari; ſed non minus verum nonnunquam illud Medeae, Video meliora proboque, deteriora ſequor. Quamvis multi peccent ea ſpe, fore, ut quae inde ſequuntur mala, ſibi non eveniant, ut aliquam liceat ea vitandi rationem inire; ſunt tamen etiam, qui haec deſperantes, quin ingruentia iamiam mala cernentes, peccare non deſinunt.

His poſitis, facile Socrates Protagorae ſatisfacit, audaciam non ſemper ſequi ſcientiam obiicienti, ſed aliis quoque proficiſci e cauſis contendenti. Vir, inquit, fortis, quae honeſta

sunt, id est, quae iucunda, (omne enim honestum esse & iucundum, largitus iam erat Protagoras) libenter suscipit, proinde nec turpiter metuit, nec turpiter est audax: timidus contra & temerarius, turpiter metuit, & turpiter audet. Turpiter autem audere aut timere, ex ignorantia oritur; cum audeant, quae non deberent audere, quaeque adeo exitio sibi fore non putant: quae enim sibi existimat perniciem allatura, audere nemo potest. Quo concesso, Protagoram, virtutem esse scientiam, indeque, posse eam doceri, cogit largiri; quorsum superiora quoque tendebant argumenta, unam tantum esse virtutem ostendentia: hanc enim virtutem esse sapientiam, seu scientiam, semper subinnuebatur, cum temperantiam, prudentiam, non differre a sapientia simul semper concluderetur. Quae a se sint disputata, inquirendi in virtutis naturam causa esse dicta, cupereque de integro hanc scrutari, ut appareat, quid de virtute sit statuendum, doceri ea an non doceri queat, Socrates testatus, alias haec cum Protagora ventilaturus, cum iam negotiorum causa sibi sit abeundum, e conclusu discedit. Vehementer haec quaestio exercuit Socraticos, multaque ab iis in utramque partem sunt disputata, disputarique facile poterant, cum haberent, quibus utrumque defenderent, rationes graviissimas; cumque, ut saepissime, hic quoque in medio reperiatur verum. Praecipuae sunt in virtutibus scientiae partes: eadem utramque tamen non facit paginam: accedat ad eam natura necesse est & exercitatio. Qui in praerupto altissimoque stant loco, vinculis licet maximis alligati, ne corripiantur vertigine, efficere nulla potest scientia, ne in hominibus vertiginosis usus quidem & exercitatio. Qui a iuventute bibaces sunt facti, ut temperantiam subito in bibendo adhibeant, licet qua ratione vincenda sit bibendi libido, quantaque inde manent damna, omnium sciant optime, sola tamen efficere scientia nequeunt: quique ad iram, libidinem, aliaque, natura sunt proni, ut eadem utantur aequanimitate & continentia, qua alii, quibus frigidiora sunt praecordia, fieri vix posse videtur.

HIPPIAS.

CONGREDITUR in hoc dialogo cum Hippia Elienſi, minorum gentium Sophiſta, Socrates, reprimendaeque illius iactantiae ergo, ne tueri quidem eum poſſe minoris momenti res, quaeque per ſe omnium ſunt manifeſtiſſimae, eum convincit. Poſtquam de Homero multa Hippias diſſeruiſſet; tacentem hactenus Socratem Eudicus, ad faciendum de iis iudicium hortatus, eſſe, de quibus, ni moleſtum ſit Hippiae, percontari eum cupiat, reſponſum ab eo fert. Quo ſimul audito, omnibus ſeſe interrogandi de quibuslibet rebus facere copiam, neminem hucuſque, a quo ſuperaretur, vidiſſe, gloriatur Hippias; felicemque eum praedicans Socrates, Achilleſne an Ulyſſes melior ſit ac praeſtantior ſecundum Homerum, quaerit. Hippias ſtatim, Achillem, inquit, praeſtare; idque patere vel inde, quod Achilles ſit ſimplex, Ulyſſes contra verſutus ac mendax. Contra hoc ita Socrates argumentatur: mendaces ad efficiendum aliquid ſunt apti; quaeque faciunt, non imprudentes, ſed prudentes ſcienteſque faciunt: ſunt ergo prudentes; cumque ſcientes mentiantur, ſunt etiam ſapientes, & quidem ad mentiendum. Qui facultate aliqua ac potentia gaudet, facit, quod vult, quotieſcunque vult, non ex morbo, aliave imbecillitate; idemque in ea ipſa, quam callet, re, eſt optimus, ac praeſtantiſſimus. Iam qui rem quamcunque probe callet, idem in eadem verum ſimul dicere & falſum quam maxime poteſt; imperitus namque dum cupit mentiri, per ignorantiam verum ſaepe dicere cogitur: idque te maxime ſcire par eſt, qui omnes tenere artes te profiteris, quin manu tua quaecunque geris, annulum, veſtem, cingulum, reliqua, fabricaſſe te narras. Sequitur ergo, quicunque maxime poteſt vera dicere, eum ſumma quoque mentiendi gaudere facultate, ſiquidem quotieſcunque lubuerit poterit mentiri,

proinde mendacem ac veracem esse eundem; tantumque abest, ut melior fuerit Achilles Ulysse, ut pares potius sint. Qua sola fuisset defensione utendum, quod ad scientiam ingeniique attinet vim, mendacem non differre a veraci, animi tamen habitu longe esse deteriorem; hanc praetermittens Sophista, victoriam Socrati concedit, suamque in disputando imperitiam praebet ridendam. Quin ne quod excipit quidem, Achillem Homeri esse veracem, satis tuetur: cumque Socrates exempla quaedam de mendaciis Achillis attulisset; prudentem quoque & scientem eum mentiri, ipsumque Ulyssem mendacio fallere, patitur sibi extorqueri.

Quod autem maius est, qui sciens mentitur, iniuriam facit, aliaque peccat, eum praestare per ignorantiam aut errorem peccanti, ut fateatur, cogi se finit; quo ipso Ulysse Achillem esse etiam inferiorem efficiebatur. Hoc Socrates demonstrat ita: malus curſor est, qui tarde currit; qui sponte in cursu est tardus, praestat ei, qui nolens tarditatem adhibet: ergo qui sponte agit male, melior est eo, qui invitus perperam agit; verbo, in artibus quibuscunque melior semper est, qui volens, & viribus recte faciendi non destitutus, peccati quid admittit. Idem quoque de iustitia facile ostenditur: quae si facultas quaedam animi dicatur, maior sit in eo necesse est, qui ad utrumque, tam ad faciendam iniuriam, quam non faciendam, est aptus; sin scientia vocetur, iterum maiorem esse eius scientiam patet, qui utrumque novit: haec namque ratio superior evincit. Iam cum bonus vir sit, qui bonam habet animam, cumque sponte iniuriam facere ad bonam pertineat animam; nemo alius, quam vir bonus, sciens prudensque facit iniuriam; malus contra aut improbus, ex ignorantia est iniurius. Ad haec nihil Hippias aliud, quam concedere se ista non posse: cui lubens quidém Socrates accedit, neque enim & semet haec posse largiri; mirum tamen non esse, si imperitus ipse & rudis in absurda incidat; id vero miserum, quod ne ab Hippiae quidem similibus, sapientiam professis, ac osten-

tantibus, errore possit liberari. Hinc, quam parum in Hippia fuerit solidioris philosophiae, liquido cernitur, cum ne eos quidem nodos sciret solvere, qui nodorum vix numero sunt habendi. Maiori omnino scientia, & plurium rerum cognitione praeditum esse necesse est, qui sciens mentiri, fallere, ac iniuriam valet inferre; praeterea, ex eadem scientia, quae quid verum sit docet, peti quoque certas a vero aberrandi regulas: nec tamen inde, qui sciens peccat, virum esse meliorem efficitur; cum non rerum cognitio aut scientia sola, sed animus rectus, virum bonum faciat. Si quis sciens prudensque alterum laedit, hoc inde est, quod facere, quod debebat, faciendumque sibi intelligebat, ob animi imbecillitatem, affectuumque vehementiam non potest; adeoque maior in hoc animi est infirmitas, quam in eo, qui inscius peccat: hic enim recte sese existimans agere, mente quidem & ingenio inferior est sponte peccante; at animo tamen recto firmoque, quod praecipue virum facit bonum, est omnino superior.

CRATYLUS.

EGREGIE in hoc dialogo de vocabulorum, linguarumque indole ac natura Plato philosophatur, fundamentaque eorum iacit omnium, quae nostra demum memoria uberius a philosophis de linguarum origine sunt expositа. Colloquuntur inter se Hermogenes, Cratylus, & Socrates, quorum primus, nomina consuetudine sola valere; secundus, natura significationem accepisse; Socrates, mediam ingressus viam, tam consuetudine, quam natura, ad res denotandas esse aptata, contendit. Ante Platonem iam hac de re philosophi videntur quaesisse, cum ad Prodici dissertationem provocet Socrates, cumque Cratylus fuisse Heracliti discipulus perhibeatur, indeque, a magistro eum quaedam acce-

pisse, probabile reddatur: sed perierunt haec cuncta, ut ante Platonem scriptum hac de re nihil reperiatur. Quo fit, ut quibus argumentis niratur tam Hermogenis, quam Cratyli sententia, definire, immo, quid senserit Cratylus, ne satis quidem explicare hodie liceat: est enim id obscurius, nec a Platone, in refellendo unice occupato, satis declaratur. Quae initio afferuntur a Cratylo, naturam nomina statuisse, quaeque consuetudo aut hominum consensus invexit, non esse nomina, sed Graecis barbarisque unam esse communem, ad quam singula debeant vocabula exigi, normam; haec obscuritatis habent plurimum, cum, quam intelligat naturam, rerumne, an hominum, omniumque hominum sermonem esse eundem debere velit, non aperiatur. Hermogenis vero clarior est sententia, quam ita proponit: nulla est alia nominum causa, quam conventio, & consensus; quod quis unicuique rei nomen imponit, id ei est nomen; & si idem deinde nomen mutet, nomen posterius haud minus, quam fuerit prius, eius rei est nomen; nullum ulli rei nomen natura est proprium; consuetudo, ac lex eorum, qui cuique rei tribuere aliquod nomen coeperunt, id ut sit ei verum rectumque nomen, efficiunt. Apparet hinc, ex iis praeterea, quae deinde obiicit Socrates, hominum consensui omnia tribuere Hermogenem, ut nihil, praeter arbitrium, ne soni quidem cum re congruentiam, in denominandis rebus secuti sint homines.

Hanc sententiam his oppugnat rationibus Socrates: inest in oratione ac enuntiationibus verum ac falsum; quaeque enuntiatio vera est, totam esse talem, omnesque eius partes veras, necesse est; unde, cum nomen sit enuntiationis pars, id quoque aut verum esse, aut falsum, sequitur. Res porro ipsae in se propriam habent naturam, a nostra opinione, eoque, quod nobis videtur, nullo modo pendentem; quaeque a rebus efficiuntur agendo & patiendo, suam quoque sibi naturam habent; adeoque, quaecunque a rebus efficiuntur, secundum earum naturam, non ad nostram fiunt opinionem. Si quis ergo efficere aliquid

circa res extra se positas cupit, earum sequi naturam, non suum debet arbitrium; secanda sunt omnia, qua secari, comburenda, qua pro sua natura queunt ratione comburi. Cum igitur, qui nomina rebus imponit, quaedam circa eas faciat: non pro lubitu, sed ad rerum naturam accommodate, nomina debet formare. Vocabula porro sunt instrumenta, quorum ope res insignimus: ut igitur in omni negotio instrumentis ad finem aptis est utendum, nec effici quidquam instrumento inepto potest; ita nomina etiam rebus sunt conformanda, ut earum exprimant naturam. Sequitur hinc, nomina recte imponere rebus, non esse cuiusvis, sed eius, qui differendi est peritus; ut non cuiusvis est, instrumenta quaelibet recte adhibere, sed eius, qui artem, cuius sunt instrumenta, callet: is autem, quem dialecticum dicimus, instrumenta fini, quem sibi ars proponit, accommodaturus, talia debet nomina invenire, quae naturam cuiusque rei, & formam, syllabis, literisque exprimant, ut ipsis vocabulis de rerum natura doceantur audientes. Non ergo est cuiusvis, nomina imponere rebus; nec quod quisque alicui indit nomen, id verum est nomen, rectèque rei impositum, ut Cratylus affirmat. In tota hac argumentatione non animadvertit Plato, aliud esse, quod fit, & factum est; aliud, quod fieri debet. Quaevis vocabula rebus quibusvis designandis non aeque esse apta, adeoque si propositum sit hominibus, rerum naturam nominibus aperire, non a quolibet, sed rerum perito, vocabula esse petenda, negari quidem nequit: at propterea a nemine, quam sapiente, vocabula re ipsa esse inventa, minime sequitur; cum voluisse homines, velleque semper, ac necessitate quadam coactos, vocabulis ipsis docere alios, demonstrare Plato neglexerit. Quod autem maius est, hoc ipso, ut secum pugnantia dicat, adigitur: sequitur namque hinc, in nominibus imponendis nihil prorsus valere consuetudinem, quod ipse infra repudiat, quodque experientia etiam quotidiana satis refellit. His sepositis, quae de sermonis dicuntur scopo, praeclara sunt, & a philosophis serioribus, Leibnitio maxime,

expolita; unde de lingua philoſophica, eiuſque indole ac regulis, in diſciplinam quoque logicam multa manarunt.

Hermogenes videtur & ipſe hanc animadvertere concluſionum imbecillitatem; unde rem ita ſeſe habere e ſermone Graeco petit ſibi demonſtrari. Initio ab Homero facto, Socrates nomina hominum ex ipſa re eſſe haud raro petita exemplo Aſtyanactis Hectoris filii, qui, quod eſſet ab eo genitus, qui civitatem praecipue tuebatur, rex civitatis vocabatur, Hectoris ipſius, cuius nomen imperantem ſignificat, Homerumque adeo ipſam ſecutum naturam, demonſtrat. Inde ad nomina heroum deſcendit, quorum plurima, aut mores eorum & ingenium, aut caſus praecipuos indicant: eodem modo Deorum quoque ſeſe habere nomina, ipſamque θεὸς vocem ἀπὸ τοῦ θεῖν eſſe derivatam, quod priſci aſtra ſemper mota, & quaſi ſemper currentia, Deos exiſtimarint; reliquorum denique, quae in univerſo hocce perpetua ſunt, eandem eſſe rationem: ſic corpus σῶμα vocatum, ſeu quia animae ſit ſepulcrum (σῆμα), ſeu quia, ſecundum Orphei ſectatores, animae ſit carcer, ubi ſervetur (σώζηται) anima, donec poenas, quas debet, luat: proinde, non merum arbitrium, ſed naturam, ſecutos homines, nomina rebus impoſuiſſe. His ſimul, quidnam ſibi naturae vocabulum velit, cum natura dicuntur nomina inſtituta, magis declaratur; nihil nempe aliud, quam ad res ipſas reſpexiſſe homines, ut eas, quales in ſe eſſent, vocibus exprimerent, auditoque nomine, quaenam ſit rei natura, docerent. Etſi autem ſint in hac nominum explicatione nonnulla longius petita, obtortoque, ut ita dicam, collo ad ſenſum aliquem fundendum rapta; magna tamen probabilitate plurima dicuntur; maioremque omnino haec, quam ſuperior argumentatio, vim habent, cum experientia ipſa, tale quid ſpectaſſe in inveniendis rerum nominibus homines, doceat, quale debuiſſe eos ſpectare antea concludebatur. Hanc ſententiam ab Heraclito forte Plato accepit, ut qui idem fere, ſi quidem, quae Cratylus deinde affert, ex Heracliti fluxerunt philoſophia, ſenſit, licet obſcurius,

nec satis explicate haec traderet. Is nempe, nisi me omnia fallunt, eo tantum tendebat, vocabula rerum, quod moveri omnia ac mutari subindicarent, ex ipsa esse natura petita, longiusque adhuc a vero distabat. Quam affert de corpore nostro Orphei sententiam, Orpheum ipsum habere auctorem mihi quidem non videtur, cum ruditas ac barbaries Orphici seculi capere eam vix possit, aliique antiquiores Graecorum scriptores nullius, quae huc trahi, aut huic comparari possit, rei faciant mentionem: Pythagoreos potius, quos in mysteria Orphica intulisse nonnulla refert Herodotus, eam, ex Aegypto forte petitam, invexisse in Graeciam putem.

Explicato sat magno vocabulorum numero, derivatisque his e prioribus aliis ac simplicibus, ad prima haec & simplicia sermo tandem devolvitur, eaque an eandem subeant cum derivatis legem, quaeritur. Quae his cum rebus ipsis intercedit, similitudinem, hoc modo Socrates declarat: si caruissimus voce; animi sensa manibus, capite, gestibusque aperire aliis, rerum imitando naturam, studuissemus, leve, & quod supra nos est, manibus ad coelum sublatis; grave contra, & quod infra nos est, manibus ad terram demissis; equum currentem, aliave animalia, motu eorum habituque, quoad fieri eius potest, expresso, significassemus. Voce itaque & lingua si quid indicare aliis cupimus, imitando hoc esset exprimendum; quique ovium, gallorum gallinaceorum, animaliumque ceterorum, exprimeret vocem, hoc ipso nomen iis imponeret; quod consentaneum minime videtur, tum quia imitatio, quae fit per musicam & sonos, alia est ab ea, quae fit verbis; tum quia hac ratione ea tantum exprimuntur, quae rebus sunt adiuncta, non ipsa rerum in se natura; musica namque sonos, pictura colores tantum exprimit imitando. Quae contra verbis fit imitatio, cum ipsam debeat aperire rerum naturam, eique respondere, aliter est instituenda. Constant vocabula syllabis & literis: literae ergo & syllabae ita sunt deligendae ac componendae, ut, quid quaevis in se sit res, declarent. Hanc

imitationem enarraturus, ignoſci ſibi, ſi ridicula & inſolentia afferat, Socrates petit: quo ipſo, horum ſeſe eſſe auctorem, utpote novorum, ſatis prodit Plato. Literas primum contemplatus, r ad motum ſignificandum valere, eamque literam in vocibus ῥεῖν, τρόμος, κρούειν, aliiſque motum ſignificantibus occurrere; quod in ea proferenda vehementer lingua concutiatur: i tenuia omnia, & ob tenuitatem cetera pervadentia, indicare: ſ, ph, pſ, z, ob ſpiritum vehementer emiſſum vehementiam ſignificare, velut ψυχρὸν, ζέον, σείεσθαι: in literis d & t proferendis, cum lingua dentibus applicetur, iiſque quaſi inhaereat, ad quietem & vinculum eas traductas: l, quod lingua labente pronuntietur, lenia, liquida, glutiniſque vim habentia, deſignari: g ob ſimilitudinem literae prioris, γλυκὺ, & γλίσχρον exprimi; & ſic porro literam quamvis, pro ſua natura, ad ſignificandum, quod ei reſpondet in rerum natura, adhiberi, demonſtrat. Utinam, quae de imitandis animalium vocibus afferuntur, proſecutus Plato eſſet! inciderat ibi in veram linguarum originem explicandi rationem, quam prae ſubtilitate nimia, nimiumque fidens iis, quae a priori ex imitationis natura eruerat, ac hypotheſi, debere vocabula rerum exprimere naturam, deſerit ac ſpernit. Nihilo tamen ſecius recentioribus, qui uberius hoc imitationis genus expoſuerunt, Herdero, aliiſque praeivit. Quae de literarum dicuntur poteſtate, praeter ſubtilitatem, veri etiam multum habent, ſuntque a Leibnitio, ac nuperrime etiam Des Broſſes, ſcriptore Gallico, magis illuſtrata ac aucta. Quod huic ineſt veri, id omne, mea quidem ſententia, a priori imitationis genere trahitur: primi enim ſimpliceſque linguarum auctores, eſſe literas ignorantes, vim earum ac poteſtatem non animadvertere, multo minus ſingulas ad exprimendam rerum ſimilitudinem poterant deligere. Inde factum quoque, ut una eademque litera eandem ſemper non denotet rem: quod fugere, ſi voces Graecas cum aliarum linguarum vocabulis idem ſignificantibus, contuliſſet, nec Platonem potuiſſet.

Everſa his argumentis, aſſentiente Hermogene, eorum opinione, qui omnia ab arbitrio hominum vocabula derivabant, ad impugnandum Cratylum Socrates convertitur: contra quem, utpote ſententiam, quod queritur etiam Hermogenes, non ſatis aperientem, obſcure diſputat; unde fit, ut, quo tendant ſingula, divinando magis, quam perſpicue intelligendo, aſſequamur. Nomina, ut de rerum natura doceamur, rebus eſſe impoſita, eſſeque artem quandam circa nominum impoſitionem verſantem, Cratylus concedit; ſed nomina alia aliis magis convenire rebus, negat, quaecunque vere ſunt vocabula, ea iure etiam rebus eſſe propria, cetera ne nomina quidem eſſe, ſed inanes ſonos, contendens; imitari quidem voces rerum naturam, eamque imagine quaſi exprimere, ſed errori locum eſſe nullum, ut adeo nullum nomen tribui perperam alicui rei queat. Obſcuriſſima ſunt haec, & a communi hominum ſenſu remotiſſima; lucem tamen aliquam licet iis affundere e Protagorae, quae forte & Heraclito placuit, allata in ſuperioribus ſententia, quam hic etiam tangit Plato: neminem mentiri poſſe, aut errare. Nomina nempe rerum exprimunt naturam, ſuntque rerum quaſi picturae: hoc non humano inſtituto, aut ingenio, ſed ab ipſa habent rerum natura, & quadam neceſſitate fatali; cum ita ferat hominum natura, ut dici aliter res, quam ſint, prorſus nequeant. Cui ſi quis obiiciat, vocabula tamen alia eſſe aliis praeferenda, rebuſque multa eſſe nomina indita, hominibus inprimis, quae earum non exprimunt indolem: regeritur ſtatim, non eſſe haec vocabula, ſed ſonos inanes; cum aberrare, aut falli, nemo queat. Haec ſententia in haud paucis ab ea, quam Plato ſuſcepit defendendam, abit, quippe quae induſtriae ingenioque humano in fingendis rerum nominibus locum relinquit, neceſſitatemque fati excludit; quaeque conſuetudini, ut infra patebit, adeoque & errori multa tribuit, voceſque alias aliis rebus magis congruere largitur.

Hanc ob cauſam oppugnat eam Socrates ſic, ut ſingula eius fundamenta ſubruat, initio inde facto, quod non licere

in nominum impoſitione errari, Cratylus poſuerat. Sunt igitur verba rerum picturae: hinc efficitur, ut perperam imagines pictas diiudicat, qui viri imaginem mulieris, mulieris contra eſſe viri imaginem putat; ita qui nomen, huius rei exprimens naturam, alii tribuit, haud recte facere, quod errare in nominibus omnes dicunt. Quod ſolet autem ab aliter ſentientibus dici, in picturis quidem, non autem in rerum nominibus, accidere eiuſmodi aliquid poſſe, nihil eſt: ut enim alterius imaginem licet tuam exiſtimare, ita alienum quoque nomen tribui tibi per errorem poteſt. Cum ergo in diſtribuendis nominibus errori ſit locus; alia recte, alia perperam rebus imponi, aliaque aliis praeſtare, ſequitur. His conſtrictum ſeſe ſentiens Cratylus, aliud molitur effugium, tanta tamen utitur obſcuritate, ut vix, quid ſibi velit, aſſequare. Si quis, inquit, nomen aliquod aliter ſcribat, quam eſt ſcribendum, omiſſa vel tranſpoſita quadam litera; aliud plane nomen prodit, multumque abeſt, ut recte iſtud ſit ſcriptum. Vis obiectionis in hoc videtur conſiſtere: ſi minimus in nominibus error, ut aliud plane prodeat, quam quod debebat nomen, efficit; idque nomen non eſt verum rei nomen: errare in nominibus non licet; nec alterum altero melius eſt dicendum, cum nullum niſi unicum tantum verum ſit cuiuſque rei nomen. Ad haec Plato, nomina non eſſe ſicut numeros, quorum, demta vel addita unitate, natura ſtatim ac ſpecies mutatur; ſed imaginum potius habere naturam, quae, licet per omnia non ſint rebus ſimilia, imagines tamen dicantur, nec dici aliter queant, cum, quae ſunt plane ſibi ſimilia, duo ſint eiuſdem generis individua, nomenque adeo ſive imago Cratyli, ſi omnia, quae ipſe Cratylus, haberet, Cratylus alter foret; pluribus itaque unam eandemque rem nominibus poſſe notari. Haec Cratylus, ad rhombum non pertinere ignorans, concedit: quamvis enim imago nequeat per omnia eſſe ſimilis ei, cuius eſt imago; non minus tamen, nomen perperam ſcriptum aut prolatum, aliud plane, quin alius ſaepiſſime, quam quod & cuius debebat, nomen eſt. Ita

potius reſpondendum, nomen recte an perperam rei tribuatur, non e literis eius ac pronuntiatione, ſed fine adhibentis iudicari; quique nomen perperam pronuntiat, ac ſcribit, putans ſe recte facere, eum errare, nec, quod debet, rei nomen tribuere: ex argumento Cratyli aliud liquere nihil, quam mutatum per errorem nomen, haud eſſe amplius huius rei nomen; non autem, eſſe unum tantum unicuique rei natura nomen. Iam Cratylus in literis quoque ac ſyllabis latere aliquid, quo rebus ipſis ſint ſimiles, negare amplius nequit: cumque in eo omnes iam conſentirent, nomina ſignificare natura, id eſt, intercedere iis quandam cum rebus, quarum ſunt vocabula, ſimilitudinem, quae Cratyli minime fuerat ſententia, cum a natura proficiſci vocabula aſſereret; an omnia ſint rebus nomina ſimilia, Socrates inquirit. Literam r, quod aſperum eſt, l vero laeve & molle, propter ſimilitudinem indicare ſupra eſt demonſtratum: nihilominus vocabulo σκληρότης ineſt litera λ, aſperitati ac duritiei repugnans, ineſt quoque litera σ, ad duritiem nihil pertinens, cum σκληρότης potius, Eretrienſium dialecto, eſſet dicendum; ergo rei naturae hoc vocabulum non ſatis eſt adaptatum. Cum autem, quid ſibi velit hoc nomen, intelligatur; conſuetudine id fieri, conſuetudinemque & conſenſum in nominibus quoque ſuam habere vim, confitendum.

Reſtat una pars, in ea, quam amplexus erat Cratylus, ſententia refutanda, eaque talis. Nomina ſignificare natura, non modo quales hominibus, vocabulorumque inventoribus, videntur res, ſed quales etiam revera ſunt, ut, auditis vocabulis, intimam earum veramque ſtatim liceat naturam perſpicere, id eſt, ipſam denotare naturam, ea fultus ratione Cratylus contendebat, quod fluere omnia ſemperque mutari ſubindicarent. Contra haec Socrates: qui rebus nomina impoſuit, id tantum, quod ſibi videbatur, ſpectans, ipſam rerum veritatem parum attendit: nec magni eſt momenti, quod obiicitur, nomina in idem fere tendere; cum ex errore id queat proficiſci, cumque ſint plurima etiam,

quae, non mutari ſemper omnia, ſignificant vocabula. Scientiae namque vocabulum (ἐπιστήμη) derivatur a ſtando: cui, ſi quis curioſe inquirat, ſimilia multa reperiet, indeque, exiſtimaſſe nominum auctorem non fluere omnia, concludet. Sunt praeterea in hac ſententia, quae ſibi repugnant: dictum quippe ſupra, a nominibus ad rerum perveniri cognitionem; unde efficitur, primum vocabulorum auctorem, cum nondum eſſent nomina, nec noſci res ſine nominibus queant, non ſcientem, ſed ignorantem, (quod tamen negabatur) nomina rebus impoſuiſſe.

Hoc deiectus praeſidio, aliud Cratylus propugnaculum molitur, verum nempe ſeſe putare, quod dicitur a quibuſdam, naturam homine praeſtantiorem, ſive ſit Deus, ſive Daemon, prima rebus nomina indidiſſe. Sic ergo in eandem fere devenit ſententiam, quam Siſimilchius haud multis abhinc annis ſuſcepit defendendam, Deum linguarum primum eſſe auctorem; eamque haud abſimilibus tuetur argumentis. Huic namque in linguarum ordine & oeconomia divini quid videbatur ineſſe; Cratylus in ipſa vocabulorum cum rebus congruentia latere aliquid putat, quod humanum ſuperet ingenium. Quae ſi conſideraſſet, aut legiſſet ſcriptor nuperus, petere novum inde ad defendendam ſententiam argumentum potuiſſet. Comparatis inter ſe his omnibus, haec tandem ſurgit probabilis Heracliteae opinionis, ſive Cratylo eam malimus tribuere, interpretatio: vocabula rerum ipſarum ſignificant naturam, ut, perſpecto rei cuiuſque nomine, ipſam rem liceat cognoſcere, eſtque inter res earumque nomina ſimilitudo naturalis; inventa tamen ſunt vocabula non neceſſitate naturae, ſed Dei, aut Daemonis rerum naturam habentis perſpectam, ſapientia. Propugnaculum hocce ita Socrates expugnat: derivantur vocabula multa a motu, ſed haud pauciora quoque a quiete: ergo, quod minime fas eſt arbitrari, Deum hunc ſive Daemonem ſecum pugnantia ſenſiſſe, ſequitur; ſiquidem omnia fluere, & non omnia fluere, his vocabulis docuit. Idem praeterea, cum fluere omnia ſit falſum, in errorem nos

inducere esset dicendus. Hoc autem sic maxime patet: non e vocabulis, sed ex se ipsis potius, res sunt diiudicandae, ac cognoscendae; vocabula enim cum non omnia tendant eodem, sed alia ad motum, alia ad quietem spectent omnium rerum, dirimi hanc litem, non exstantibus aliis, ad quae provocemus, vocabulis, e rebus ipsis, necesse est. Praeter ea, quae adiunctam sibi habent pulchritudinem, facies v. g. est aliquid per se pulchrum, quod semper est eiusmodi, ab omnique mutatione remotum: pulchritudo enim ipsa si flueret semper, res nulla nec pulchra dici, nec deformis, immo ne agnosci quidem res ulla posset; dum enim accederet ad rem vis, qua cognoscitur, mutata iam haec, cognitionem subterfugisset. Quin ne cognitio quidem locum haberet ulla; ipsam namque perpetuo mutari cognitionem, & quod erat antea, esse desinere, id est, in non-cognitionem transire, necesse foret. Vera omnino sunt haec, ac supra in Theaeteto allatis similia, clarius tamen expositа.

GORGIAS.

DISPUTAT cum Gorgia, Leontino fortasse, rhetore & Sophista celeberrimo, Polo rhetore itidem, alio tamen fine dubio a Polo Pythagoreo, & Callicle, de natura & utilitate rhetoricae artis, Socrates; defensamque ab illis, omni conatu oppugnat, ut quae ad corrumpendos quidem deliniendosque verborum blandimentis homines valeat, veram tamen utilitatem iis afferat nullam. Quod quo tueatur fortius, in philosophiam morum descendit, & quale sit, quod in omni vita sectari maxime oportet homines, docet. Callicles, qui, ut ex ipso patet hoc dialogo, nuper rempublicam coeperat tractare, Socrati, ingentem eum feciſſe iacturam, non audita egregia Gorgiae disputatione, narrat, eoque ipso cupiditatem Gorgiam audiendi accendit. Ad quem

dum pergunt, Socrates Chaerephonti praecipit, amicum ſibi eſſe Gorgiam narranti, ut, quiſnam ſit, ex eo quaerat: quo, ut viam ſibi muniret, anne ad quaevis interrogata reſponderet, ex eo quaerente; ore hianti Gorgias, id ipſum ſeſe profiteri, neminemque unquam novi quid ex ſe quaeſiſſe, reponit. Polus, multa dicendo defeſſum iam Gorgiam cauſatus, reſponſurum ſe pro eo profitetur; quaerentique Chaerephonti, in quanam arte excellat Gorgias, In praeſtantiſſima, non minori iactantia, quam imperitia, reſpondet. Arrepta occaſione Socrates, eoque reprehenſo, addit, cupere Chaerephontem, non qualis ſit eius ars, ſed quaenam, id eſt, quo vocetur nomine, noſſe, & orationem rurſus ad Gorgiam convertit. Quo rhetorem ſe profitente, rhetoricamque verſari circa λόγους affirmante, redarguit hoc ipſum Socrates, tanquam haud ſatis accurate expoſitum; λόγους namque rationes rerum & cauſas, ſermones praeterea, & orationes ſignificare. Sublaturus hanc ambiguitatem Gorgias, orationeſque ad rhetoricam pertinere affirmans, in aliam rurſus incidit ambiguitatem: plura namque ſunt orationum genera; ergo, quinam ſit finis ſuae artis, nondum patet. Quem ſummum eſſe & maximum in vita hominum bonum, affirmando, in novam incurrit reprehenſionem, quod bonorum plurima ſunt genera, omneſque artes ac artifices magnum quoddam & praecipuum ſeſe allaturos bonum profitentur. Regerit Gorgias, finem nihilominus ſuae artis maius eſſe his omnibus bonum, cum poſſe ſenatui, populo, iudicibus, quaecunque libuerit, perſuadere, ſit reliquis omnibus praeferendum, ut quo aliis artibus & artificibus cunctis imperatur. Hoc ipſum nihilominus a Socrate reprehenditur denuo, quod aliae quoque artes efficiant perſuaſionem, & facere quaedam hominibus imperent; definiendum ergo accuratius, in quibuſnam verſetur rebus perſuaſio, quam efficit rhetorica. Tandem Gorgia, efficere eam perſuaſionem in iudiciis, populorumque conciliis, affirmante; Socrates hoc arripit, ut haud magni eſſe rhetoricam pretii evincat.

Perſuaderi aliquid nobis duobus maxime modis poteſt: altero, ut ſcientiam ſimul eius adipiſcamur, prodeatque e ſcientia perſuaſio; altero, ut abſque ſcientia fidem perſuadenti habeamus. Horum primum eorum modo eſt, qui rem, de qua loquuntur, probe callent: cumque orator adhibendam medicinam, portus conſtruendos, caſtella erigenda, aliaque hominibus perſuadeat, licet medicus, architectus, rei militaris peritus non ſit, dicatque de rebus, in quibus quolibet artis perito ſeſe fatetur inferiorem; perſuaſionem eum efficere eam, quae eſt abſque ſcientia, ſequitur: cum porro de eo, quod iuſtum eſt ac iniuſtum, ſaepiſſime ſit oratori dicendum; de his quoque eum loqui abſque ſcientia, fidemque extorquere hominibus, non recte doctis, errori obnoxiam, eſt concedendum. Hoc autem ipſum, ſubiicit Gorgias, ad declarandum, quanta ſit in oratore vis, quantaque in eius arte praeſtantia, egregie valet: perſuadere enim hominibus, quae ipſe neſcias, & in quibus te artis perito fatearis inferiorem, praeclara res eſt ac divina. Ea tamen huius artis eſt natura, ut liceat ea ad turpia, iniuſta, noxia abuti; in eoque ſimilis eſt gymnaſticae, armorumque tractandorum arti, quae, licet in hoſtes ſint comparatae, verti tamen & contra cives, & quos laedere nefas eſt, poſſunt. Sed nemo ea propterea abutetur; quique ſunt veri nominis oratores, ad civium civitatiſque perniciem, ſuam non adhibebunt facultatem. Haec Gorgias: ſimulque animadvertens, quorſum tenderet Socrates, & abrumpere diſputationem ſtudens, a reliquis ad continuandum ſermonem renitens inducitur. Concludit igitur rationem Socrates ſic: orator arte ſua utitur ad populum, id eſt, ignorantes; orator, quorum nulla ineſt ei ſcientia, perſuadet; ergo orator, ignorans ipſe, ignorantibus perſuadet: quod eſt primum abſurdum. Oratorem porro, cum de eo, quod iuſtum eſt & iniuſtum, praecipue ſit ei dicendum, noſſe haec ipſa eſt conſentaneum, eaque aut tenere iam, priuſquam ad diſcendam dicendi artem accedit, aut ab ipſo rhetorices magiſtro accipere. Si ergo iuſtus eſt, qui, quae ſunt iuſta, didicit; ora-

torem esse iustum debere: & si iustus arte nulla uti iniuste potest; dicendi artem non posse ad usus iniustos adhiberi, contra quam supra Gorgias dixerat, sequitur: quod est absurdum alterum.

Gorgia ad silentium redacto, defensionem eius suscipit Polus, negatque a Gorgia recte concessum, debere oratorem, quae iusta sint aut iniusta, habere perspectum; & Socrate paratum sese ad rem cum ipso inquirendam ostendente, partes interrogantis suscipiens ipse, quidnam esse rhetoricam existimet, ex eo quaerit. Usum quendam, non artem, respondet Socrates, empiricamque homines delectandi, eosque sibi conciliandi, peritiam: inde, cum esse eam bonam praeclaramque inferre statim conetur Polus, obsistit ille, quod iucundum sit quidpiam, inde effici ut bonum sit, negando. Sibi enim ita esse persuasum, artem dicendi in ea iure referri studia, quibus blandiri hominibus & adulari solemus, in quorum numero inter alias haud paucas, coquorum, fucantium, & Sophistarum artes sunt; eam autem habere speciem quandam eius artis, qua gubernantur & administrantur respublicae, nihilque ei praeclari aut honesti inesse. Cum autem in exquirenda hac Socratis sententia, imperitiam differendi Polus prodidisset; ut sententiam magis aperiat, Gorgias a Socrate petit. E duabus nos homines partibus, anima & corpore, constamus; sua utrique est ut prospera, ita aegra valetudo; sunt etiam, quibus efficitur, ut tum corpus, tum anima valeat, aut valere tantum videatur; quae animae conciliat valetudinem ars, doctrina civilis est; medicina & gymnastica circa corpus versantur. Harum speciem sibi arrogat adulandi, non ars, sed facultas, experiundo comparata, certas non agnoscens regulas: quae efficit, ut anima & corpus videantur tantum valere; coqui enim & qui fucum illiniunt, iucunditatem unice respicientes, hac deliniunt homines, corporibusque nocent; eodem modo Sophistae & oratores aggrediuntur animam verborum ac ratiociniorum blanditiis, utilitatem, ac animorum emendationem insuper habentes, nullaque ob haec existimatione digni.

Vere haec de arte dicendi, qualis tum temporis erat, a Socrate dicuntur: demagogi namque, se modo respicientes, pecuniaeque undecunque corradendae intenti, utilitatem publicam parum curabant, virosque patriae amantes capite damnari, aut in exsilium eiici, omni virium contentione studebant. Ut autem refelleretur Socrates; non esse eam semper talem, sed maximas, si recte adhibeatur, posse utilitates afferre; esse insuper, cum naturae humanae imbecillitas, ut nudis semper gubernemur ratiociniis, non patiatur, cumque delectus verborum & compositio magnam habeat ad animos vim, maxime necessariam, aliaque his affinia erant afferenda.

Haec omnia non animadvertens Polus, nullamque aliam, praeter suae aetatis oratorum, artem dicendi agnoscens, levia quaedam opponit, nulloque a Socrate negotio superatur. Quod enim plurimum in civitatibus posse oratores affirmat, id negatur, cum potentia, nisi habenti sit utilis, in bonis non habeatur, sitque revera imbecillitas: quod autem porro memorat, oratores tyrannorum instar interficere, bonis exuere, in exsilium eiicere, quoscunque lubuerit, refellitur eodem fere modo; faciunt quidem quod lubet, non autem, quod volunt, volumus enim id modo, quod optimum est nobis, & facere, quae lubet, adeo non est potentiae, ut summae sit haud raro insaniae. Nihil hoc modo sese proficere, insuper a Socrate etiam, quod perperam interrogaret, reprehendi Polus cernens, explicare, quae modo dixerat, & demonstrare Socrati permittit; isque argumentationem ingreditur talem: quae facimus, non volumus propter se ipsa, sed propter eum, quem nobis proposuimus, finem: medicinam sumere non sui, sed valetudinis causa volumus; adeoque, quae nec bona sunt, nec mala, non sui, sed bonorum causa volumus, & facimus. Sunt autem haec, ire, sedere, currere, multa alia, interque ea interficere etiam, bona alii auferre, in exsilium aliquem eiicere: si quis igitur orator aut tyrannus interficiat, aut exuat aliquem bonis; facit qui-

dem, quod lubet, non autem, quod vult, praesertim cum id ipsum sit malum; si autem non facit, quod vult, & potentiam habenti oportet esse utilem, non sunt haec potentiae, sed imbecillitatis potius, argumenta. His Polus, cum nihil aliud haberet, argumento ad hominem occurrit. Ipsene, inquit, posse, quae lubet, in civitate optares? iuste fiat an iniuste parum curans. Nollem, respondet Socrates, maxime si iniuriam haberet adiunctam: siquidem afficere iniuria, quam affici, magis est malum; nec tyrannidem adeo delatam acciperem. Posse, quae lubet, non est res magni aestimanda, siquidem, quicunque arrepto pugione metuque aliis incusso, circumambulat, vestes aliorum scindere, vitam iis eripere, aliaque multa potest; cum tamen poena ei deinde sit luenda, male ei omnino haec potestas cedit. Quaelibet ergo potentia, quae habenti damno est, non est veri nominis potentia dicenda; & quodcunque fit iniuste, auctori semper est damno. Hic ad experientiam provocans Polus, multos, iniuste agentes, felices ac beatos fuisse, & esse, exemplis e rebus nuper gestis conatur demonstrare. Negat contra Socrates, sequi id ex Poli exemplis, cum, qui iniuria tyrannidem occuparit, felix quidem, at nunquam esse beatus queat, magnumque inter utrumque intercedat discrimen: sibi ita esse persuasum, qui iniuriam infert, si poenas det, miserum; si non det, multo esse miseriorem.

Hoc ut demonstret, egregiam ingreditur argumentationem, qua nescio an primus Plato sit usus: ante Socratem certe nullum eius apud Graecos occurrit vestigium. Iniuriam facere turpius profecto est, quam iniuriam pati; si autem turpius, etiam peius: nihil enim, nisi quod honestum est, esse bonum potest; & quaecunque sunt turpia, eadem esse mala, necesse est. Pulchra & honesta, aut ob utilitatem, aut ob voluptatem, qua contemplantes afficiunt, pulchra dicuntur; idque in corporum formis, rerum coloribus & figuris quibuscunque, legibus, disciplinis, cernere licet. Quod ergo pulchritudine superat,

in eo plus esse aut utilitatis, aut iucunditatis; & quod deformitate vincit ac turpitudine, id plus damni afferre, aut doloris, necesse est. Cum itaque, qui iniuriam infert, non doleat magis, quam cui infertur, adeoque iniuria afficere, propter dolorem, quem affert, dici turpius nequeat; facere iniuriam ideo tantum haberi turpius, quia magis nocet, id est, iniuriam facere plus damni afferre, quam iniuriam pati, recte sequitur. Pulchrum, honestum, & praeclarum, quod in suo genere perfectione excellit, quia uno apud Graecos vocabulo insigniatur, inter se Plato confundit, idque ratiocinio nonnihil obest: pulchri namque quamvis egregie declaretur natura, primusque, ni fallor, Plato has pulchritudinis causas aperuerit; honestum tamen nonnihil ab eo differt, nec derivari aut ab utilitate potest, aut a voluptate, quam contemplantibus affert, nisi definitum sit ante, utrum iucunditas ea ex respectu ad utilitatem, consuetudine ac legibus adiunctam actionibus, an a natura proficiscatur ipsa. Qui in disputando magis esset quam Polus exercitatus, iniuria afficere turpius quidem esse, quam iniuria affici, non tamen propterea magis damnosum, turpitudinem namque manare e respectu ad voluptatem, eam vero institutis hominum legibusque deberi, proinde suapte natura turpe sensui & naturae non esse adversum, statim reponeret. Magis igitur declarandum fuisset, argumentisque firmioribus fulciendum, quod recte ceteroquin dicitur, omne honestum esse etiam utile, veramque sine honestate utilitatem nullam; in quo demonstrando Stoici, a Platone rem ipsam mutuati, diligentiam adhibuerunt multam. Hoc posito, facile Socrates, maius esse malum poenas ob illatas aliis iniurias non dare, quam impune eas ferre, probat. Qui ob iniurias illatas punitur, iure dat poenas; qui iure punitur, iusta patitur a puniente iuste agente; ergo, quae pati eum par est, suntque adeo honesta, ab altero honeste agente patitur; siquidem iustum qua tale, est etiam honestum; ergo etiam bona, id est, sive utilia sibi, sive iucunda, cum honestum omne sit

etiam bonum. Quam autem poena affert utilitatem, ea in animi ponitur emendatione: iniuſtum enim eſſe, intemperantem, timidum, aliiſque vitiis inquinatum, nihil eſt aliud, quam animum habere malum; eique nullum aliud, quam poena recte inflicta, adhiberi remedium poteſt. Ergo quem vitiis poena liberat, adeoque qui poenas luit, minus miſer eſt eo, qui omnem effugit poenam, & vitiis inquinatus aetatem degit. Solent quidem homines, quanto maximo poſſunt ſtudio poenas vitare; ſed ab ignorantia id, & dolorum metu proficiſcitur, dum, in quonam vera ſit & maxima utilitas poſita, neſciunt, aut ſcire nolunt. Poſitis his, artem oratorum nihil plane eſſe utilem, immo revera nocivam, efficitur, cum ad defendenda aut excuſanda, quae iniuſte ſunt perpetrata, praecipue adhibeatur; cumque homines, ſi ſaperent, ſeſe, ut medico in morbis corporis, ita & iudici in morbis animi, curandos & caſtigandos deberent tradere. Praeclariſſime haec ac veriſſime a Socrate dicuntur: an autem is ſit horum auctor, ambigo, cum nullibi inter Socratis dicta haec occurrant; magiſque adeo, ut Platoni haec adſcribam, animus inclinat.

Polo ad ſilentium redacto, partes eius & ſimul Gorgiae ſuſcipit Callicles: qui, reprehenſo nimio utriuſque & intempeſtivo pudore, quo concedere falſa ſint coacti, legem inter & naturam diſtinguens, ſecundum illam recte quidem Socratem docet afferere, peius eſſe iniuriam facere, quam pati; ſecundum hanc contra, qui iniuriam patitur, deterioris omnino eſſe conditionis eo, qui infert. Servi namque eſt iniuriam pati, & eius, qui adeſſe ſibi neſcit: multitudo, cum imbecillitatem intelligeret ſuam, legem tulit, qua iniuria omnis prohiberetur; natura autem fortioribus omnia indulſit, & ubique validioribus ius & imperium in imbecilliores dedit, ut in gentibus eſt videre, quarum quae ſunt opulentiſſimae, reliquis imperant. Ad hanc, miſſa inani philoſophia, eſt reſpiciendum: quae in adoleſcentibus, ſi moderate tractetur, eſt quidem probanda; in viris vero, ubi omnis ei impenditur opera, reprehendenda, ut quae ho-

mines corrumpit, &, quo minus magni quid aut praeclari poſſint in republica gerere, impedit. Vitant philoſophi coetus hominum, & forum, ubi, ſecundum Homerum, viri laudem ſibi & dignitatem parant; conduntque ſe cum tribus aut quatuor adoleſcentulis in angulum aliquem, de rebus exilibus nulliuſque momenti diſſerturi. Increpat denique Socratem, in ſenectute adhuc philoſophiae argutiis vacantem, eique, ut relicta garrula hac arte, maiora, viroque digna tractet, magnopere ſuadet. Vetus ergo eſt haec philoſophiae reprehenſio, quam repeti hodieque ſaepiſſime videmus, indeque tantum petita, quod ad honores ac divitias philoſophia viam non munit. Quod ſi quis inſpiciat curioſius, laudi magis eſſe, quam vituperio, philoſophiae intelliget: quae enim ad corpus pertinent, magni faciunt omnes, nullaeque, quam quae his occupantur, artes, magni aeſtimantur, aut praemiis afficiuntur; animum contra & rationem negligunt, ſeu quanti ſit non intelligentes, ſeu ſatis ſe ab ea inſtructos ſibi quiſque perſuadentes: qui ſi maximum id eſſe & optimum intelligerent, quo maxime ſunt homines, & in quo vitae omnis eſt poſita felicitas; philoſophiam, qua excolitur ratio, expulſis erroribus, quaque bene beateque vivendi traduntur praecepta, plurimi profecto facerent. Ceterum primus, ni fallor, Plato, iuris naturae hic mentionem facit, dum, quod lege eſt iuſtum, diſtinguit ab eo, quod natura eſſe iuſtum voluit.

Hanc Calliclis ſententiam ut refellat, quinam ſit intelligendus validior, Socrates ab eo quaerit, nulloque plane ſenſu, meliorem ſecundum naturam plus habere iuris deteriori, oſtendit. Fac meliorem eſſe, qui plus habet virium; tum imbecilliorem debere fortiori parere, nihilque praeter robur iuris eſſe regulam, ſequitur. Iam multi plus poſſunt uno, quaeque adeo iubet multitudo, ſunt iuſta: at eadem haec multitudo, melius eſſe iniuriam pati, quam facere, ſcivit, haec enim communis eſt omnium fere hominum opinio; ergo non lege, ſed natura, ab inferenda

imbecillioribus iniuria arcemur, falſumque eſt, quod ſupra dicebatur, naturam fortiori quidlibet audendi ius indulgere. Captus his Callicles, alium huic vocabulo ſenſum ſubiicit, melioreſque ſeſe putare praeſtantiores, id eſt, prudentiores, affirmat. Eſto, inquit Socrates; tum ſequeretur, ſi multa eſſent in uno loco, quae ad cibum potumque pertinent, multique, quibus haec diſtribuenda, homines, unus tamen naturam eorum magis intelligens, circaque edenda & bibenda magis ſapiens, medicus nempe; hunc unum plus reliquis omnibus inde auferre, licet ſit infirmiſſimus, minimeque indigeat, iure poſſe ſequeretur; qui ſartor eſt peritiſſimus, veſtes ei pretioſiſſimas iure deberi, & ſic porro. Negat Callicles, ſutores, ſartores, medicos, horumque ſimiles ſe intelligere, cum prudentiſſimorum faceret mentionem, ſed eos, qui in adminiſtranda republica reliquos prudentia vincunt, ſimulque animo ſunt forti: hos iure hominibus imperare, ſuoque arbitrio rempublicam adminiſtrare, ut nulla praeter hoc lex regulaque iuris agnoſcatur; horum hominum cupiditates nullis debere circumſcribi limitibus, nullaque ratione reprimi; eis licere, quaecunque ab his cupiditatibus ſuadentur; quae enim de temperantia, moderatione, aliiſque virtutibus vulgo feruntur, haec nulli rei, quam imbecillitati multitudinis, deberi, ob id ipſum has leges ſciſcentis, ut aliqua ſaltem ratione, qui ingenio praeſtant & fortitudine, coercerentur, nec dure nimis eam tractarent; cui ſi contigiſſet illuſtri loco naſci, indolemque animi eam nanciſci, qua ad imperandum idonei reddantur homines, temperantiam hanc reliquamque virtutem ſpreviſſet, luxuriamque & intemperantiam, ut ſunt, virtutes cenſuiſſet.

Haec Socrates primum ſimilitudine, deinde argumentis ex ipſa rei natura ductis, abſurda eſſe oſtendit, indeque aliam eſſe naturae legem demonſtrat, quae cupiditatibus imponat modum, & ſuum cuique iubeat tribuere. Vita, qualem deſcripſit Callicles, miſerrima profecto foret, mortique ſimillima; ut recte dixerit is, qui nunc mortuos eſſe

nos, corpusque nostrum sepulcrum esse, affirmavit, (est autem is Heraclitus, ideo fortasse hanc amplexus sententiam, quod anima, quamdiu in hoc universo degimus, a Deo, unde manavit, est seiuncta, vitae illius divinae post mortem rursus, ubi Deo, instar guttae in mare cadentis, coniungetur, futura particeps) unde Siculus quidam aut Italicus vir eam nostri partem, cui insunt cupiditates, dolium nuncupavit, idque dolium in stultis & non initiatis esse perforatum, ut, quidquid infundatur, effluat, quos adeo iis, qui apud inferos in vas perforatum cribro inferre aquam coguntur, simillimos pronuntiavit. Siculum hunc videtur intelligere Empedoclem, quem Italicum a secta, quam maxime sequebatur, Italica nuncupat. Quo magis autem haec illustrentur, aliam addit imaginem: fac multa esse duobus viris dolia, integra alteri & plena vini, mellis, lactis, aliorumque fluidorum; perforata alteri & putrida, fluidisque paratu difficillimis repleta: ille de doliis haud admodum erit sollicitus; hic contra, ut quantum noctu effluit, interdiu rursus affundat, multas magnasque subibit molestias. Illi temperans, huic intemperans est similis; adeoque hunc esse miserum efficitur. Negat Callicles, siquidem cui plena sunt dolia, nullam amplius percipit voluptatem, quippe quae infusione continua paratur. Egregia sane, ex intimaque animi natura hausta responsio, quam utinam Plato aliique Graecorum philosophi magis pensitassent! Hi namque summam veramque felicitatem ponunt in statu, & rem quietam mutationisque expertem eam autumant, hominem cum Deo confundentes, nostramque in agendo, & quae desunt aut decedunt supplendo, beatitudinem consistere, non animadvertentes. Hoc idem Socrates etiam refutans Calliclem tantum respicit, eoque ipso vim demonstrationis haud parum infringit. Rationem enim subducit sic: si in eo ponitur hominum beatitudo, ut esurientes edant, sitientes bibant, cupiditatesque in summa omnes haud multo expleant negotio; & scabiosi, dum sese fricant, quique obscoenis fruun-

tur voluptatibus, felices ſunt dicendi, cum nullum inter voluptates diſcrimen ſtatuatur. Iucunda porro quae ſunt, non omnia ſunt bona; ſcientia namque & voluptas inter ſe differunt; fortitudo autem, etſi a ſcientia differt, cum ſcientia tamen ſaepe iungitur: ergo fortitudo, quae eſt bona, & ſcientia, quae & ipſa eſt bona, differunt a voluptate, bonumque & iucundum non ſunt unum. Sunt porro felicitas & infelicitas contraria ſibi, nec ineſſe ſimul uni & eidem poſſunt; eodemque modo bonum ſe & malum habent: quaecunque ergo ita ſunt comparata, ut ſimul inſint eidem, ſimulque accedant & recedant, ea eſſe bona malave nequeunt. Huius ſunt naturae iucunda omnia: eſurire namque moleſtum, eſurientem edere iucundum eſt; quique eſuriens edit, dolens ſimul gaudet, eodemque, quo moleſtia perit, tempore, voluptas in eius locum ſuccedit. Dolorem itaque & voluptatem differre a bono & malo neceſſe eſt; & gaudere, ſeu ſenſu iucundo affici, aliud eſt, quam eſſe beatum. Quod perſpicitur & inde, quod dolores & voluptates ſimul deſinunt, cum qui ſitiens bibit, ſitim & voluptatem e bibendo perceptam ſimul amittit; bona autem & mala amitti ſimul nequeunt, ſed alterum in alterius ſemper locum ſuccedit. His addendum & hoc: boni bonorum poſſeſſione ſunt boni, mali contra malorum; boni autem ſunt prudentes, fortes, horumque ſimiles, mali contra ſtulti, timidi, aliique huiuſmodi. Iam boni malique eodem fere modo gaudent dolentque; ſunt enim & ſua malis gaudia: ergo boni malique eodem fere modo ſunt boni & mali, ſiquidem eadem re, gaudio nempe ac dolore, boni malique redduntur; nullumque adeo bonos inter & malos diſcrimen reſtat; quin mali ipſi boni repente evadunt.

Haec omnia recte ſequuntur, ſi quis omne iucundum dicat etiam bonum, nec inter voluptates aliquod admittat diſcrimen; idque animadvertens Callicles, emendare ſententiam, adiecto, voluptates non eſſe omnes eaſdem, ſed meliores alias, alias deteriores, ſtudet. Hinc ſtatim has elicit

concluſiones Socrates: ſunt ergo voluptatum aliae bonae, aliae contra malae; bonae ſunt etiam utiles, malae vero nocivae; quae utiles ſunt, boni, quae nocivae, mali quid efficiunt; harumque illae ſumendae, hae autem ſunt reiiciendae; quo fit, ut iucunda bonorum tantum cauſa ſint eligenda ac facienda, non autem bona voluptatis gratia, bonumque a iucundo vehementer differat. Ad redarguendam Calliclis quidem ſententiam haec ſufficiunt; ad rem autem ipſam declarandam, minime: ſupra namque Plato ipſe, quod gratum eſt nobis, voluptateque nos afficit, primam eſſe omnium, quae agimus, cauſam, recte docuerat, iucundaque ſui tantum cauſa a nobis expeti; hic contra bonum a iucundo prorſus differre docet, ut bonum nihil videatur cum iucundo habere commune. Praeterquam autem quod ſecum haud bene conſentit, ne totam quidem Calliclis ſententiam refellit, ut quae de voluptatibus etiam animi commode accipitur, licet corpus ſolum reſpiciat Callicles; in explendis enim, quae deſunt, animi voluptatibus, & parandis, quibus caremus, animi corporiſque virtutibus, omnis noſtra videtur felicitas conſiſtere, unde miſeros non eſſe, quorum dolia ſunt perforata, ſequitur. Occaſione hac oblata, ad dicendi artem ſimul redit, & quonam ſenſu ſupra adulandi eam vocaverit peritiam, ſtudet explanare. Oratores nempe, non audientium civiumque utilitatem, ſed delectationem modo reſpiciunt, utque placeant auditoribus, iiſque blandiantur, ſtudent. Si quis vero, eſſe etiam, qui utilitatem ſpectent civium, affirmet; oſtendere neminem ſeu antiquiorum, ſeu ſeriorum poterit, qui eo fine oratione ſit uſus, civeſque reddere iuſtos, temperantes, verbo bonos, ſtuduerit. Libidinibus enim & cupiditatibus obtemperare, voluptatibus ſemper inhiando, non licet nobis: virtuti potius eſt opera navanda, cum ipſa nos natura, normam quandam aliam a voluptate & cupiditatibus noſtris eſſe, doceat, ad quam vita omnis eſt conformanda. Boni nempe cauſa omnia nobis eſſe facienda modo eſt demonſtratum, virtuſque ubi adfuerit, bonos nos reddi, per ſe ſatis patet.

Haec autem cuiuſque rei virtus nihil eſt aliud, quam ordo, rectitudo, ac ornatus: unde fit, ut anima ordine ornatuque ſuo praedita, ſit praeferenda ornatus experti. Cum itaque animus ordinatus ſit idem temperans, ac prudens, temperanſque ac prudens erga Deos hominesque ſeſe, prout decet, gerat; cum qui cuique, quod ſuum eſt, tribuit, ſit etiam iuſtus, ac fortis, prudentis enim eſt perſequi aut fugere, quae ſunt fugienda aut perſequenda; cum denique qui recte beneque agit, ſit felix: ſequitur omnino, virtutem tantum reddere nos beatos, naturamque, ne libidinibus cupiditatibuſque habenas ſemper laxemus, prohibere; aliudque eſſe natura iuſtum, quam quod placet fortiori. Recte omnino beneque Socrates Calliclis refutat opinionem, cupiditateſque noſtras frenare naturam iubere docet, quo ipſo fundamenta morum doctrinae iaciuntur. Quod autem attinet ad ius naturae, in eundem incidit errorem, quem ſero demum noſtrae aetatis philoſophi exuerunt, quoque officia, quae dicuntur perfecta, cum imperfectis confunduntur. Conſentaneum quidem eſſe rationi, ut rem quamque pro ſua tractemus natura, itaque verſemur circa res ſingulas, ut ipſarum poſtulat natura, e Platonis ſequitur argumentis, atque hoc eſt fere idem, quod recentiores quidam, Britanni maxime, omni morum doctrinae fundamenti inſtar ſubſtraverunt, veritatem rerum in agendo eſſe ſequendam, docentes; at, eſſe propterea, ad quae cogere & cogi iure queamus, hinc non apparet, nec fons etiam huius coactionis aperitur. Nos itaque ad ſuum cuique tribuendum neminemque laedendum obligari imperfecte, ut iuris naturae loquuntur doctores, demonſtrat quidem Plato; eſſe vero officia etiam perfecta, poſſeque nos ad haec praeſtanda ab aliis cogi, non evincit. In definienda virtutis natura a Wolfio, perfectionem eſſe eam exiſtimante, haud multum diſtat, eadem dicturus, ſi confuſas ordinis, rectitudinis, ornatus, notiones magis evolviſſet. Haec ſi ita ſeſe habent, dicendi artem haud magni eſſe pretii efficitur: quod enim a Polo ac Callicle tanquam ingens afferebatur eius

emolumentum, potentiam inter cives ea comparari, id quilibet vir bonus reſpuet, & poſſe, quaecunque ſibi libuerit, haud magni aeſtimabit. Quod autem dicebatur ab iiſdem, utiliſſimam eſſe eam, ut defendere noſmet accuſati queamus, ne id quidem magni eſt momenti. Accuſato iniuſte deeſſe defenſio non poteſt: & ſi quis artem verbis adulandi ignorans iniuria damnatur, facile mortem feret, cum nihil magis metuat vir bonus, quam ne iniuſte agat, mortem inter mala non ducens, neque animam vitiis inquinatam inferorum iudicibus ſiſtat. Eſt namque antiquiſſima lex, ut, quicunque vita iuſte pieque acta ad inferos deſcendunt, in inſulas beatorum praemiorum reportandorum cauſa mittantur; qui vero impie ac iniuſte vixerunt, in Tartarum, ut poenas luant, detrudantur. Sunt ibi iudices, coram quibus animabus, exuto corpore, eſt comparendum, quo facilius meliuſque liceat illis, quae inhaerent iis vitia perſpicere; poſt obitum namque, ut corpus, ita & anima, vitae, quam geſſit, ſcelerumque & vitiorum ſervat veſtigia, & qualis cuiuſque fuit in orbe terraqueo vita, talis etiam poſt mortem, depoſito corpore, apparet anima. Hac igitur quoque de cauſa, ut iniuriam faciamus nemini, a vitiiſque ſimus puri, ſtudendum; magis, ne faciamus iniuriam, quam ne patiamur, cavendum, omnique, ut revera boni ſimus probique, opera enitendum; facultas denique dicendi ad iuſtitiam tuendam tantum adhibenda. Egregie profecto, in animis poſt mortem manere veſtigia eorum, quae in hac vita egimus, ac neſcio, an primus, docet: ante eum certe nihil hac de re uſquam me legere memini. Cauſam, quare ita fiat, non affert: ex analogia tantum corporis cum anima hoc infert; ineſſe ipſi etiam animae habitus quoſdam, & cupiditatum cogitatorumque manere memoriam, ut recte Leibnitius videatur dixiſſe, nihil eorum, quae cogitavimus ſemel, plane ex animo deleri ita, ut nullum amplius eius ſuperſit veſtigium, nondum perſpiciens. Quantopere haec auxerint recentiores, qualis quiſque eſſet cum excederet e vita, talem quoque manere poſt mortem, id-

que unum esse poenarum omnium & praemiorum in altera vita fundamentum, demonstrantes, satis cuique constat.

I O.

RHAPSODORUM nomine Graeciam peragrabant poëtarum interpretes & praelectores, qui accepto pretio publice poëtam aliquem recitabant, Homerum, Orpheum, aut alium, cuius carmina memoriae mandaverant. Ex hoc hominum genere Ioni obviam Socrates factus, de natura ac indole huius interpretationis cum eo disputat, ac rhapsodorum, ut & poëtarum praestantiam, non ab arte, sed instinctu & afflatu quodam divino, pendere demonstrat. Postquam de Homero tantum, non autem Hesiodo aliove poëta, praeclare sese posse dicere Io narravit; Socrates, arti minime id deberi, infert, siquidem ars omnis aptos nos reddit, de omnibus, quae sunt eius artis, iudicare ac differere, ut arithmeticae peritus de omnibus, quae spectant numeros, medicus de omnibus, quae pertinent ad morbos, dicere optime valet; adeoque rhapsodus poëtas quoque omnes interpretari optime deberet. Cum autem arte hoc non fiat, afflatu & instinctu divino necesse est evenire, qui idem poëtas quoque ipsos regit; quos, quamdiu sunt mentis compotes, nihil praeclari posse canere, nec unum eundemque in omni carminum genere constat excellere, ut deberet tamen, si ars esset poësis; quin est nonnunquam, qui, ut Tynnichus, unum modo praeclarum valet carmen condere, quemque in reliquis omnibus deserunt Musae. Rhapsodi igitur, a poëta quodam correpti ac inflammati, hunc tantum valent recitare ac enarrare, reliquos omnes aut non intelligentes, aut ab iis non accensi, & extra se rapti; quo fit, ut ab Homero alius, ab He-

siodo alius inspiretur quasi, & in dicendo reddatur facundus. Rhapsodus, quae a poëta dicuntur, diiudicat, artium, unde sunt haec petita, ipse ignarus: sic quae de curribus regendis, de medicinis adhibendis, exercitibus ducendis, aliisque rebus quamplurimis saepissime dicit Homerus, diiudicat rhapsodus, licet nec auriga, nec medicus, nec exercituum sit ductor; cum tamen haec omnia, nisi ab artium harum peritis, recte intelligi nequeant ac diiudicari. Rhapsodus itaque cum propriam sibi artem ac provinciam habeat nullam; non arte, sed instinctu divino fit rhapsodus. Haud recte per omnia Platoni procedit ratio: qui artem callet, eum in omnibus eius partibus aeque esse versatum non est necesse; nec concludere ita licet rationem: si quis in pingendis rebus gestis excellit, debere eum quoque imagines optime pingere; aut qui geometriae est peritus, debere eum optimum esse calculatorem, etsi utrumque ad mathematicam pertineat scientiam. Quod autem ad afflatum quendam divinum haec refert Plato, in eo veterum sequitur opinionem, eximia cuncta, & quae vulgi superant captum, Diis tribuentem, quam & hodie multi, rerum naturae haud satis periti, amplectuntur; unde absurda manavit multorum persuasio, Deum esse, qui scientias artesque omnes doceat, sine afflatu divino praestari a nobis nihil egregii praeclarique posse, omnique adeo opera ac studio in id esse incumbendum, ut Deum, aliasque naturas corporis vacuas, seu spiritus, propitios nobis reddamus, quo omnia ab iis, quae cupimus, doceamur. Effecit erronea haec persuasio, ut homines, quibus cupiditas discendi maior, quam ingenium esset, inanem quandam nugisque meris refertam, nec sibi etiam consentientem excogitarent disciplinam, cuius ope familiaritatem cum spiritibus contrahere, eos ad nos invitare, eorumque ministerio mira multa magnaque possimus perpetrare, quam magiae, Cabbalae, aut scientiae theosophicae nomine venditant. Hi multos sui similes, verborum splendore ac obscuritate, & promissorum magnitudine irretiunt, magnoque nisu hominum pervertere sensum

communem ac rationem ſanam conantur, non reputantium, neminem unquam e toto hoc genere in literis ac artibus magni quidquam & praeclari feciſſe, omneſque, qui de hac arte exſtant hodie, ſcriptores, praeter ſomnia cerebri aegri, & verba inania, nihil afferre, quo literae arteſque iuventur. Platonis ergo haec argumentatio, ſi ad omnem eius reſpicias vim, a vero longe aberrat; cum ſatis ſuperque conſtet experientia, ad id Deum ingenii nobis, ut & corporis vires eſſe largitum, ut iis ipſi ad noſtram uteremur utilitatem. Sin autem excipias quaedam, & pro inſtinctu divino ſubſtituas ingenium; vera omnino praeclaraque docet: verum namque ſine dubio eſt, non ex quovis ligno fieri Mercurium, & unumquodque ferme negotium ſuum ſibi poſtulare ingenium. Quod autem in poëtis plurimum, immo omnia potius, poſſe ingenium & naturam, in ceteris artibus haud multum valere, exiſtimarunt antiqui; recentiores praeter philoſophiam, nonnullas etiam artes adieceruntur, quibus ingenii omnis poteſtas circumſcriberetur; id factum inde, quod ad haec maxime animum adverterunt. Quod ſi curioſius paulo iis, quae efficiuntur ab hominibus, animum intendas; in rebus quoque minoris momenti, opificiis, artificiiſque fere omnibus, utramque ingenium & naturam facere paginam, & ſuum quamque artem poſtulare ingenium, ſuamque indolem, animadvertes.

PHILEBUS.

INQUIRITUR in hoc dialogo in boni naturam: & primo quidem loco voluptatem per ſe eſſe bonum negatur, aut ſapientiam per ſe ſumtam; deinde vero, e voluptate & ſapientia conflari bonum, docetur, ita tamen, ut ſapientia ac ſcientia primas & praecipuas ſuſtineant partes, voluptas ultimum occupet locum. Quae afferuntur hic ab interpre-

tibus de Deo, tanquam summo bono, cuius participatione reliqua omnia sint bona, a mente Platonis prorsus sunt aliena, in hoc certe dialogo locus iis est nullus, nisi vim afferas verbis, & ubique locorum intrudas Platonicorum recentium δόξας κυρίας. Philebo, cuius nomen dialogus prae se fert, voluptatem unicum esse bonum omni animalium generi, affirmante, & disputando cum Socrate iam fatigato, Protarchus superveniens in eius succedit locum. Cui statim obiicit Socrates, voluptates multum inter se non differre modo, sed contrarias etiam alias aliis esse, hominem namque intemperantem non minus quam temperantem, insipientem non minus quam sapientem voluptate frui, easque voluptates similes inter se nullo modo esse; etiamsi vel maxime in eo congruant omnes, quod sint voluptates, idem tamen accidere iis, quod coloribus, in quibus contraria, album v. g. & nigrum, reperiantur. Voluptates itaque, cum non omnes eiusdem sint naturae, bonae omnes perinde vix possunt esse, bonaeque aliae, aliae malae in vita etiam communi dicuntur; nec pertinacia hic efficitur quidquam; centies, voluptatem esse tamen voluptatem repetendo, non tollitur difficultas, esseque hoc perinde, ac si quis scientiam sapientiamque boni habere naturam affirmans, nec omnes tamen inter se scientias esse similes, quin & contrarias sibi nonnullas, concedens, nihilominus, eo ipso, quod sint scientiae, bonas contenderet. Inquirendum ergo & explanandum, qui fiat, ut unum sit multa, & multa unum, non eo sensu, quo ab Sophistis vulgo sumitur, qui fiat, ut homo unus contineat multa, tanquam partes, nec tamen desinat esse unus; sed alio abstrusiorique sensu, qui fiat, ut, quod unum est definitione, genusque unum, in species tamen multas sibique contrarias secetur; quod obscurius paulo ita effert Plato: quaeramas de uno, non eo, quod in rebus corruptioni generationique obnoxiis cernitur, homine v. g. auro; sed quod in rebus a corruptione immunibus, quales sunt rerum genera, homine v. g. in genere, animali, & abstractis notionibus ceteris est obvium.

an revera sint eiusmodi unitates (ἑνάδες)? deinde, quomodo earum unaquaeque generationis expers & corruptionis, maneat constanter eadem? denique, in rebus genitis utrum eadem unitas sit discerpta, eoque modo multiplicetur, an sui repetitione efficiat individuorum multitudinem? Hac defunctis quaestione ad voluptatem transeundum, ita nempe, ut, cum ex uno multisque secundum sapientum antiquorum traditionem omnia sint prognata, unam semper quaeramus in quaque re formam seu ideam, hanc cum alia conferamus, donec ad primam perveniamus unitatem; qua inventa ad singula rursus descendamus, nec ante tamen ad ea, quae sunt numero infinita, progrediamur, quam numerum eorum, quae inter unum & infinita interiacent, definierimus. Obscura sunt haec, & ex intimis philosophiae Platonicae receſſibus perita, vocabulorum quoque aptorum, ut quae tum temporis nondum exstabant, inopia magis obscurata. Generum & specierum notiones unitates dicit, quod multis sunt individuis communes, multaque ista in unam quasi formam redigunt: has, praeeunte iam magistro, ut mox apparebit, Platonici recentiores in res ac substantias mutarunt, miraque multa de iis disseruerunt; inter quos palmam facile omnibus praeripit Proclus, nihil fere praeter monadas & henadas in commentario in theologiam Platonis crepans. De his inquirendum dicit, quomodo unitates simul maneant, & multiplicentur, id est, qui fiat, ut, cum una sit tantum hominis in genere notio, multi tamen sint homines? unane haec notio ipsa multiplicetur in individuis, an diffundatur potius super individua cuncta? Hoc qui quaerit, notiones hasce res esse, easque individuis communicari ponit: quam communicationem Plato participationem appellat, re ipsa a Pythagoreis, teste Aristotele, sumta, participationi iam faventibus. Magnopere haec quaestio Scholasticos quoque exercuit, ut quae difficilis non modo, sed absurda plane est: fieri enim nullo modo potest, ut una eademque res, seu substantia, in pluribus reperiatur individuis, non multiplicata, servataque unitate numerica,

quod volebat Plato. Quod ſi contra ideas haſce, ut ſunt, nihil exiſtimes aliud quam mentis conceptus; res facile expeditur; modus, quo individua eiuſdem generis plura cogitantur, unus eſt idemque; quod autem efficit, ut ita cogitentur, quod in rebus ipſis reſpondet notionibus, non eſt numero idem, ſed rei cuique proprium. His declaratis, in quaeſtione quavis unitatem praecipit eſſe quaerendam, eamque eſſe ſolam recte quaerendi rationem; id quod teſtibus exemplis deinde allatis, licet haud perſpicue ſatis propoſitis, ſententiam habet hanc: individua numero ſunt infinita; ab his itaque ordiri inquiſitionem non licet. Habent tamen ea ſuam quodque formam ac notionem, qua, quale ſit, aperitur: quam ut informemus animo ſtudendum, deinde comparanda haec alterius cuiuſdam individui notioni, ut ſpeciei prodeat idea; ab hac aſcendendum ad genus ipſum, id eſt, unitatem individuorum primam. Qua inventa, deſcendendum rurſus ad ſpecies, opeque artis eius, qua genus dividere in ſpecies logici docent, erutis ſpeciebus, ad individua tandem contemplanda progrediendum. Analytica ergo & ſynthetica, ut dicunt recentiores, methodo, in quaeſtionibus philoſophicis utendum Plato praecipit: quam, cum nomen iſtud nondum exſtaret, reſque ipſa ſatis adhuc non eſſet explicata, obſcurius paulo deſcribit. Utitur haud raro in eruendis rerum definitionibus hac methodo philoſophus, ut in invenienda Sophiſtae definitione, in dialogo, qui inſcribitur Sophiſta; quam a Pythagoreis forte acceptam, ut qui res iam omnes in genera & ſpecies dicuntur diſtribuiſſe, (ſiquidem, Ariſtotelem praedicamentorum eſſe ab iis mutuatum doctrinam, conſtans eſt fama) magis excoluit, & trivit. Quo ipſo egregium ſane philoſophiae attulit adiumentum, cum certa ratione ac methodo uti, omnium ſit primum & maximum: nec diffitetur Ariſtoteles, Platonem, definiendo accurate, methodumque adhibendo, antiquiores, quos pugilibus aſſimilat indoctis, ſuperaſſe. Hinc plurima profecit Ariſtoteles, in cuius libris, quanta ſit artis & methodi vis, maxime elucet, quique hoc uno, ut antiquorum eſſet pro-

fundiſſimus, reſque ordine exponeret optimo, & ad extorquendum aſſenſum aptiſſimo, eſt aſſecutus.

Haec ut adhiberentur in quaeſtione de voluptate, ſpeciebuſque eius erutis, ut, bonae ſint an malae omnes, differantque ab ipſo bono, oſtenderetur, cum poſtulaſſet Socrates: difficile hoc eſſe ſibi, fatens Protarchus, aliam ut ingrediatur viam Socratem rogat. Apparet ex iis, quae obiter tantum ſupra ſunt tacta, voluptatem omnem dici bonum non poſſe: prima itaque haec Philebi refutatio haberi iure poteſt. Protarcho ut gratificetur, hanc deinde affert concluſionem Socrates: ſi eſt aliquid voluptate & prudentia ſeu ſapientia melius; voluptas per ſe bonum eſſe nequit. Quod ut inveniatur, fundamenti loco ſubſternamus haec: omne bonum oportet eſſe perfectum, & ſufficiens, ut, quicunque notitiam eius aliquam eſt adeptus, id appetat, nulliuſque praeter id rei alius habeat rationem. His poſitis, voluptatem & ſapientiam ſeiungamus plane, ac voluptatem ſumamus abſque omni ſapientia, ſapientiamque, cui nulla omnino inſit voluptas. Hac qui fruitur voluptate, memoria, ſcientia, opinioneque caret omni; pendent enim haec a ſapientia ac prudentia: non meminit ergo eorum, quae antea percepit voluptatum, non putat ſeſe gaudere, non gaudet ob ea, quae mox percepturus eſt, iucunda; verbo, ſpongiae marinae, aliorumque eiuſmodi ſtupidorum animalium vivit vitam; qualem nemo ſibi ſanus optet. Sapientia vero, omni ſemota voluptate, non eſt expetenda; ſed vita potius e voluptate & ſapientia conflata. Quare nec voluptas per ſe ſola, nec etiam ſapientia ſola, eſt ipſum bonum; etſi ſapientia forte in vita beata maius trahat momentum. Inquirendum itaque reſtat, quinam ſapientiae ac voluptati competat locus: cum primum non deberi voluptati iam apparuerit; ſecunduſne ei, an tertius, ſit aſſignandus, primuſque ſapientiae ſervandus?

Quem in finem genera rerum, ducibus Diis, ſunt diſtinguenda haec: infinitum (ἄπειρον), id eſt, ut noſtri dicunt, indeterminatum; finitum, id eſt, determinatum; ex his in-

ter se mixtis, tertium quoddam, &, quod mixtionem hanc efficit, quartum causae genus. Diis autem ducibus haec dicit distinguenda, alludens ad id, quod supra retulerat, a Diis ipsis ad homines eam manasse opinionem, e finitis ac infinitis omnium rerum originem esse repetendam. Ad infiniti, seu indeterminati genus pertinent, quaecunque magis & minus suscipiunt, velut frigidum, calidum, quae, ut verbo dicam, gradus habent sive extensionis, sive intensionis, sive, ut scholasticorum utar vocabulo, protensionis; haec enim omnia augeri semper minuique possunt, certosque limites agnoscunt nullos. Finita contra sunt, quaecunque mensuram certam secum semper afferunt, velut aequale, duplum, quaeque certam inter se numeroque definitam habent proportionem. Ex his duobus oritur tertium mixtorum genus hoc modo: infinita quae diximus, inter se sunt sibi contraria, ut frigidum & calidum, siccum & humidum, tardum & velox; his si adiiciatur terminus ac proportio, contrariaque haec certa misceantur proportione, novum genus rerum prodit; e calidis & frigidis, humidis & siccis v. g. recte mixtis, valetudo; e gravi & acuto, celeri ac tardo in sonis, harmonia ac musica, verbo, quaecunque sunt pulchra, praeclara, perfecta, ex mixtione ista proveniunt; ut commode tertium hoc genus, generationis, vel generatorum nomine insigniatur. Cum autem, si qua fiunt, fieri a causa sit necesse: adiiciendum his tertium facientis, seu causae genus; idque semper antecedere ac praestare ei, quod efficacia sua attingit, seu materiae, in quam agit, necesse est. Haec ad sapientiam voluptatemque si transferantur: voluptatem esse de genere infinitorum, sapientiam de genere finitorum, immo & causae; vitam autem e sapientia & voluptate mixtam, de genere eorum, quae prodeunt mixtione, satis apparet. Recte quodammodo, quae sunt in hoc universo pulchra, ex infinitis contrariis & termino dicuntur conflata; nulla enim alia ratione cogitari id a nobis potest: quod si vero transferas haec ad rerum, quae sensu percipiuntur, ortum, in insignem

te nescius praecipitas errorem. Terminus namque iste, aequale scilicet, inaequale, & similia, nihil sunt quam mentis notiones, & abstractiones, per se nuspiam exsistentes, nec accedentes ad res alias, nec ab iis recedentes. Ipsum illud infinitum nihil etiam est, praeter animi notionem: quodcunque revera exsistit, finitum semper est, terminoque inclusum. Haud levem ergo errorem Plato erravit, notiones mentis in res extra nos positas vertendo, eademque, qua res cogitamus, ratione gigni eas in rerum natura sibi persuadendo. Hoc est πρῶτον ψεῦδος eorum, quae in physicis Plato docet, primusque, unde ideae eius manarunt, fons; πρῶτον etiam ψεῦδος eorum, qui post Platonem omnium rerum e Deo docuerunt emanationem.

Quinam inter bona voluptati ac sapientiae debeatur locus, facile nunc est intellectu, modo de sapientia sit definitum, ad quod genus rerum recte referatur. Omnes uno ore sapientes mentem affirmant coelo terraeque praesse: quod si demonstrari satis poterit, mentem, eique cognatam sapientiam, referri iure ad genus causae constabit. Mundi autem, quam cernimus, pulchritudo, siderumque ordo, non casum, sed mentem sapientiamque immensam omnia gubernare, satis declarat. In omnium animalium corporibus sunt aqua, aër, ignis, & terra, eaque nullo modo pura, sed vilia, & exigua; sunt vero eadem & in universo, sed pulcherrima, maximaque vi praedita, ac sincera. Qui in nobis est ignis, aër, cetera, nutritur ab iis, quae sunt in universo, omninoque corpus nostrum a corpore universi alitur & sustentatur. Cum itaque nostrum corpus sit animatum; animam hanc ex anima mundi esse decerptam necesse est: quaecunque enim nos habemus, ab universo, ut modo apparuit, accepimus; nec consentaneum est ullo modo, in corpore nostro esse quatuor illa rerum genera, finitum, infinitum, mixtum, causamque, quae omnia haec ordinavit, omnibusque medetur, animam nempe; in universo autem, ubi eaedem inveniuntur partes, quodque ex iisdem est elementis conflatum, causam hanc

non reperiri. Eſt ergo in univerſo cauſa quoque, eamque ſapientiam recte dicimus: ſapientia autem ſine mente, mens ſine anima eſſe nullo modo queunt; adeoque in Iove eſt anima regia, mens regia; unde ſequitur, ſapientiam ad cauſae genus iure referri. Fundamentum demonſtrationis eius, qua Deum eſſe ex ordine huius univerſi, ſapientique eius adminiſtratione probatur, a Socrate acceptum, recte Plato poſuit; in ſumtione autem agi ſeſe in tranſverſum patitur: habere namque haec ita ſeſe debet, atqui ordo hic mundi haud aliunde proficiſci, quam a ſapientia, poteſt, quae non inſit ipſis mundi partibus: cuius loco, ſapientiam ipſi ineſſe mundo ſumit, mundoque ipſi tribuit ſapientiam. Id etiam improbandum, quod omnia nos accepiſſe ab univerſo, adeoque univerſo ineſſe animam ſumit: fieri enim poteſt, ut noſtra quidem anima ſit pars univerſi, nec tamen ulla univerſo ipſi inſit anima, qua regatur. Induxit autem eum omnis fere antiquitatis opinio, mundum eſſe animal putantis, in errorem, ut ex ſimilitudine hac univerſum gubernari a ſapientia rite concludi ſibi perſuaderet, non animadverſo, ipſum hoc fundamentum eſſe ruinoſum, nec ullo poſſe modo fieri firmum.

Sapientiam iam conſtat referri ad genus cauſae, voluptatem ad genus infiniti; priuſquam vero definiri accurate eius in numero bonorum locus queat, origo tum voluptatis, tum doloris eſt inveſtiganda. Sedem eorum in genere mixtorum deprehendimus, in quo ſunt proſpera valetudo & harmonia, voluptatis doloriſque matres. In animalium corpore quotieſcunque ſolvitur harmonia, gignitur dolor; quoties vero reſtituitur harmonia, voluptas prodit: fames namque harmoniam ſolvens, dolorem; comeſtio contra, quae abſumta erant, reſtituens, voluptatem efficit; frigus, quo praeter naturam humores concreſcunt, moleſtiam, calor, quo in priſtinum reſtituuntur ſtatum, iucundum creat ſenſum. Praeter hos ſunt & alii dolores, aliaeque voluptates, anima ſola, dum exſpectamus iucundi aliquid aut moleſti, percepti. Hoc genus cum mente ſola ſentiatur, cum-

que non perinde ac corporis voluptates ac dolores, e iucundo moleſtoque ſemper ſenſu conflati, (eſurientes namque qui edunt, gaudent ſimul dolentque) fit mixtum, adeoque purius praeſtantiuſque ceteris videatur voluptatibus: idoneum inprimis eſt ad diiudicandum, ſitne voluptas per ſe bona; curioſeque adeo inſpiciendum. Omnis, quae mente ſola percipitur, voluptas, ex recordatione ſenſu ante perceptorum originem trahit: quae enim corpori accidunt, ſi ad animam non perveniunt, non ſentiuntur; ſimulac contra animam attingunt, oritur ſenſus: eam quamdiu anima ſervat perceptionem, dicitur memoria; reminiſcentia autem, quando abſque ſenſu anima, quae ſenſerat, revocat. Hinc omnes manant cupiditates, ſitis, v. g. fames, ceterae, quibus praeter ſenſum vacuitatis, deſiderium ineſt repletionis, quorum alterum corpore ſentitur, alterum ipſa anima; corpus namque, cui aliquid deeſt, ſuggerere eius, quo id ſuppletur, notitiam nequit. Qui ſitit, deeſſe ſibi aliquid tantum ſentit, idem tamen aliud ab eo, potum nempe, cupit, quo repleatur: eamque repletionem cum ſenſu non percipiat; ſolo percipere animo, id eſt, recordatione eorum, quae ante ſenſit, adeoque cupiditates ſoli ineſſe animae, ſequitur. Quare purae non omnino ſunt hae animi voluptates, utpote e moleſto corporis ſenſu, iucundaque praeterirarum voluptatum recordatione mixtae; nec etiam alius, quam corporis voluptates, naturae, ut quae mutationibus etiam efficiuntur: dolemus enim ob ea, quae corpore ſentimus, gaudemus vero propter quae animo recordamur, animumque adeo & corpus & in his neceſſe eſt mutari. Accedit, quod in genere hoc errori eſt locus, ſuntque harum voluptatum verae aliae, aliae falſae: quod etſi mirum initio videatur & abſurdum, eſt tamen nihilo ſecius verum; inſanientes namque & ſomniantes falſa ſaepe gaudia dicuntur percipere. Ubicunque autem eſt opinio, & iudicium, ibi errori etiam ianua patet, cum ex falſa etiam opinione oriri voluptas queat; ubi gaudemus v. g. ob ea, quae eventura nunquam ſunt, aut ob ea, quae facta eſſe opinionis

errore putamus. Iam voluptates falſae ob eandem, ob quam opiniones falſae, cauſam malae ſunt habendae. Alio praeterea modo voluptates gigni falſae poſſunt, cum nempe bona malaque longe a nobis diſtant, perinde ac iudicium de rebus eminus conſpectis aliud eſt ab eo, quod de rebus cominus viſis fertur. Omnis porro voluptas e corporis quibuſdam oritur mutationibus; corporeque prorſus non mutato, ſentiri voluptas nulla poteſt, nihil potius tunc neceſſe eſt ſentiri, nec grati, nec moleſti. Licet autem nunquam idem ſibique ſimile maneat corpus: voluptatem tamen aut dolorem propterea ſemper percipi, nulla ratio cogit; cum mutationes modo maiores ac vehementiores ſentiantur, minores omnem effugiant ſenſum, aut iucundi ſaltem ac moleſti nihil afferant. Sequitur hinc, aut dolorem nos, aut voluptatem, aut neutrum ſentire; quique dolore carere rem dicunt ſuaviſſimam, eos vehementer errare. Sunt namque, qui voluptatem dicunt eſſe nihil; quas vulgus autumat voluptates, dolorum eſſe fines, ita ut omnis e deſinente dolore exſurgat voluptas. Iam quo vehementius commovetur corpus, eo maior eſt voluptatis etiam ac doloris ſenſus, in morbis v. g. magis gaudemus dolemuſve, quam recte valentes, maiorque in febribus eſt ſitis aut frigoris ſenſus, cupiditas bibendi maior, maiorque, quae ea reſtincta percipitur, voluptas. Vita quoque luxurioſa ac ſoluta maiores ac vehementiores affert corporis voluptates, quam temperans, cui praeceptum illud, ne quid nimis, modum praeſcribit. Voluptates ergo vehementiſſimae, corporis animaeque corruptione parantur; bonumque per ſe eſſe voluptas nullo modo poteſt. Voluptates porro mixtae omnes, adiunctum habent dolorem, eamque ipſam ob cauſam bonae eſſe omni ex parte nequeunt. Sunt autem hae omnium longe plurimae, tum in corpore, tum in anima, tum etiam in utriſque. In corpore, cum frigentes calefimus, ſcabie laborantes titillamur, cetera; in anima, cum ira, metu, invidia, aemulatione, luctu, aliiſque animi perturbationibus commovemur: in quibus fere omnibus vo-

luptas dolori eſt admixta. Irae namque obtemperare melle dicunt eſſe dulcius, eſtque omnino quaedam & lugendi voluptas: quod quo eluceſcat magis, invidiam ob oculos nobis ponamus. Quem invidia rodit, is dolorem quendam percipit, mixtum tamen laetitiae, cum eorum laetetur malis, quibus invidet. Viſis his, voluptates purae ſunt conſiderandae, in quibus boni natura maxime videtur reperiri. Pertinent autem huc, quaecunque e figuris, coloribus, odoribus, ſonis, diſciplinarum denique ac literarum ſtudio ad nos manant iucunda, ut quibus nulla ineſt indigentia, quae moleſti aliquid iis affundat. Figurae nunc intelliguntur, non hominum animaliumque formae, ſed quas geometria ſibi delegit, circuli, quadrata, trianguli; ſoni, non quibus efficitur muſica, ſed ſimplices: figuras enim haſce ſonoſque voluptate animum afficere ſatis inter omnes conſtat. Hae voluptates quo ſunt puriores, eo ſunt etiam maiores verioreſque: quo enim purum magis eſt unumquodque, eo maius eſt veriuſque, ut in coloribus, aliiſque licet rebus intelligere; album enim quo magis eſt ſincerum, ac ab aliorum admixtione colorum remotum, eo magis eſt album, veriuſque album. Quae quamquam ita ſeſe habeant: voluptas tamen omnis, licet puriſſima, non eſt de genere eorum, quae permanent; ſed eorum potius, quae fiunt, continuaeque ſunt mutationi obnoxiae (ἀεὶ γένεσίς ἐστιν, οὐσία δὲ οὐκ ἔστι τοπαράπαν ἡδονῆς). Iam quaecunque fiunt & generantur, alterius alicuius cauſa, ſeu ob finem aliquem fiunt; generatioque, & quae generantur omnia, finem aliquem habent ſibi propoſitum. Quemadmodum autem navis non eſt propter fabricationem navis, ſed fabricatio propter navem: ita in rebus cunctis ſubſtantia ſeu res permanentes ſunt fines generationum, rerumque mutationibus obnoxiarum; voluptas ergo omnis finis eſt ſubſtantiarum, rerumque permanentium. Hinc efficitur, voluptatem nullam, ne puriſſimam quidem, eſſe bonum, cum non ſit finis, bonum autem omne eſſe aliud a fine nequeat; efficitur praeterea, qui voluptatem finem faciunt,

cos generationem appetere ac corruptionem, ad quod genus voluptas refertur. Absurdum praeterea est, fortitudinem, sapientiam, reliquamque virtutem e bonorum numero excludere; absurdum denique, virum cetera optimum, quamdiu nulla fruitur voluptate, dicere malum. Multis profecto graviſſimisque argumentis voluptatem Plato oppugnat; simulque in eius naturam penetrat altissime. Quod enim dicit, voluptatem effici iis rebus, quibus corporis iuvatur constitutio, dolorem iis, quae harmoniam solvunt, verissimum est, & ab ipso forte Platone inventum; apud antiquiores certe nihil tale legitur. Subtilis quoque est eorum, qui voluptatem omnem e sedato oriri dolore contendebant, sententia, quam Italicus quidam scriptor anonymus defendendam nuper suscepit. Fragmenta huiusmodi, Platonis iam aetate plurima in philosophia profundiori Graecos subtiliter excogitasse docent, ut dolendum sit, tam pauca ex hoc seculo monumenta temporum iniuriam reliqua nobis feciſſe. Auctor huius sententiae ignoratur, ut & qua potissimum eam ratione stabilierit.

Transitur hinc ad scientiam prudentiamque, quae perinde ac voluptas in genera quoque, prout altera alteri praestat, dispescitur. Sunt enim artes & scientiae, quae in coniecturis modo versantur, parumque afferunt certi ac firmi; quo musica maximam partem, geometria, & arithmetica referuntur, quatenus in opificiis artificiisque multis, aedificiis exstruendis v. g. navibus fabricandis, adhibentur; haeque minoris sunt pretii: sunt vero etiam, quae accuratam stabilemque afferunt cognitionem, quo in genere est matheſis, quam hodie dicimus puram; eaeque pluris sunt absque dubio aestimandae. Primum autem inter omnes tenet locum disciplina, quae de ente, eoque, quod vere est, semper simile sibi manet, nullaque ratione subit mutationem, agit; haec enim certissima verissimaque nos docet, cum de rebus mutationi obnoxiis certi nihil queat cognosci: quae autem certissima est ac verissima, maxime etiam & prae ceteris scientia iure vocatur, cum non utilitate,

ſed rerum veritate, & notitiae certitudine, ſcientiarum definiatur praeſtantia. Competunt ergo huic praeſtantiſſima in rebus humanis nomina, prudentiae, ac ſapientiae; adeoque ſcientiam ſapientiamque in rebus praeclariſſimis praeſtantiſſimiſque numerari conſtat. Platonem aliquam eius iam ſcientiae, quam in diſciplinae formam deinde redegit Ariſtoteles, & τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ vocavit, notionem animo informaſſe, hinc intelligitur. Differt tamen in haud paucis Platonis de ea notio ab ea, quam conceperat Ariſtoteles: illi enim τὸ ὂν id modo eſt, quod eſt immutabile, ideae ſcilicet ac ſubſtantiae aeternae, Deus ac naturae corporis expertes; huic vero entis nomine venit etiam, quod ſubit mutationem, notioneſque mentis abſtractae, de quibus noſtra agit Ontologia. In demonſtranda tamen ſcientiae ſapientiaeque praeſtantia non ſatis accurate verſatur philoſophus noſter, ex hominum magis opinione, quam ipſius natura eam derivans, notitiamque veri, quid habeat boni, quidque inde in vitam hominum manet praeclari, non aperiens.

Scientia tamen & ſapientia non eſt ipſum bonum, cum, ſeiuncta omni voluptate, ſcientiam nemo deſideret; adeoque quaenam boni natura, voluptate ac ſapientia mixtis, exſurgat, inquirendum. Sunt autem in hac mixtione ſcientiae omnes admittendae: praeclariſſimae namque, quas in rebus aeternis verſari modo eſt dictum, non ſufficiunt in noſtra hac vita, in qua circino lineaque geometrica non licet nobis ne iter quidem, quod in domum noſtram nos ducit, definire; voluptates contra non admitti omnes poſſunt, cum vehementiores ſapientiae ac ſcientiae obſtent, ac inſanire nos ſaepe cogant. Menſura igitur & proportione in miſcenda cum ſapientia voluptate eſt opus, eaque ſola, ut conſpirent ac conſentiant inter ſe, efficit. Quae cum pulchri conſtituat naturam; pulchrum ſeu honeſtum primum inter bona tenere locum, eſſeque ipſum bonum, ſequitur. Ad pulchrum autem & menſura proportioneque comprehenſum propius accedit mens & ſapientia, cui adeo

ſecundus iure in bonorum numero locus aſſignatur; quam ultimo tandem loco voluptas excipit. In tota hac quaeſtione Platonem aberraſſe ab eo, quem ſibi propoſuerat, ſcopo dolendum. Qui in bonorum inquirit naturam & ordinem, id unum debet ſpectare, quaenam maxime noſtram efficiant felicitatem ac beatitudinem, parteſque adeo felicitatis ipſius enumerare, deinde, quibus ea paretur rebus, declarare, denique, quis cuique competat locus, docere. Hac de re verbum in Philebo occurrit fere nullum, nihilque adeo, quod diſciplinam morum magnopere iuvet, affertur: de pulchro enim quod traditur, eiuſque praeſtantia, nullius ferme eſt momenti, cum, quaenam eius ſit ad felicitatem efficiendam vis, nullibi declaretur. Solent in univerſum antiqui ad ſtabilienda morum philoſophiae fundamenta notiones quaſdam abſtractas & metaphyſicas adhibere, indeque morum quaedam praecepta derivare, omiſſo huius diſciplinae ſcopo, unde omnia tamen ſunt demonſtranda: quo fit, ut parum deinde eorum argumenta ad animum movendum valeant, ſteriliaque & inania videantur.

MENO.

MENONE, Protagorae quondam auditore, an doceri virtus poſſit, quaerente, Socrates more ſolito, nihil ſeſe ſcire, nec eſſe de numero eorum, reſpondet, qui quaeſtioni cuilibet ſatisfacturos ſeſe profiteantur: inquiſiturum tamen cum illo, gratumque illum ſibi facturum, ſi, quidnam ſit virtus, aperiat, quod a nemine unquam declaratum audierit. Haud gravate, aliam eſſe viri, aliam feminae, aliam iuvenis, aliam ſenis virtutem reponens Meno; non eſſe hoc, quod fuerat quaeſitum, cumque omnes ſub uno genere contineantur virtutes, genus ipſum eſſe

definiendum, doctus; hanc esse virtutis in universum naturam, posse hominibus praeesse, affirmat. Id cum redarguisset Socrates, quod pueri servique virtus non sit posita in imperando, quodque iuste iis imperari debeat, & praeter iustitiam aliae quoque sint virtutes huic definitioni non inclusae; Menoni, intelligere se, quid sibi velit notio ista omnium virtutum communis, neganti, similitudine a figura sumta, rem clarius exponit: multae enim cum sint figurae, rotunda, quadrata, aliae, si quidnam sit in genere figura quaeratur, perinde id esse, ac si, plurimae cum sint virtutes, quid sit in universum virtus declarari sibi aliquis postulet. Opportunam autem sive evadendi, sive Socratem capiendi, nactum se occasionem Meno ratus, ab eo, ut definiat sibi figuram, petit: cui Socrates ea lege, ut deinde virtutem quoque definiat, Figura est, inquit, quod solum colorem semper comitatur. Negat Meno, hanc definitionem satis esse perspicuam; se enim colorem quid sit ignorare: aliam ergo Socrates molitur rei eiusdem definitionem, figuram nempe, solidi esse terminum; eique Meno assentit. Quo ipso, maxime autem probata definitione priori, dialectices imperitum sese prodit: verum enim est quidem, figuram colori semper esse coniunctam, nullumque absque figura colorem cerni; sed falsum, soli colori adhaerere semper figuram, cum absque colore cogitari figura possit. Peccat & altera definitio modo eodem: nec enim soli inest solido figura, sed etiam superficiei.

Etsi autem ita Menoni esset satisfactum, repetitur tamen ab eo quaestio altera, quid sit color? cui Socrates ex Empedoclis & Gorgiae respondet sententia, ita maxime assensurum sibi Menonem ratus. Videtur autem ad haec ideo digressus Plato, ut occasionem increpandi Empedoclis ac Gorgiae nanciscereturur, simulque falsae eorum de colorum natura sententiae redarguendae. Sunt secundum hos corporum effluvia (ἀπόῤῥοιαι); sunt etiam in corporibus meatus (πόροι), in quos & per quos haec effluvia penetrant. Effluvia autem & pori non omnia omnibus sunt recipiendis

idonea; adeoque color est effluvium figurarum visui congruens, quod percipi visu potest. Sententiam hanc, utpote tum temporis notissimam, explicari pluribus necessarium non existimans Plato; nobis, quod deest, relinquit supplendum. Cum Democrito, e corporibus cunctis subtilissimas semper particulas effluere, Empedocles docebat, & per aërem semper ferri; esse praeterea in corporibus, proinde in oculis quoque animalium, meatus, quos ingrediantur hae particulae; sed non eiusdem omnes figurae ac magnitudinis; nec particulas illas eadem omnes figura ac magnitudine esse praeditas. Quaecunque ergo particulae, per figuram, penetrare oculorum meatus queunt, cernuntur, dum per oculos animae sese insinuant, sensumque coloris efficiunt. Obiicit his Plato, posse eodem modo vocem quoque, odorem, aliaque eiusmodi definiri; id est, non explicari hac ratione, quod colori prae aliis sensu perceptis rebus est proprium, definitionemque esse definito latiorem; vox v. g. nihil foret aliud, quam effluvium figurarum auribus congruens.

His absolutis, ad virtutem Socrates rediens, a Menone novam accipit definitionem hanc: Virtus est, posse bona, quae quis cupit, sibi parare: quam duobus impugnat modis. Primo quidem, superfluum esse, quod ponitur, bona cupere, cum mala sciens nemo unquam queat appetere. Est enim ea hominum natura, ut miser esse nemo velit, proinde, quae existimat sibi nocitura, nemo queat expetere: qui mala ergo cupiunt, opinionis errore bona esse ea existimant. Secundo autem, late nimis patere definitionem, si virtutem dicamus facultatem bona parandi, cum iuste ea quaeri pararique oporteat, adeoque ad eam, quae definita est virtus, accedat alia quaedam, definitione non comprehensa.

Irritis tot conatibus defatigatus Meno, nescire se, quid sit virtus, fassus, Socratem accusat, quod instar torpedinis, torporem sibi iniiciat, ipsum eodem se laborare torpore querentem. Cui cum Socrates iterum sese quaesiturum

cum eo respondisset; Qui, inquit Meno, quod nescire te affirmas, quaeres? potestne quisquam, quod quale sit ignorat, quaerere? quod si casu inveneris, qua ratione, an sit quod quaerebas, agnosces, cum nescium te eius fatearis? Quod quis novit, nemo quaerit; quod autem ignorat, quaerere prorsus nequit, cum, quid quaerat, nesciat. Est omnino subtile hoc argumentum, quod a quo sit inventum ignoratur, a Sophistis tamen aliisque disputandi cupidis admodum esse frequentatum ex ipsa Socratis responsione apparet, eristicum id appellantis. Occurritur tamen ei ita: animi hominum sunt immortales, iidemque saepius in hanc vitam regrediuntur: cum itaque quaecunque exsistunt tum in hac, tum in altera vita, cognoverint, ac didicerint; nostra omnis scientia nihil est aliud, quam praeteritorum recordatio; quique ignoti quid quaerunt, in memoriam id student revocare. Id an ita sese habeat dubitans Meno, ut demonstretur sibi, nos, quaecunque discimus aut ratione investigamus, reminiscendo discere, rogato Socrate, e servis Graecum natione, literarum tamen plane rudem, vocat, in quo experimentum Socrates faciat. Ex hoc quaerendo apte rationem quadrati duplicandi elicit; cui adhibendam esse lineam diagonalem servus, multis ultro citroque quaesitis, respondet. Quo facto, rationem ita concludit: servo huic geometriae imperito, nihil eorum, quae essent facienda, ut duplicetur quadratum, dixi; quidnam sibi videretur, ex eo tantum quaesivi; ex se ipso ergo, quod quaerebatur, hausit: cumque id ignoraret antea, nec posset, quod nesciebat, quaerere; in memoriam sibi revocasse, quae didicerat antea, adeoque immortalem esse animam, sequitur. Subtile profecto hoc [illegible] argumentum, ac dubio absque a Platone inventum, quem methodus Socratica, qua, quae nescimus, apte quaerendo eliciuntur, in hanc adduxit cogitationem. Fefellit tamen philosophum, non necessario, fieri haec per recordationem, inde concludi; esse animo humano vim quandam, cuius ope relationes rerum percipit, insitam; easque relationes in mentis conceptibus

iam latere, attentioniſque & abſtractionis ope, cum ab una re ad aliam animo tranſimus, elici. Quod attinet autem ad concluſionem, qua ignota non poſſe a nobis quaeri aſſeritur; hoc maxime modo ei occurrendum: quae ignoramus penitus, quaeri quidem nullo modo poſſunt; ſed ſi qua a nobis quaeruntur, non ſunt ea prorſus ignota, cum quaeſita ſemper lateant iam in earum rerum notionibus, unde ſunt elicienda: ea enim eſt omnis, quae quidem ſolvi poteſt, quaeſtionis indoles, ut ſigna ac characteres quaeſiti iam exhibeat, mentem in veſtigia quaeſiti deducat, &, unde agnoſci quaeſitum poſſit, notas miniſtret.

Menonem quamquam hoc exemplo erigere Socrates ad quaerendum, quid ſit virtus, conatur; reluctanti tamen cedens, ad quaeſtionem alteram, an doceri virtus poſſit, accingitur. Cui cum, ignorata virtutis natura, non poſſet ſatisfieri; geometrarum more hypotheſin adhibet talem: ſi virtus eſt ſcientia, poteſt doceri; ſin contra non eſt ſcientia, non poteſt doceri; & vice verſa, ſi non poteſt doceri, non eſt ſcientia. Eſſe autem virtutem ſcientiam, hinc videtur elucere: virtus omnis eſt bona, adeoque etiam utilis: iam quaecunque utilitatem nobis afferunt veram & conſtantem, a prudentia hoc habent; divitiae namque, robur corporis, pulchritudo, & reliqua de genere eorum, quae ſunt nobis utilia, nocere etiam, perperam adhibita, poſſunt; quo temperantia etiam, iuſtitia, fortitudo, quaeque ſunt in animo praeclara, pertinent, ut quae a ratione & ſcientia ſeiuncta ſaepius nocent, adhibita vero ratione & prudentia utilitatem ſemper & felicitatem nobis afferunt; prudentia ergo & ſapientia virtutem maxime efficit. Praeterea ſi natura eſſent homines ad virtutem formati; forent, qui iuvenum ſcrutarentur naturam, quibuſque bonam ineſſe indolem cernerent, eos cum cura obſervarent, immo obſignarent quaſi, quo ab omni manerent corruptione immunes: qui cum ſint nulli uſpiam; non natura, ſed doctrina parari virtutem, & poſſe doceri, recte videtur concludi.

His assensus temere Meno, in partem oppositam statim agitur a Socrate: quam partem studiose adeo tuetur Socrates, ut facile appareat, Platonem in ea fuisse sententia, quae doceri virtutem posse negat. Cuius rei, inquit, nulli sunt magistri, ea doceri sine dubio nequit: esse autem nullos virtutis magistros apparet vel inde, quod Sophistae, quorum haec est professio ad virtutem iuvenes formare, corrumpunt potius illos; quod, quicunque Athenis fuere viri illustres, filiis tradere virtutem nequiverunt; Themistocles enim filios reliquit se longe inferiores; Aristides, Pericles, Thucydides, licet nulli rei parcerent, haberentque filios in rebus momenti minoris excellentes, nec malae omnino indolis, formare tamen eos ad virtutem paternam non potuerunt; quod denique nonnulli sapientia clari, velut Gorgias & Theognis, secum pugnant ipsi, modo doceri posse virtutem affirmantes, modo idem negantes. Quae cum ita sint, erroris aliquid in demonstrationem, qua doceri virtutem posse modo ostendebatur, necesse est irrepsisse; idque, revocantes eam in memoriam, deprehendimus eo loco, ubi scientiae solius ope negotia curari recte posse posuimus: vera enim opinio idem prorsus, quod scientia, praestat. Quemadmodum qui experiundo certaque cognitione viam, ducentem Larissam, non novit, vera tamen eam coniectura assequitur, haud minus est itineris dux bonus, quam qui certissime eam novit: ita in rebus omnibus opinio vera non minus, quam scientia, negotiis recte gerendis inservit. Differt quidem a vera opinione scientia eo, quod illa mutatur facile ac deseritur, haec animo alte infixa, firmisque rationibus nixa, nunquam, omneque omnino errandi periculum excludit, quo ipso scientia praestat opinioni licet verissimae: attamen, quamdiu vera manet in animo opinio, haud minorem nobis scientia praestat utilitatem. Virtus igitur cum nequeat doceri; non scientia, sed vera tantum opinione dicenda est niti, eodemque prorsus modo ab hominibus parari, quo vates fiunt, ac a Deo inspirantur nonnulli, qui vera quidem dicunt, absque

ulla tamen vel ſcientia, vel ſapientia. Quamobrem praeclari & illuſtres in civitatibus adminiſtrandis viri, quales fuere Themiſtocles, Ariſtides, alii; haud minus, quam vates, divini ſunt dicendi, divinoque afflatu recte negotia curare putandi; ut adeo virtus nec natura, nec diſciplina comparetur, ſed Deorum beneficio, divinaque ſorte, hominibus tribuatur. Quae de afflatu divino dicuntur, a natura virtutis prorſus ſunt aliena, cum virtus habitus ſit animi, habituſque nullus comparari aſpiratione momentanea ac tranſitoria queat. Praeterea, quae ad efficiendam hanc adhibentur concluſionem, neceſſario eam non gignunt: falſum enim eſt, Quod nequit omnibus tradi, id ſcientia non eſt; cum non omnes doceri omnem ſcientiam queant.

ALCIBIADES I.

ALCIBIADEM, ſuperbum adeo, ut omnes fere amicos a ſe abalienaret, nullius ſeſe ulla in re egere ope putantem, quod pulcherrimus eſſet ac maximus, quod pater cognatos plurimos, eoſque ſummi faſtigii viros, ſibi paraſſet, opibus praeterea ac generis ſplendore excelleret, cum ad rempublicam iam cerneret acceſſurum, licet imparatus adhuc parumque eſſet inſtructus ab iis, quae ſcire oportet, qui rempublicam cupit adminiſtrare: dehortatus eum ab incepto aleae pleniſſimo Socrates, impellere ad rerum maximarum, iuſtitiae inprimis, ac politices ſtudia conatur. Quod autem dialogum hunc, De natura hominis inſcripſerunt, ridicule prorſus fecerunt antiquiores Platonis explanatores; cum ad Alcibiadem omnia referantur, & quaenam ſequi hominem ingenuum ac generoſae indolis ſtudia maxime deceat, de humana autem natura nihil plane doceatur, niſi quatenus, qui de officiis agit hominum, naturam quoque humanam cogitur attingere. Ut fieret Alcibiades prior

ad consilia, quae daturus ei erat Socrates, sequenda; nihil eum scire adhuc demonstrat eorum, quae tenere animo oportet de negotiis publicis publice consilia daturum; neminem posse bonum esse consultorem, nisi qui melius, quam ii, quos consilio est adiuturus, id, de quo quaeritur, perspexerit. Quae porro publice veniunt in deliberationem, ea ad bella suscipienda, paces faciendas, praecipue pertinere, in quo maxima sit iustitiae vis, cum praeter ius bellum alicui inferre nec sit honestum, nec etiam bonum; proinde, qui suadere aut dissuadere in publicis negotiis aliquid cupit, eum prae aliis esse iuris peritum debere. Iam haec Alcibiadem nuspiam didicisse, nec ipsum etiam invenisse; nullum enim posse ab eo definiri tempus, quo ignorare haec se sciens, ad investiganda sese accinxerit: ante puritiam meditando haec exquiri non posse; puer autem cum esset, verbatus satis sibi in iure, disceptans cum aequalibus, videbatur. Suffusus pudore Alcibiades, omnem, ne constringatur plane, movens lapidem, esse quidem neminem sibi iuris magistrum, a multitudine tamen ius didicisse, reponit. Socrate hunc magistrum, qui ne talorum quidem ludum doceat recte, vehementer repudiante; eadem se ratione, qua Graeco sermone uti a vulgo didicerit, iuris ab eodem scientiam accepisse, narrat. Socrates contra: idoneum omnino vulgus patrii sermonis magistrum esse; id enim optime quemvis docere, quod accuratissime perceperit, & in quibus nulla vel minima est inter homines dissensio, ea optime eos habere perspecta: unde appareat, quemadmodum vulgus loqui doceat optime, sequuntur enim unam omnes in loquendo normam; ita in iure magisterium eiusdem esse prorsus repudiandum, cum de nulla re magis inter se vulgus dissideat, ac disceptet. Victus Alcibiades dat manus, seque iuris fatetur plane imperitum.

Ne tamen ineptum se prorsus esse ad ea, quae proposuerat animo, largiretur, a iure ad utilitatem confugit, dicens, raro Athenienses de eo, quod iustum est, semper fere de eo, quod expedit, deliberare; non esse enim utile idem,

quod iuſtum, multisque iniurias magnas utilitatem ingentem, ut aliis iuſtitiam damnum attuliſſe. Quo audito, petit ab eo Socrates, ut hoc ſibi demonſtret; quod enim multis conetur aliquis perſuadere, id perſuadere uni, eſſe ei difficile non poſſe: recuſante vero Alcibiade, contrarium ſeſe ipſi demonſtraturum pollicetur. Eſt haec demonſtratio talis: quae iuſta ſunt, honeſta quoque ſunt; quae honeſta, ſunt etiam bona; cui obſtat minime, ſi quis in proelio opitulantes amico vulnerari ſaepe aut occidi, non opitulantes, cum deberent auxilio eſſe, integros rediiſſe obiiciat; cum nulla unquam res uno eodemque reſpectu honeſta ſimul eſſe ac mala, aut turpis ſimul ac bona queat; adeoque, quatenus honeſtum eſt quodcunque, eatenus bonum eſſe neceſſitas cogat. Eſt namque fortitudo bona adeo, ut ne cum vita quidem eam permutare quiſquam velit; timiditas contra maximis malis accenſetur: cumque opem ferre in proelio amicis, ſit honeſtum, ſimulque actio a fortitudine profecta; eandem, quatenus eſt honeſta, eſſe etiam bonam, recte concluditur. Iuſta ergo omnia ſunt bona, id eſt, utilia. Videtur haec demonſtratio magni eſſe roboris, cum revera ſit exigui, ac fere dicam nullius; demtis vocabulorum ambiguitatibus, huc omnia redeunt: honeſtum eſt bonum, quia a nobis expetitur; fortitudinem namque bonam eſſe inde tantum evincitur, quod magni eam unuſquiſque facit, & mori mavult, quam fortitudine carere. Iam, quaecunque expetuntur a nobis, licet expetantur ab omnibus in univerſum, bona eſſe, non ſequitur, cum perperam multi multa expetant, poſſitque in his apud genus humanum errori forte locus eſſe. Sed fac, non ſubeſſe hic erroris aliquid; non efficitur tamen, quod vult Plato: expetimus honeſta, expetimus etiam utilia, bonum eſt ergo utrumque; iam minus bonum ſi referatur ad maius, in mali tranſit naturam: prius ergo, quam honeſtum eſſe bonum concludas, honeſtum magis expeti, quam utile, aut natura ſua expetendum magis eſſe, probandum tibi incumbit. Eſt hoc argumentum de genere eorum, quae aures

quidem feriunt, animum transvolant intactum, quaeque mentem quidem notionibus augent distinctioribus magisque accuratis.

Ut autem rem maximi momenti extra omnem collocet dubitationis aleam, argumentum aliud affert huiusmodi: bene recteque agere, cum qui bene agunt sint felices, felicitas autem bonorum paretur possessione, est bonum; idem, cum qui bene agit, honeste quoque agat, honestum etiam est: ergo bonum ac honestum a se non differunt. Quod quaeritur, in hac etiam conclusione ponitur pro certo: an enim, qui bene agit, id est, quae sunt sibi utilia facit, honeste semper agat, versatur adhuc in quaestione; nihilominus eodem Plato, tanquam certissimo, utitur ad demonstrandum, bonum esse etiam honestum. Hinc porro iustum quod sit, esse etiam utile colligit; bona namque omnia sunt utilia: sunt autem honesta omnia bona, iustaque honesta; ergo iustum omne est utile. Ceterum primus, ni fallor, Plato, utilitatem veram & honestatem nunquam a se invicem disiungi, aut secum pugnare, docuit: qua in re Stoicos deinde habuit sectatores. Alcibiades igitur, qui iustum quoddam non esse utile affirmaverat modo, cum contrarium dicere iam cogatur, cumque qui scientiam alicuius rei habet, nequeat a se ipso dissidere: Socrates, ignorare eum iustitiae naturam, versari in rerum maximarum inscitia, ac ad rempublicam accedere, quomodo gerenda sit nescientem, infert. Quod quamquam non negat Alcibiades, haud magni tamen putat referre: plurimos namque, qui Athenienſium rempublicam tractassent, rudes etiam ac indoctos fuisse; discendo ergo & exercitatione defatigari supervacaneum esse, cum persuasum habeat, sese naturae dotibus, ingeniique praestantia facile aemulos superaturum. Cui Socrates, Indigna sunt prorsus haec, inquit, tua indole, tuisque animi & ingenii dotibus: neque enim certamen tibi fore cum iis, qui Athenis vivunt, sed extraneis multis, est existimandum; quique cupit rempublicam, aut ullam rem aliam praeclare & optime administrare, cum in

ſeſe oportet comparare, ut omnes, qui in ea re excellunt, aut excelluerunt unquam, ſuperet; praecipue autem, qui tractare Athenienſium cupit rempublicam, eum eſſe ſuperiorem iis, qui publice ſunt ei adverſarii aut hoſtes, Lacedaemoniorum ac Perſarum regibus, decet. Quos cum Alcibiades nihilo eſſe meliores exiſtimaret ducibus aliis & rerumpublicarum gubernatoribus: id ut refellat, ſingula, quibus praeſtant, Socrates recenſet; comparatiſque his cum rebus Alcibiadis, magnum inter hos ac illum intercedere diſcrimen, oſtendit. Repreſſa his rationibus arrogantia, ex animo Alcibiades, ut fiat melior, ſtudendum ſibi eſſe fatetur; quoque id modo fiat, ut ſibi aperiat, Socratem rogat.

Hic igitur, Cupimus, inquit, fieri quam optimi; at quanam in arte? In ea, qua viri boni praeſtant. Quae eſt iſta? Qua res aguntur. At quae res? de gubernanda navi, conficiendis calceis, eiuſque generis aliis, ſermo certe non eſt. Quae ad reipublicae pertinent adminiſtrationem. Eaene, quibus aegrotantibus, metentibus, aut aliud quid facientibus praeſumus? Quibus hominibus communiter aliquid agentibus praeſumus. At navigantes, aut ſimul canentes, communiter quoque agunt? Intelliguntur, qui communem habent rempublicam. Quanam autem arte haec negotia curantur? Conſilio bono. Idem nonne in aliis quoque negotiis eſt adhibendum? Quis eſt eius in civitate finis? Ut melius geratur reſpublica ac ſervetur. Quid eſt ergo, quod ſervat civitates? Amicitia, id eſt, concordia civium. Quonam modo haec efficitur? His ſimilibuſque quaeſtionibus Alcibiadem recte nunquam reſpondentem, nec accurate, quid ſibi velit, definientem, ad confeſſionem ignorantiae adigit Socrates, ſimulque ad diſcenda, quae deeſſe ſibi fatetur, ſtimulat.

Quo autem magis eum, quae ſint agenda, doceat, tandem ex eo, quidnam ſit ſui gerere curam, quaerit: hoc nempe explicato, quae ipſi incumbebant ſatis aperiebantur. Sui curam gerere, non eſt de iis eſſe ſollicitum, quae ſunt ſua, pedibus nempe, manibus, veſtibus, ceteriſque, quae perti-

nent ad corpus; membra enim & corpus ſunt noſtra, non noſmetipſi: qui igitur ſimus nos ipſi, id eſt, quo maxime ſimus homines, eſt inquirendum. Quod utitur aliqua re, diverſum eſt ab eo, quo utitur; hoc enim eſt inſtrumentum modo utentis: ergo quocunque homo utitur, non eſt ipſe homo; corpuſque, cum eo utamur, inſtrumentum eſt hominis ipſius. Aut enim anima, aut corpus, aut utrumque ſimul eſt homo: corpus vero hominem non facit, quod eo anima, imperando ei, utitur; ergo nec utrumque ſimul; ergo anima ſola. Quare qui corporis, aut eorum, quae pertinent ad corpus, divitiarum, veſtium, ceterorumque his ſimilium gerit curam, de ſemetipſo non eſt ſollicitus; nec vera etiam praeditus prudentia, cum ſe ipſum noſſe, prudentem demum efficiat; unde medici, agricolae, aut alterius cuiuſdam artis, quae corpus tantum attingit, periti, vera deſtituuntur prudentia. Irrepſit in hac demonſtratione error haud levis, e ſermone tamen communi trahens originem, ideoque facile excuſandus: hominem ſuo uti corpore, ſolet in vita communi ſaepius dici; perperam vero hinc, animam ſolam eſſe hominem, colligitur, cum, prudentia etiam noſtra, ingenio, memoria, reliquiſque animae viribus, quin & anima ipſa, uti eodem modo dicamur; eademque ratione, nec animam eſſe hominem ipſum, foret concludendum. Quod ſi accurate loquamur, anima quidem utitur corpore, ſed homo corpore non utitur: corpus enim & anima ſimul hominem faciunt, ſolaque per ſe anima non magis eſt homo, quam corpus per ſe ſolum. Ex his, & quae iis ſunt affinia, procreatus eſt error eorum, quibus ex parte etiam Plato eſt annumerandus, qui, neglecto prorſus, immo peſſime etiam habito corpore, felicitatem ſeſe adepturos, optimeque vitam inſtituturos, ſibi perſuaſerunt, quaſi mens eſſe ſana, corpore non ſano, aut peragere munus ſuum fractis corporis viribus poſſet. Huic errori inter philoſophos Pythagoras forte primus, (is enim multa dicitur docuiſſe & inſtituiſſe, quae ad contemtum corporis faciebant) Plato deinde magis, rationes eius ſubtiliter ac co-

pioſe ornando, novas etiam adiiciendo forſan, locum fecit; in diſciplinam tamen odium contra corpus ſuſceptum non redegit, aut vitae rationem peculiarem eo ſpectantem inſtituit, ut factum ab Alexandrinis, quorum virtus & morum diſciplina omnis nihil eſt aliud, quam ars belli contra corpus gerendi, eoque ipſo rectam quoque rationem e ſede eiiciendi, ac mira quaedam & inſolita corruptae imaginationis phantaſmata, aegrorum ſomniis ſimillima, in locum verarum intellectus notionum ſubſtituendi. Quo factum, ut, quae ſanus nemo abſque rationibus validiſſimis ſibi perſuadeat, ad Deum ipſum poſſe contemplando accedi, in daemonum ſpirituumque amicitiam ac ſocietatem perveniri, miraque multa patrari, pro apertiſſimis certiſſimiſque hi homines haberent, nullis prorſus, quibus id demonſtrarent, aut ſtramineis, & in nugas, adhibito examine paulo accuratiori, inanes abeuntibus argumentis uſi.

Ut ergo, qua ratione noſtri curam optime geramus, a nobis intelligatur; noſtri quomodo adipiſcamur notitiam, & ſatisfaciamus praecepto Delphico, Noſce te ipſum, eſt inquirendum. Quemadmodum qui oculo, ut ſe ipſum cernat, praeciperet, nihil ſibi vellet aliud, quam ut oculus id aſpiceret, cuius ope ſemet cerneret ipſum, id eſt, oculum alium: ita qui hominem iubet ſe ipſum noſſe, intueri eum id, quod ſibi eſt ſimillimum, ac in homine praeſtantiſſimum, iubet, id eſt, animam ipſam, quodque in anima eſt praeclariſſimum. Iam nihil in anima eſt melius ſapientia ac mente, qua ſola divinitatis gerit ſimilitudinem. Hanc ergo qui intuetur, quaecunque ſunt divina, Deum, ac ſapientiam, cernit, eorumque ope ſe quoque ipſum cognoſcit. Fallitur iterum Plato, cognita ea animae parte, cui ineſt ſapientia, id eſt, mente ac intellectu, adepturos nos noſtri cognitionem exiſtimans, cum praeter mentem inſint alia nobis multa, ex eius operibus ac natura minime pendentia. Induxi autem eum in errorem opinio ab Ariſtotele & philoſophis ſerioribus magis explicata, qua, cognito, quod in quovis genere eſt praeſtantiſſimum, perſpici etiam, quae ſunt hoc

inferiora, sibi persuadebant, regulamque inde constituebant, optimum esse in quovis rerum genere mensuram reliquorum; locum id habere in magnitudinibus rerum & quantitatibus tantum definiendis non animadvertentes, nec posse ex eo, quod est praestantissimum, qualitates & affectiones reliquorum minus praestantium ullo intelligi modo. Quod autem in ea animae parte, cui ratio inest, cerni divinum omne ac Deum autumat Plato, verum quidem est, quatenus non possumus non sapientiam, mentem ac rationem Deo tribuere; falsum vero, quatenus Deus ipse naturaque divina cognosci e mente nostra asseritur. Hic est fons ille omnium fere, quae ab enthusiastis errantur errorum, aspici Deum, ac cerni oculis mentis putantium, eodem prorsus modo, quo oculis rem iis obiectam aspicimus, ideoque ecstasi sese immergentium, sensum, imaginationem, ipsum denique ratiocinium arcentium, ut, quiescentibus plane animae viribus, eo clarius conspiciatur Deus. Quo ipso in omnium absurdorum fere extremum sese incidere, esse rationem absque ratiocinio, mentemque absque operibus mentis putantes, non animadvertunt; praeterea, quae metaphorice accepta vera sunt, iis sensum proprium praeter rationem tribuunt; siquidem ad Dei nos pervenire notitiam cognitis rationis mentisque natura, verum, Deum ipsum mente a nobis aspici, falsum est. Quam sententiam ut auctoritate etiam munirent, Platonem huc traxerunt invitum: quem enim is Deum dicit mente cerni, rationem intelligit, divinitatis particulam, quam alibi Daemonem dicit in anima habitantem. Longissime ergo, etsi verbis utatur iisdem, ab eorum distat opinione, qui Deum ipsum, omnium conditorem, cerni a nobis ecstaseos beneficio posse, sibi persuaserunt. Qui se ipsum novit, prudens est; qui semet ignorat, prudentiaque caret, sua quoque omnia, sive sint bona, sive mala, adeoque ea etiam, quae pertinent porro ad sua, quaeque sunt aliorum denique, ignorat: unde efficitur, ut eiusmodi vir nec ad rempublicam, nec ad rem familiarem, aut ullam aliam administrandam sit idoneus,

ſed in his omnibus errori ſit & peccatis obnoxius. Cum autem qui peccat, ſit idem miſer; prudentia ac ſui cognitione carentem, eſſe in publicis privatiſque rebus gerendis miſerum neceſſe eſt; civitatibus autem opes, magnitudo, apparatus bellici, ceteraque, demta virtute, nihil proſunt. Quod ſi igitur rempublicam vis adminiſtrare, virtutem civibus te oportet tradere; proinde ipſum quoque, cum, quod non habeat, nemo poſſit dare, eſſe virtute inſtructum, ac divinum illud & ſplendidum, quod modo dixi, reſpicere; iniuſte contra ſi feceris, ac quod divinitatis eſt expers & tenebricoſum reſpexeris, a vero bonoque longe aberrabis. Ingens igitur poteſtas, abſque mente ac ratione, tantum abeſt ut inter bona ſit referenda, ut maximum potius malum ſit habenda, perinde ac ſi furioſo vim ac robur ingens, ut nihil ei queat reſiſtere, natura tribuat. Praeclare haec omnia veriſſimeque dicuntur, ut nihil addere amplius ſit neceſſe: ad id modo intendamus animum, quod divinum vocat Plato ſplendidum, divinitatis expers contra tenebricoſum. Haec ſi aliis infra commemorandis contulerimus locis; Dei naturam ei luci ſimilem viſam, eumque adeo Cabbaliſtis reliquiſque emanationis omnium rerum e Deo patronis, Deum eſſe lucem, materiam tenebras docentibus, praeiviſſe intelligitur. Cuius ſententiae, niſi me omnia fallunt, auctor eſt Plato: reliqui namque ante eum, ignem qui Deum dixere, abſunt ab hac ſententia, remque craſſiorem, & a divina ſimplicitate remotiorem attulerunt. Nec accepiſſe hoc Platonem ab alio facile putem, ſed hauſiſſe potius ex ipſa divinae naturae accuratiori conſideratione; cuius quo magis eſt a philoſophis intellecta praeſtantia, eo magis quoque ſeiungere eam a materia, ſubtilioremque animo concipere ſtuduerunt. Quae de philoſophia orientali, Zoroaſtris Magorumque ſolent hic afferri doctrina, Platonem, ut ita ſtatueret, movere vix potuerunt, ut de quibus ante Alexandrum Magnum vix ullum apud Graecos occurrit veſtigium: nemo certe, quod ſciam, de Zoroaſtris philoſophia ante Platonem quidquam in literas retulit; ipſeque

Plato, etſi de Magis in hoc etiam dialogo loquatur, ſacerdotes eos potius, quam philoſophos, exiſtimat.

ALCIBIADES II.

ALCIBIADI, ad ſacrum faciendum Deoſque precandos proficiſcenti, obviam factus Socrates, quaerit ex eo, quid contracta fronte ſecum meditetur? Ad quod ſolita ille animi levitate, Quid mediter? Quam ei ut excutiat, quo eſſe animo oporteat rite precaturum, Socrates eum docet; ſolere enim Deos nonnunquam, quae temere ab iis petunt homines, ut Oedipi patet exemplo, facere, maximaque adeo opus eſſe circumſpectione. Alcibiade vero, hominis inſani exemplum ad ſe pertinere nihil, reponente; in rerum maximarum cum verſari ignorantia, quae in rebus gerendis haud multum diſtet ab inſania, demonſtrat. Inſania opponitur prudentiae; eidem imprudentia quoque eſt contraria: iam cum inter prudentiam imprudentiamque nihil ſit in medio; hominem omnem aut eſſe prudentem, aut prudentia deſtitutum; omneſque adeo imprudentes, eſſe inſanos ſequitur. At ſunt plures longe, qui prudentia carent, quam prudentes, noſque verſantes quotidie inter inſanientes ac furioſos, qui fit, ut integri, illaeſi, & a verberibus immunes degamus? Animadverſo errore, Alcibiades modo dicta retractans, concluſionis vitium ibi docetur latere, ubi uni tantum unum opponi ſumebatur; eſſe enim imprudentiam genus, cui multae ſubſint ſpecies pluribus nominibus inſignitae, interque eas & inſaniam; proinde recte dici omnes inſanos carere prudentia, etſi qui careat prudentia, non ſtatim inſanus ſit vocandus. Quod itaque inſania Oedipi tanquam effugio uſus ſit Alcibiades, nihil eſſe, cum fuerit nihilo ſecius prudentiae expers; quicunque enim, quae ſint

agenda, necne, neſciat, eum eſſe prudentia deſtitutum. Qua imprudentia multos praeter Oedipum in precandis Diis graviter lapſos, ingentia ſibi pro bonis mala eſſe precatos, exempla paſſim docere; rectèque adeo poëtam quendam hac uſum precum formula: Iuppiter rex, quae conducunt nobis, ſive precati fuerimus, ſive non rogaverimus, nobis da; mala vero, etiamſi a te expetierimus, a nobis arce. Ad haec Alcibiades, ingentium quidem malorum cauſam eſſe ignorantiam; quemlibet tamen ſatis, quae ſibi conducant, intelligere, nec facile, quae in perniciem ſint evaſura, Deos rogaturum. Quam perſuaſionem falſam ut ei demat Socrates, definiendam accuratius monet ignorantiam: eſſe namque nonnullarum rerum quibuſdam hominibus ignorantiam interdum utilem; ſolam vero optimi ignorantiam ſemper nocere, eaque ubi reperiatur, rerum aliarum ſcientiam nihil unquam prodeſſe. Oreſtem, ſi quod eſſet optimum habuiſſet perſpectum, matrem nunquam fuiſſe interfecturum; optimique adeo ignorantiam obeſſe: eidem, ſi matrem nunquam agnoviſſet, ſemperque aliam eam exiſtimaſſet, cum ſcelus non fuiſſet patraturus, ignorantiam hanc vehementer fuiſſe profuturam; ignorantiam proinde haud raro eſſe utilitati. Quin rerum aliarum peritiam, abſque eius, quod eſt optimum, ſcientia obeſſe ſaepius, quam prodeſſe. Oratorem namque, qui de bello aut pace, muro exſtruendo, aliiſque huiuſmodi rebus conſilia civitati dat, ignorans, an utilitatem haec ſint allatura; qui equitandi, ſagittandi, aut aliam quamvis artem callet, prudentia deſtitutus, eos omnes, quo tempore & modo his ſit rebus utendum ignorantes, obeſſe ſibi neceſſe eſt ſaepiſſime. Plures vero longe prudentia carentes, quam prudentes, eſſe omnino; nec verum eſſe, quod modo dixerat Alcibiades, unumquemque, quae ſibi expediant, ſatis habere perſpecta. Scientiam itaque eius, quod eſt optimum, maximi eſſe faciendam, reliquiſque artibus cunctis anteponendam; praecipue autem in precibus, quas ad Deos fundimus, quidnam ab iis ſit petendum, magnopere ſemper conſideran-

dum, tutissimamque eos ingredi viam, qui Diis ipsis, quidnam optimum sit sibi, permittant decernere, nihilque aliud, quam ut, quae pulchra sunt & bona, sibi largiantur, ab iis petant: quam Lacedaemoniorum precandi formulam, Ammonem etiam ipsum, responso Athenienſibus dato, probasse. Non respicere Deos ad sacrificiorum magnificentiam, sed ad precantis animum. Praeclara sunt haec, summoque philosopho digna; tum autem temporis, cum scriberentur, maximi sine dubio fuere momenti, quod vulgus omnem fere religionem in sacrificiis, caerimoniarumque spectaculo existimabat poni, de animo moribusque emendandis parum aut nihil plane sollicitum. Primus, ni fallor, inter Graecos Pythagoras hunc errorem ex animis hominum evellere, & religionem ad mores etiam corrigendos conatus est adhibere: hunc secutus Socrates, plurima discipulis de Deo rite colendo tradidit; in hoc utilior Pythagora, quod sensum magis communem, notionesque claras, relictis Pythagoreorum mysteriis & hypothesibus, sequeretur. Post hunc Plato, quique non omnium religionum exstiterunt contemtores, philosophi omnes, de cultu divino praeceperunt: quo factum, ut rudis illa barbarorum hominum religio, sceleribus tantum coërcendis apta, in cultum transiret puriorem, & ad animum ipsum emendandum adhiberetur.

CHARMIDES.

CHARMIDEM, optimae indolis eximiaque pulchritudine iuvenem, ad studium sapientiae accensurus Socrates, ut colloquendi cum ignoto antea sibi nanciſceretur occasionem, medicum sese simulat, qui, incantatione a Thrace quodam accepta, capitis possit mederi doloribus. Quam cum avide ab eo expeteret Charmides, professus simul, de Socrate mul

ta iam ſeſe audiviſſe; animum prius eſſe ſanandum, Socrates reponit: ſic enim Thracas Zamolxidis diſcipulos praecipere, non poſſe corpus, niſi ſanata ante anima, valetudini reſtitui, ſeque iureiurando iis promiſiſſe, nemini communicaturum incantationem, cuius animum antea non ſanaſſet. Hoc audito, Critias, animo, ut corpore, eum aequalibus praeſtare, eſſeque temperantiae ſtudioſiſſimum, narrans, quaerendi de hoc ipſo anſam Socrati praebet, quid ſit temperantia? Affert varias iuvenis definitiones, parum tamen accuratas: quibus refutatis, operam ulterius huic rei eſſe dandam, omnique ſtudio, quam nondum poſſideat, ſapientiam concludit Socrates diſcendam. Eſt autem prima Charmidae definitio, temperantiam eſſe animum ſedatum, temeritati ac nimiae feſtinationi oppoſitum. Contra haec Socrates argumentatur ſic: temperantia eſt res bona ac honeſta; tarditate autem uti, non eſt ſemper bonum ac honeſtum, ut quae in curſu, lucta, aliiſque rebus multis iure vituperatur. Igitur alio modo temperantiam Charmides definit pudorem, cum efficiat, ut homines verecundiam adhibeant ac pudorem. At, inquit Socrates, pudor non decet egenum, teſte Homero; cumque non omnibus ſit bonus, eſſe nec bonum nec malum per ſe efficitur; temperantia autem ſemper eſt bona. Tertiam tandem affert definitionem, ſua quemque agere, eſſe temperantiam. At grammaticus non ſuum ſemper nomen ſcribit, aut legit, civitaſque, quae ſuas quemque veſtes lavare, aut facere iuberet, haud bene foret ordinata: alium itaque, inquit Socrates, huius praecepti eſſe ſenſum oportet. Hoc audito, Critias, quem eſſe huius ſententiae auctorem ſuſpicatus ſtatim fuerat Socrates, patrocinium eius ſuſcipiens, facere nos etiam, quae ſunt aliorum, concedit; agere, negat: Heſiodum inter haec iam vocabula diſcrimen aliquod ſtatuiſſe, nullum opus turpe dicentem eſſe, & quae honeſte fiunt, utilitatemque afferunt, eum vocare opera & actiones; quae vero turpiter fiunt, & damno ſunt, facere nos eum dicere; ut adeo ſit ſenſus dicti eius: quicunque honeſta agit & utilia, ſua

agit, & temperantis nomen fert. At, obiicit Socrates, medici, & artifices multa saepe faciunt, quae sunt utilia, an utilitatem afferant ignorantes, nec id etiam curantes, modo enim, quod est artis, efficiunt; de iis, quae deinde sequuntur, parum sunt solliciti, nemoque ab iis, ut haec dispiciant, postulat: qui autem temperantiam adhibet, eum nosse se recte, & ad utilitatem dirigere omnia, necesse est.

Quem ut emendet errorem, definitioni adiicit Critias, temperantem nosse se ipsum, suique cognitionem, id est, scientem facere utilia & honesta, esse temperantiam. Ergo, pergit Socrates, temperantia est scientia: ars autem & scientia cum efficiant aliquid, quidnam temperantiae sit propositum efficere, quaeritur? Negante haec Critia, quod sint artes & scientiae speculatrices, quibus nullum opus sit assignatum, arithmetica v. g. esse tamen, obiicit Socrates, omnem scientiam rei alicuius scientiam, adeoque haud absimilem priori redire quaestionem, cuiusnam rei scientia sit temperantia? Est aliarum omnium scientiarum, & sui ipsius, respondet Critias, temperantia scientia. Quae latent in hac definitione absurda Socrates hoc eruit modo: scientia omnis in re aliqua cognoscenda versatur, nullaque proinde datur scientia, quae scientiae sit scientia; haec praeterea scientia sciret se ipsam, quod fieri nullo videtur modo posse, cum posse ullam rem aliquid efficere in semetipsa, visum sese videre, auditum sese audire, omnem superet intelligentiam. Accedit, quod hac scientia, quae scit aliquis & quae nescit, supra dicebatur sciri: hoc autem nullo iterum modo potest fieri; ea enim ipsa, quae nescimus, non possumus scire. Denique scientiarum scientia non potest esse temperantia, cum propositum sit ei reddere nos beatos, ac utilia nos docere; scientiae autem omnes, nisi adsit boni malique cognitio, nihilo nos reddant feliciores. Refutato sic Critia, temperantiaeque natura non inventa; carere se adhuc rerum maximarum scientia, Charmides fatsus, Socrati erudiendum sese tradit. Nimium subtilitatis & operae in refellenda absurda hac temperantiae definitione

Plato impendit, ut ſolet nonnunquam in declarandis, quae per ſe patent, abſurdis, nimium ingenii acumini indulgere.

LACHES.

NICIAS & Laches, quaerentes inter ſe, an filiis ſuis expediat doceri artem in armis dimicandi, Lyſimachum, Meleſiam & Socratem in conſilium adhibent: quorum cum alter id ſuaſiſſet, alter diſſuaſiſſet; rogatus Socrates ſententiam, quaerendum prius eſſe reſpondet, an ſit inter eos, qui hanc artem calleat, poſſe enim a nemine, niſi rerum perito ſcientiaque inſtructo, bonum afferri conſilium: cum tamen omnis hac de re conſultatio eo ſpectet, ut filii virtutem adipiſcantur; de virtute ipſa, in ſpecie autem de fortitudine, ad quam maxime pertineant exercitia armorum, an rite eam habeant perſpectam, eſſe quaerendum, ut hinc demum, qua ratione ea ſit paranda, definiatur. Fortem igitur dicit Laches eum, qui in ordine ſuo manens, adverſus hoſtes pugnat, nec fugit. At Scythae, reponit Socrates, pugnant fugientes, immo & Lacedaemonii eodem pugnae genere nonnunquam ſunt uſi: quos cum fortes viros exiſtiment omnes; qui manet, nec fugit, ſolus fortis non eſt dicendus; tu ergo quandam fortitudinis ſpeciem affers, cum ego de omni in univerſum fortitudine, non bellica tantum, ſed quae cernitur in morbis, in paupertate, in periculis, in cupiditatibus & animi affectibus oppugnandis, quaeram. Fortitudo ita accepta, reſpondet Laches, eſt animae tolerantia. At non omnis tolerantia, monet Socrates, eſt fortitudo: haec enim cum ſit res bona ac honeſta, cumque tolerantia, cui deeſt prudentia, inter honeſta nequeat referri; tolerantiam & fortitudinem neceſſe eſt differre. Tolerantia ergo, cui accedit prudentia, fortitudo potius eſſet dicenda, niſi quaedam obſtarent, praecipue quod qui to-

lerat, ut prudenter eroget pecuniam, lucri faciendi cauſa, fortis non audit; quod fortior dicitur, qui abſque armorum tractandorum peritia pugnam capeſſit, etſi qui arma tractare antea didicit, ſit prudentior; adeoque non omnis fortitudo adiunctam habet prudentiam. Lachete his iam defatigato, Nicias fidenter ſatis definiendi partes ſuſcipit, aliaſque affert, meliores quidem, haud tamen ex omni parte probandas definitiones.

Is, quarum quiſque rerum eſt maxime peritus, cum in iis praeſtet, eaque optime faciat, fortitudinem definit ſapientiam, ſeu ſcientiam metuendorum & non metuendorum in bello, reliquiſque omnibus rebus. At medici quae in morbis ſunt metuenda ſciunt, nec fortes tamen propterea dicuntur: idem de agricolis dicendum. Ad haec Nicias: Utrum aegroto expediat magis ſanitati reſtitui, ignorant medici: ergo, cum hinc maxime, quae ſunt metuenda & non metuenda, intelligatur; metuenda & non metuenda medici ignorant. Nec etiam eſt alicuius momenti, ſi quis, vates ſolos eſſe fortes, cum quaenam ſint eventura praevideant, hinc inferat; vates enim quae futura ſint modo intelligunt, de utilitate inde proveniente parum ſolliciti: aut ſi quis fortitudinem beſtiis, ratione & ſcientia deſtitutis, ea propter deneget; beſtiae namque feroces ſunt, non fortes. Alia igitur ratione eum Socrates oppugnans, de ſententia tandem deiicit: fortitudo eſt virtus quaedam, non virtus omnis, cum praeter eam prudentia quoque, iuſtitia, aliaeque in virtutum numero ponantur; metuenda porro ſunt ea tantum, quae exſpectantur, id eſt, futura, excluſis praeſentibus ac praeteritis; omnes denique ſcientiae abſque ullo temporis diſcrimine, ad praeſentia ac praeterita non minus, quam futura extenduntur, medicina v. g. agricultura, ars militaris, ceterae; eadem ergo ſcientia, qua futura dignoſcimus metuenda & non metuenda, praeſentia quoque ac praeterita cognoſcuntur, id eſt, bona malaque in univerſum, adeoque fortitudo omnem complectitur virtutem, cum, qui bona omnia malaque novit, vir-

tutem totam possideat. Victo Nicia, fortitudineque non inventa, quam habeat naturam: Laches ignorantiam fassus, ut Socrati filios tradant erudiendos patribus suadet; hunc namque, quid sit fortitudo & reliqua virtus, optime habere perspectum. Insunt huic dialogo subtiles, nec parvi momenti rationes, quae, quam sit difficile accurate fortitudinem definire, docent, simulque hac de re meditaturum haud parum possunt iuvare. Id unum non omni videtur reprehensione carere, quod virtutem in genere scientiae collocari Socrates probat; cum experientia satis doceat, qui optime aliquam rem norunt, virtutisque & officiorum indolem maxime habent perspectam, eos propterea virtutem non exercere, sed praeter scientiam accedere aliud quid ad complendam virtutis definitionem debere.

LYSIS.

Inquiritur in hoc dialogo, quaenam sit causa, quae amicitiam ac amorem inter homines conciliat; refutatisque disputatione subtilissima, quae solebant ab aliis afferri, nihil certi definitur. Vehementer haec quaestio vexavit philosophos, ut ne hodie quidem, quod ex omni satisfaciat parte, facile invenias: in qua tractanda tanta cum subtilitate, tamque accurate versatur Plato, ut merito hunc dialogum inter praestantissimos, & ad exercendum ac acuendum ingenium aptissimos, quique simul methodum inquirendi exhibent optimam, liceat collocare. Est autem eorum, quae differuntur, ordo talis: Hippothales, Lysidem amans, nulla ratione cum eius sibi conciliare amicitiam valeret, reprehensus insuper a Socrate, quod carminibus, in adolescentis laudem compositis, superbiam eius augeret; ab eo, ut doceat se, quo modo gerere sese erga eum debeat, aut saltem demonstret exemplo, petit. Saepissime Plato de

huiuſmodi iuvenum adoleſcentiumque amoribus loquitur: quam rem apud Graecos admodum fuiſſe frequentatam, conſtat; cum inter philoſophos, licet aetate provecta, vix reperiatur ullus, quin iuvenem aut adoleſcentem in deliciis habeat. Quae de amoribus hiſce apud Platonem leguntur, amplius quid, quam amicitiam meram, videntur ſpirare; nec propterea tamen, ut quidquam inhoneſti credam ſubeſſe, facile inducor. Amicitiae vehementioris genus haec omnia exprimunt, qualem nos quidem, utpote animo minus ferventes, haud facile capimus; licet nec nobis omnia prorſus deſint exempla, praecipue ſi vehementem amicitiae ſenſum, quo iuniores interdum afficimur, in animum revocemus.

Exoratus ab Hippothale Socrates ad Lyſidem accedit, rerumque multarum ob oculos ipſi poſita imperitia, ac iuventute, ſpiritus eius deprimit. Parentes, inquit, cum te diligant vehementer, cupiantque reddere beatum, facere tamen quae lubet, quod maxime homines delectat, ac beatos efficit, tibi non permittunt, quin ſervo te iubent parere; nec propter aetatem tuam ita ſeſe gerunt, cum in legendo, ſcribendo, fidibuſque tractandis ſequi te, quod lubet, patiantur. Nulla ergo alia eſſe huius rei cauſa poteſt, quam quod, quae ſint agenda, necne, magnam adhuc partem ignoras, ſiquidem quaecunque calles, ea tibi permittunt; omneſque ſunt homines ita comparati natura, ut ſapientiori concedant libenter, ſuaſque ei res adminiſtrandas tradant. Praeterea qui rerum plurimarum eſt peritia inſtructus, eum amant homines, fierique ſibi cupiunt amicum: danda ergo tibi, ut fias ſapiens, opera; cum praeceptore te adhuc egere, adeoque ſapere nondum, fatearis, nullaque ſit tibi, ob quam animo ſis elato, cauſa.

His auditis, Socratem, ut eadem dicat Menexeno, Lyſis rogat: eoque, quod Lyſidi ipſi id difficile non foret, abnuente; alio ſaltem modo Menexenum ut aggrediatur, hominem in diſputando exercitatiſſimum, ac ob id nonnihil inflatum, a Socrate Lyſis petit. Ad hunc igitur con-

verſus, Equidem a pueritia, inquit, aliorum mihi conciliare amicitiam vehementer ſtudui, teque adeo, quod venire aetate nondum provectus in amicitiam Lyſidis, tantumque tibi potueris bonum parare, felicem praedico; ipſe adeo ab re iſthac praeclariſſima remotus, ut, quomodo alius alii fiat amicus, ne norim quidem: te igitur, ut id mihi explices, quaeſo, mihique dicas, uter alterius fiat amicus, amans, an amatus? Uterque alterius. Ergo, uno tantum alterum amante, ſunt amici utrique, etiamſi alter alterum non redamet, aut odio etiam eum habeat? Perperam ſe reſpondiſſe ſentiens Menexenus, ſententiam mutat, neutrumque alteri eſſe amicum, ſi non redametur ab amante, reſpondet. Ergo equos nemo amat, niſi redament eum equi, vinum nemo amat, niſi redametur a vino? Negat Menexenus. Amatum ergo amicum eſt amanti, ſive redamet illum, ſive non redamet; eodem prorſus modo, quo infantes parentibus ſunt cari, etiamſi eos, poenis coërciti, oderint; fitque hinc, ut non qui odit, ſed qui odio nobis eſt, ſit inimicus, multique ab inimicis amentur, & amicis ſint odio. Abſurdum hoc eſſe Menexenus intelligens, amatum amanti eſſe amicum aſſerit. Ergo eadem, quae ſupra, ſequuntur, amicum eſſe, qui non redamet, quique odium etiam in nos concepit. Sophiſtice Socrates de induſtria agit, ut Menexeni vehementer ſeſe ſapere putantis faſtum deprimat: omnis autem in eo eſt difficultas, quod diverſi generis animi affectiones inter ſe callide confunduntur. Aliud enim eſt amare rem aliquam vita & ratione deſtitutam, aliud ratione praeditam: in illis nullam amoris relationem poſcimus, cum ob utilitatem aut voluptatem inde percipiendam eas expetamus, caraſque habeamus; in his amorem oportet eſſe mutuum, cum praecipua, quae ex eorum amicitia petitur, voluptas, e mutuo proficiscatur amore. Quae cum a ſe invicem non diſtinguit, & confundi Menexenus per inſcitiam patitur; eo adducitur, ut conflari amicitiam, etiamſi redamemur, neget, nullumque deinde exitum queat invenire.

Converſus hinc ad Lyſidem, perperam hanc quaeſtionem opinantem tractatam, ſumto initio aliunde, hunc quoque ita rationibus conſtringit, ut quo fugiat non habeat. Dicunt poëtae, ſimilem Deum ſimili reddere notum & amicum, ſimilitudinemque putant amicitiae cauſam: idemne tibi videtur? Affirmante Lyſide, Indiget tamen id inquiſitione, inquit, altiori, cum pravi, quo magis ſecum verſantur, eo magis fiant inimici: proinde quonam, & an ullo ienſu, hoc queat defendi, quaerendum. Quod ſi ergo bonos modo intelligi, malis contra tum inter ſe, tum cum bonis nullam intercedere amicitiam, dicamus: ſuccurret nobis ſtatim, qui ſimiles ſibi ſunt, eatenus nullam ſibi poſſe utilitatem afferre; habent enim eadem, quaeque ab altero exſpectet alter, praeſtare ſibi poteſt ipſi; nulla igitur cum relinquatur, ob quam ſeſe expetant, cauſa, amori quoque & amicitiae locus eſt nullus. An itaque verum ſit magis, quod audiſſe mihi a nonnullis videor, ſimilem ſimili ſemper eſſe inimicum, ſolamque diverſitatem eſſe amicitiae cauſam, cum figulus, ut inquit Heſiodus, figulum oderit, ſintque pauperes ac divites, aegri ac medici, ignorantes ac rerum periti inter ſe amici, inquirendum. Huic obiicietur ſtatim, contraria ſibi eſſe amica nullo modo poſſe, bonum malo, iuſtum iniuſto, temperantem intemperanti natura eſſe adverſum. Nec etiam quod neque bonum eſt, nec malum, amare bonum poteſt: tria ſunt quippe rerum genera, bonum, malum, neutrum; horumque duobus iam conſideratis, tertium adhuc relinquitur. Bonum enim bono, malum malo, aut bonum malo non eſſe amicum iam oſtendimus, cum nec ſimilia, nec a ſe diverſa ſibique contraria amica eſſe ſibi demonſtravimus. Corpus, quod nec bonum eſt, nec malum, quatenus eſt corpus, medicinam rem bonam amat propter morbum, id eſt, malum, priuſquam malum fuerit factum; quibus enim mali aliquid adeſt, ea non ſunt ſtatim mala, ut capilli albo colore tincti, non ſunt albi, ſed videntur. Hoc autem ideo oportet addere, quod, quaecunque res mala iam eſt facta,

amare bonum, ut modo apparuit, non poteſt. Hoc itaque ſi ita ſeſe putemus habere; occurretur nobis, amari quod amatur, eius quod amatur gratia, propter id quod odio nobis eſt, ut medicinam amamus valetudinis gratia, quam etiam amamus propter morbum, quem odimus; adeoque, quod antea eſt refutatum, ſimile ſimili gaudere, iterum nobis redire; valetudinem enim proſperam amamus, & propter hanc medicina eſt nobis amica, adeoque amicum amico, ſimile ſimili fit amicum. Praeterea cum quaecunque amantur, alterius gratia iam dicantur amari, id autem abire in infinitum nequeat; eſſe aliquam primam, ob quae omnia amemus, cauſam, eamque amari propter ſe, neceſſe eſt. Iam autem, ſi nulla eſſent mala, nec bonum quidem amaretur: quo fit, ut malum ſit cauſa, cur bonum expetitur, nihilque ſui cauſa a nobis ametur; quod pugnat cum eo, quod modo eſt demonſtratum. Denique ſublatis malis nihil prorſus amaretur, ſi propter malum omnia expeterentur: at reſtarent nihilominus cupiditates quaedam, eae nempe, quae nec ſunt bonae, nec malae; quare malum prima cur amentur cuncta eſſe cauſa nequit. Nec denique, ſi cupiditatem dixerimus amicitiae cauſam, cupere autem nos ea, quibus indigemus, indigere eo, quod noſtrae eſt naturae accommodatum, rem expediemus: id enim ſi ulterius definiamus, ſive per ſimile, ſive per bonum; in ea, quae ſupra ſunt his obiecta, rurſus impingemus. In his quoque Plato amorem, qui hominibus nos conciliat, ſemper confundit cum eo, quo in res alias ferimur; quo ipſo ad quaeſtionem de prima, cur a nobis aliquid expetitur, cauſa, prorſus ab ea alienam, qua quaeritur, quidnam hominem conciliet homini, defertur. Quae autem monentur contra opinionem communem, ſimile gaudere ſimili, eſſeque adeo inter eos, qui futuri ſint amici, ſimilitudinem debere, praeclara ſunt, multumque ei adhaerere falſi ſatis oſtendunt; etſi totam propterea eſſe reſpuendam, ut videtur Platoni, non evincant. In hac enim concluſione elicienda in regulas ſyllogiſmorum impingit,

quae ſunt ſimilia, cum prorſus iiſdem permutando; exſiſtere ſcilicet inter eos, qui ſolo differunt numero, amicitia vix poteſt, ut nec inter eos, inter quos exigua tantum intercedit ſimilitudo.

HIPPARCHUS.

Ad philoſophiae ſtudium accenſurus Hipparchum, definiri ſibi ab eo, quaenam ſit lucri cupiditas, Socrates petit; refutatiſque, quaecunque ab eo afferuntur, definitionibus, dubitare eum, cognitaque ignorantia, ad eam pellendam applicare animum, cogit. Eſt adeo hic dialogus proxime antecedentibus ſimilis eo, quod quaeſtioni non ſatisfit: in quibus omnibus idem, qui Carteſio, Platoni eſt ſcopus, dubitationis ope ad inquirendum accuratius & ſtudioſius verum, audientes accendere. Primam Hipparchi definitionem, lucri cupidos ſeu ſtudioſos eſſe, qui lucrari e rebus vilibus & nullius pretii ſtudent, ideo Socrates reſpuit, quod prudens ſcienſque nemo lucrari cupiat, unde lucrum vix ullum poteſt facere, ſuntque quaeſtus cupidi homines aſtuti & a ſtultitia longe remoti. Definitioni ſecundae, lucri cupidos eſſe, qui ob inſatiabilem aviditatem rebus exigui pretii ac exilibus vehementer inhiant; praeter modo commemoratum, id quoque opponit, quod iſtiuſmodi homines res nullius pretii lucrantes, damnum ſibi, quod nemo ſanus facit, eſſent illaturi. Propius ad verum etſi accedat definitio tertia, qua quaeſtuoſi dicuntur, qui lucrari ſtudent e rebus, unde bonus vir ac probus nemo facere lucrum auderet, non omnino tamen Socrati ſatisfacit, cum lucrum omne ſit bonum; boni viri, bona cupientes, lucra etiam expetant; nullumque adeo probos inter & improbos, quoad lucri ſtudium, poſſit diſcrimen intercedere. Neganti deinde Hipparcho lucrum omne eſſe bonum, lucrum tamen omne

esse lucrum, nullumque, quod sit magis vel minus lucrum, reperiri; quaestum porro omnem esse rem, aut nullis aut minoribus impensis, quam sit ipsius pretium, acquisitam; unde sequi, omne lucrum, sive sit bonum, sive malum, prodesse, malumque revera lucrum esse nullum, Socrates obiicit. In omni praeterea lucro est pretium maius eo, quod est ei impensum, pretium autem quod habet, dignum est quod possideatur, & quod ut acquiratur dignum est, utile, adeoque lucrum omne utile est ac bonum. Efficitur denique, bonos viros probosque omnem expetere quaestum; falsum esse, quod modo dixerat Hipparchus, quaestuosum inde studere lucrari, unde probus nemo facere lucrum cuperet; homines omnes esse quaestus cupidos, neminique verti hoc opprobrio posse. Cum quod his opponeret non haberet Hipparchus, victus dat manus; etsi conclusiones has Socratis non respondere logicis regulis licuisset ei reponere; cum quaestus quidem omnis utilitatis sese specie commendet, non sit tamen omnis honestus, adeoque nec revera utilis, etsi vel maxime utilis ab avaris habeatur; quod enim caret honestate, a vera quoque & omnimoda est utilitate remotum.

MENEXENUS.

Menexeno iuveni adhuc, ad rempublicam nihilo secius, quod in philosophia ceterisque disciplinis satis iam sibi videretur versatus, accedere iam paranti, Socrates e curia redeunti obviam factus, agitasse Senatum de eligendo, qui defunctorum pro patria laudes oratione funebri celebraret, oratore, ex eo audit: quam rem cum Menexenus admodum iudicaret difficilem, quod ex tempore ferme oratori esset dicendum, magnamque de oratoribus haberet existimationem; non esse admodum difficile respon-

det Socrates, ab iis omne punctum ferre, qui eadem cum oratore sentiunt, laudando, quos auditores cupiunt laudatos; idque ut exemplo demonstret, orationem recitat in laudem defunctorum, quam audisse se ab Aspasia, ex tempore dicente, affirmat. Quae omnia, ut Platonem credam oratores voluisse pungere, eorumque studia haud admodum esse difficilia ostendere, me inducunt; id quod ipsa etiam oratio videtur confirmare, e locis communibus, quae cuivis succurrebant facile, conflata. Est autem partitio eius haec: qui pro patria nunc obierunt, boni fuerunt viri, quod ex bonis sunt orti, quod optime educati, quod denique praeclara multa fecerunt. Partem primam exornatura, in antiquissimas, quasque alibi Plato haud magni facit, fabulas de Athenienſium origine Aspasia exspatiatur; disceptationem illam Deorum, de eo, qui praesideret Atticae, primorum in Attica hominum ortum, fruges primum ibi satas, res Athenienſium gestas, Heraclidas & Argivos adiutos, Amazonas debellatas, Persas victos, & quae sunt reliqua, commemorans; duo vero postrema leviter attingens, exhortatione ad defunctorum posteros, & consolatione subiuncta orationem claudit.

POLITICUS.

PROPOSITUM est Platoni, qualis sit politicus, id est, qui callet artem, qua gubernantur respublicae, & quomodo differat ab iis, qui falso eandem profitentur, definire; quemadmodum in Sophista hunc a vero studuerat philosopho distinguere. Utitur autem eadem, qua in Sophista, methodo, a genere ad species, divisionis ope descendendo, nec absistendo prius, quam accuratam eruerit definitionem: quam methodum obiter saepius tanquam optimam, eam praecipue speciem, quae dichotomia dicitur, commendat.

Huius tamen naturam plane perſpectam non videtur habuiſſe, cum diviſionem non ſemper inſtituat per membra contradictoria, quae ſequi dichotomiam oportet; ſed duobus membris modo qualicunque erutis ſit contentus. Colloquuntur inter ſe Socrates, Theodorus mathematicarum ſcientiarum peritus, Hoſpes, & Socrates quidam iunior; qui omnes, praeter ultimum, in Sophiſta ſecum iam ſunt collocuti, quem in Theaeteti, diſputatione iam fatigati, locum ſubſtituit; praecipuaeque ſunt hoſpitis illius Eleatis partes, ut Socrates auditorem tantum non ſemper agat.

Qui reipublicae gerendae eſt peritus, cum ſcientia ſit aliqua inſtructus; ſcientiae, ut, quaenam ei ſit propria, inveniatur, in ſuas ſunt ſpecies diſtinguendae. Duo ſunt ſumma ſcientiarum genera, quorum alterum in rebus conſiderandis tantum, & nuda mentis contemplatione, alterum in agendis & efficiendis verſatur: illud ſpeculativum, vel contemplativum (γνωστικόν); hoc activum, ſeu practicum iure vocatur. Ars autem, ſeu ſcientia, qua hominibus imperatur, ſive in civitate, ſive in domo ac familia degentibus, qua utuntur rex, dominus, paterfamilias, quoad praecipua eius capita & officia, eſt una eademque: quae cum non differat ab arte, qua gubernantur reſpublicae, cumque manibus, pedibus, corpore toto, aut aliis inſtrumentis non utatur, ſed animi tantum prudentiam ac intelligentiam poſtulet; contemplativis eſt annumeranda, adeoque vir adminiſtrandarum rerumpublicarum peritus, inter ſpeculatores eſt collocandus. Contemplativae porro ſcientiae, aut in diiudicando tantum vero & agnoſcendo, ut computandi ars; aut in iubendo, ſuamque ſingulis operam iniungendo occupantur, & ſecundum hanc rationem in criticas & epitacticas diſpeſcuntur: quarum quin poſteriorem calleat, qui ad regendum & imperandum eſt idoneus, non eſt dubium. Primus, ni fallor, utiliſſimam hanc ac hodieque uſitatam ſcientiarum diviſionem inſtituit Plato; nonnihil diverſus tamen a philoſophis noſtris, ob rem non accurate ſatis conſideratam. Noſtri enim rectius, quaecunque ſcientia in-

tra contemplationis limites non manet, ſed operis cuiuſcunque ſpectat effectionem, practicam nuncupant, politicamque adeo doctrinam practicis annumerant.

Qui iubent, aut ſua auctoritate, aut ab aliis imperata iubent, eſtque adeo ſcientia epitactica porro in antepitacticam dividenda, eamque, qua aliorum perferuntur mandata, quo pertinent praeconum, vatum, & quae ſunt his ſimilia, artes; priori autem generi imperandi accenſetur ars. Propria qui imperant auctoritate, imperium aut in animalia, aut anima carentia exercent; regumque ſcientia quin circa animalia verſetur, eorumque cauſa faciat cuncta, non poteſt dubitari. Reſpicit autem ea, non animalia in univerſum ſpectata, ſed gregatim potius viventia, ut alantur; nec ad animalia huius generis cuncta, ſed ad homines, eius extenditur vis, cum animalia aut ſint bruta, aut homines. Hanc diviſionem, etſi fini propoſito ſatisfacit, Plato tamen ideo reſpuit, quod omiſſis plurimis in medio ſitis ſpeciebus, ad inferiores ſtatim properat: eſſe enim nihil in diviſione accurata praetereundum, ſed a genere ſummo ad ſpecies infimas, per omnia, quae his interiacent, deſcendendum; illam autem diviſionem totum magis in partes, quam genus ſecare in ſpecies; quae vehementer tamen differant, cum ſpecies quidem ſemper ſit etiam pars, pars autem non ſemper ſpecies. Quam deinde affert animalium partitionem, ſciens praetereo, cum nihil ibi, quod ſcitu ſit valde dignum, reperiatur, immo quod maius eſt, cum ſit prorſus etiam ſupervacanea: ad hominem enim deveniendum tamen eſt, nec deveniri eo circuitu tam longo quidquam attinebat. Aliud enim eſt, genus in omnes dividere ſpecies, quia eruere omnes ei, quem nobis propoſuimus, fini conducit; aliud, dividere genus, ut certam modo ſpeciem inveniamus, cum reliquarum ideae nunc quidem nobis non ſunt uſui. Quod autem animalium in bruta & homines diviſionem tanquam ineptam reprehendit Plato, in eo fallitur manifeſte: quaecunque enim res conſtans & perpetuum inter plura unius generis individua diſcrimen

ſtatuit, ad diviſionem adhiberi iure poteſt, ſpeciemque peculiarem efficit, etſi in ſermone vulgari non ſemper ſpeciei ſit dignitatem conſecuta.

Ex omnibus his efficitur, ſcientiam adminiſtrandi reſpublicas, ſeu politicam, aut regiam, eſſe artem homines una degentes alendi: cum autem multi verſentur circa idem, mercatores v. g. agricolae, omneſque, qui in conficiendo cibo occupantur, medici praeterea, quique exercitiis corporis praeſunt; nondum accurate ſatis ea eſt definita, ſed rudi adhuc circumſcriptione finita. Quod quo aperiatur magis, ad maiorum confugiamus traditiones, quaeque feruntur Atrei contigiſſe tempeſtate in memoriam revocemus. Magnas tum contigiſſe coeli converſiones, ut, quo loco antea ſol oriebatur, eodem, permutatis orientis & occidentis plagis, occideret, Saturno praeterea regnante e terra homines eſſe procreatos, ferunt; cauſa tamen, unde haec, multaque alia auditu mira, ſed oblivioni tradita, manarunt, non commemorata. Hanc iam accipe: Mundum hunc modo Deus ipſe regit & circumagit; modo ſibimet ipſi permittit, circumactis, quae a Deo erant definita, temporibus; id ſimulac contingit, ſponte, cum ſit animal prudentia a conditore inſtructum, in partem oppoſitam movetur. Eſſe ſemper idem, nec ulla ratione mutari, rebus tantum praeſtantiſſimis eſt proprium: e quorum genere cum corpus non ſit, cumque mundus corpora contineat, ſitque corporeus; omnis eſſe mutationis expers nullo modo poteſt. Movetur quidem, quoad fieri eius poteſt, in uno eodemque loco, uno eodemque modo mundus, ideoque motus in orbem eſt ei impreſſus: at cum ſemper ſeſe circumagere nihil praeter id, quod omnis motus eſt cauſa, poſſit, idque eodem ſemper modo moveat; mundum nec ſemper ſemetipſum circumagere, nec ſemper totum moveri a Deo, nec etiam a duobus inter ſe diſſidentibus Diis converti, ſed, quod modo dicebatur, interdum a Deo, interdum a ſe ipſo moveri, indeque fieri, ut orientis & occidentis inter ſe permutentur loca, ſequitur.

Platonem accedere eorum sententiae, qui mundum non semper manere eundem, sed magnas eius esse conversiones, ac ruinas, ut refici eum interdum ac in pristinum redigi ordinem sit necesse, ante eum docuerunt, idque non simulate, aut disputandi causa, sed ex animo, cum e firmissimis haec eius de materiae natura initiis sequantur, hinc est manifestum. Quod qui queat cum aeternitate mundi, a serioribus, Alexandrinis maxime, ei assicta, cumque omnium rerum e divina natura emanatione conciliari, viderint, qui inter recentiores etiam hanc interpretationem susceperunt defendendam. Refelluntur etiam, qui Platonem, Manichaeorum instar, duos putant Deos statuisse, quibus ipsis contradicit verbis; materiam insuper distinguens a Deo, eamque aeternam, non creatam, a Deo tantum in ordinem pronuntians coactam. Huic autem materiae vim quandam movendi & agendi tribuit, quam animam alibi appellat, cum motus omnis ac movendi vis, nondum satis distinctis a se invicem rerum notionibus, animae ab antiquis tribuatur, perperam eos sequens, eoque ipso plurimos, qui verba discernere a rebus nequeunt, aut ut praeconceptis gratificentur opinionibus, nolunt, in errorem induxit. Animam enim hanc nihil esse aliud, quam impetum quendam, & conatum movendi, adiectis cupiditate aliqua & sensu, satis apparet inde, quod prudentiam, sapientiam, quae a materia maxime animam distinguunt, a Deo esse mundo inditam affirmat. His praemissis, ratiocinium Platonis, modo, quod substernitur fundamenti loco, des, satis esse firmum, facile intelligitur: si enim Deus non nisi uno eodemque modo potest mundum movere; & si multae magnaeque conversiones sunt factae; vix alia, quam ipsius materiae natura ac insita vis, esse in causa potest. Esse autem eiusmodi conversiones factas, traditiones maiorum docent; multaque Graecos de antiquissima huius universi conditione fando accepisse, fabulae satis demonstrant, quas non omnes poëtarum deberi fictionibus, historia naturae multis nos modis nuper docuit, magisque

in dies docebit. Fallitur autem Plato, quod non nisi unicum tantum a Deo posse motum proficisci sibi persuadet, nec eam praeterea, quae est in omni hac explicatione difficultas gravissima, removet, quare interdum Deus gubernacula mundi omittat: quod si dicas fieri consilio, pravum esse hoc consilium; sin necessitate, imbecillum esse Deum, nec, quod nequeat continere, potuisse in ordinem cogere, statim occurretur. Est tamen explicatio haec ingeniosa, Platoni propria, ac ab ipso inventa; antiqui namque mundi conversiones ac ruinas ad necessitatem physicam, & elementorum naturam referebant.

Eiusmodi itaque coeli conversio, cum sit omnium maxima, maximarum in rebus cunctis, praecipue animalibus & hominibus, esse mutationum causam, par est, ut quae magnas coeli mutationes facile haud patiuntur. Quare, ubi coelum induerit habitum, ei, qui nunc est, contrarium, pauci restabunt homines, & qui supervixerint senes, in iuvenes, iuvenes autem in infantes vertentur, defunctorumque cadavera in putredinem celerrime abibunt. Prius vero, quam coelum in hodiernam transiret formam, ex se invicem homines non generabantur, sed, ut est in fabulis, e terra procreabantur, id quod maioribus nostris, qui tempora illa attigerunt, credi aequum est. Quod si enim repuerascunt tum homines; mortuos, ac sub terram defossos, revivisce re, terrigenasque revera exsistere, consentaneum est. Quae de Saturni traduntur regno, ad eam pertinent mundi aetatem, qua coelum contra quam nunc circumagebatur; sponte enim e terra pullulasse omnia ac germinasse, quod in hanc minime quadrat aetatem, tum temporis feruntur. Deus ipse gubernacula mundi tractans, animalium genera singula singulis assignarat daemonibus curanda, quorum opera victus illis parabatur sufficiens, ut feritas omnis, pugnae inter se, mutuaeque lacerationes exsularent. Hominibus praeerat Deus ipse, eorumque res moderabatur, eodem fere modo, quo nunc homines alia pascunt animalia; uxores autem & liberos, cum e terra

omnes nascerentur, propriasque possessiones, cum affatim omnia arbores campique absque labore ullo praeberent, non habebant; vitamque sub dio, cum temperatissimum esset coelum, beatissime transigebant. Haec fuit hominum, Saturno regnante, vita. Satis probabilem Plato affert, qua fabulas Graecorum explicet, earumque simul suscipiat patrocinium, rationem, eamque nec prorsus a doctrina Christianorum, finita hac mundi aetate, mortuos iri resuscitatum, docentium, alienam. Quod tamen repuerascere homines putat, haud satis firmo stat talo, cum sequi haec e conversione coeli in partem contrariam, minime sit manifestum; quodque de hominibus e terra renascentibus affert, nimiam naturae legum imperitiam arguit. Mirum tamen omnino, omnes fere gentes simile quid regno Saturni, de antiquissimis suis rebus tradere: unde suspicio forte, subesse his aliquid veri, suboriatur, nisi manare haec ex alio fonte esset verosimile. Vagum illud, legumque & imperii expers vitae genus, quo, artibus & agricultura nondum inventis, homines utebantur, multis magnisque sese commendat iucunditatibus, ut saepissime apud recentiores haec peregrinatores legentibus desiderium eius nobis suboriatur; quo permutato deinde cum vita cultiore quidem multis modis, at imperantium tamen libidinibus, morbis, infirmitatibus, victusque ex aucta hominum multitudine difficultatibus, curis & sollicitudinibus infestata, doluerunt homines, prioremque requirentes vitam, felicitatem eius multis modis in maius auctam, posteris fabulis involutam tradiderunt.

Quae huic succesſit humani generis conditio, Iove regnum adepto, a Platone describitur ita: Horum omnium tempore circumacto, peractisque ab anima quavis, quae erant ei praescripta, universi gubernator, relictis gubernaculis, in suam sese sedem & speculam recepit, omnesque simul reliqui daemones, suam quisque provinciam deserentes, mundum sibi permiserunt. Is itaque fato & insita libidine actus in partem contrariam, vehementissimeque quas-

ſatus, animalia peſſumdedit. Terrae motibus autem turbaque, elapſo longo temporis ſpatio, ſedatis, & quiete reſtituta, in ordinem, patris ac conditoris praecepta in mentem revocans, ſatiſque per ſe ipſum pollens, eſt coactus; ab eo tamen curſu accurate ſatis primo inſtituto, propter rebellem corporum & materiae naturam deflectens, in eum denique, qui nunc obtinet, ſtatum devenit. Bona omnia a conditore quidem accepit, ſed mala iniuriaſque omnes, ex prava materiae indole ipſe ſibi contraxit: quamdiu enim a conditore gubernabatur, mala pauca, multa vero magnaque bona edidit; ab eo ſeiunctus, initio optime quidem ſeſe geſſit; ſed tempore procedente, conditoris oblitus, in dies, aucta ſemper confuſione antiqua, in peius tranſit, donec ne plane intereat ſit periculum, Deuſque, iterum gubernacula capeſſens, in ordinem eum cogat. Simul itaque mundus ſui iuris eſt factus, partes quoque eius proſpicere ſibi ſunt coactae; quo ipſo deſinente priori e terra generatione, animalia ex ſe invicem ſunt procreata: cumque qui generi humano antea praeerat daemon, diſceſſiſſet, animaliaque eſſent efferata; infirmi & ſine praeſidio homines ab iis lacerabantur, artiumque omnium degebant primo expertes, quod deſinente vita priori, qua ſponte omnia ipſis ſuccreſcebant, parare ſibi victum non didicerant; quo factum, ut Dii donare nobis eas, Prometheus ignem, Vulcanus ac Minerva artes, cogerentur. Mundum quod ſemet gubernare ipſum, hoc loco, poſtquam a conditore eſſet deſertus, Plato affirmat, ita eſt intelligendum: Deus animae mundi ſuae naturae particulam adiecit, quae & prudentiae ac ſapientiae ei eſt cauſa, & cuius ope prudenter mundum valet gubernare, id quod in Timaeo declaratur uberius. Malorum in mundo omnium fontem materiam hoc loco philoſophus dicit, reprehenſus propterea a recentioribus, iure, ut mihi quidem videtur, haud optimo. Materia enim ſi eſt aeterna, certiſque quibuſdam natura ei inhaerentibus praedita qualitatibus; non omnia ratione optima fingi inde potuiſſe, malaque quaedam neceſſario mundum eſſe in-

greſſa, facile perſpicitur: contra, ſi materiam Deus creavit, cuilibet eam fini potuit aptare, nec, quare multa non ſint meliora, multaque exſtent incommoda, intelligi ullo modo poteſt. Ad explicandam itaque mali originem praeſtat omnino antiquorum & Platonis de materiae aeternitate ſententia; eandemque aliis, quibus in philoſophia premitur, difficultatibus haud difficile eſt liberare. Primus, quod equidem ſciam, Plato e materiae natura mali originem repetivit; quaeſtionemque hanc, a philoſophis antea praetermiſſam, ſed graviſſimam, & ad vitam cum tranquillitate degendam prorſus neceſſariam, in philoſophiam invexit; quo ipſo praeclare de ea eſt meritus. Quod autem vim quandam Deo renitentem, & ad confuſionem tumultumque ſemper tendentem, materiae tribuit, haud recte mihi quidem videtur feciſſe, cum nullo id, ex eius natura petito, queat argumento demonſtrari, materiamque potius inertem & motus agitationiſque oporteat eſſe expertem.

Liquet ex his omnibus, in definitione viri, rempublicam gubernantis, eſſe erratum, non modo quod inter paſtores eſt relatus, quales erant tantum, qui priori mundi aetate hominibus praeerant, daemones; ſed etiam quod, qua ratione civitatem regat, non accurate eſt explicatum. Exemplo deinde textoriae artis, poſtquam qua ratione verſandum ſit in diſtinguendo qui ad regendam civitatem eſt idoneus ab artificibus, mercatoribus, aliiſque his affinibus, declaravit, diſputationiſque in his digreſſionibus prolixitatem excuſavit, rem aggreditur ipſam. Ut multae ſunt artes, quae adiuvant textoriam, ad ipſius naturam non pertinentes; ita plurima opitulantur reipublicae, quae ipſius tamen gubernandi artis non ſunt partes. Quo in genere ſunt artes, quibus inſtrumenta conficiuntur, omnes, ſine quibus nec civitas unquam, nec diſciplina civilis exſtitit, quae nihilominus arti, qua regitur civitas, non annumerantur; quibus vaſa omnis generis elaborantur; quarum ope veſtimenta, arma, domus, aliaque id genus fiunt; quae delectationi ac ornatui inſerviunt; quae victum parant, cibum potum-

que praeparant; quae denique in miniſterium civitatum adhibentur, ars praeconum, vatum, ac ſacerdotum. Seiunguntur quidem hae omnes ab arte reſpublicas gubernandi, definitionis tamen ope non diſtinguuntur; cum nulla, quare adiuvent rempublicam, nec ad eius tamen pertineant naturam, inde reddatur ratio. Definitio igitur ſupra poſita quae non complectatur, ipſa interim nullo modo emendata, docetur.

Semotis his, ad alterum, quod moleſtiam ei modo creaverat, accedit. Sunt quippe rerumpublicarum formae plures, interque eas, quae plures ſimul agnoſcunt civitatis rectores: qui an per rei naturam queant periti artis, qua gubernantur reſpublicae, dici, iam quaeritur. Tres ſunt civitatum ſpecies, monarchia, imperium paucorum, ſeu ariſtocratia, & democratia: hae tamen in plures rurſus dividuntur, prout volentibus aut invitis, lege aut arbitrio, a pauperibus aut divitibus imperatur. Monarchia, ſi ſecundum leges & volentes gubernat is, penes quem eſt imperium, regnum; ſin invitis pro arbitrio imperat, dominatio, ſeu tyrannis; imperium paucorum, ſi divites tenent, ariſtocratia; ſin pauperes, oligarchia dicitur; democratia, ſive vi ſive voluntate, & ſive ſecundum leges, ſive pro lubitu imperet multitudo, idem ſemper nomen gerit. In hac rerumpublicarum diviſione accuratius longe Ariſtoteles, ſuperatus tamen ab recentioribus, verſatur: Platoni, quod novum adhuc erat id argumentum, nec a philoſophis ante tractatum, hoc condonandum; ea inſuper ei laus concedenda, quod in philoſophiam primus quaeſtionem de rerumpublicarum formis intulit, eiuſque fundamenta iecit non ſpernenda.

Hae rerumpublicarum ſpecies utrum omnes ſint bonae, rectèque ſeſe habeant, an praeſtantior ſit altera alteri, vereque reſpublica dicenda, iam venit in diſquiſitionem, ut, qui vere calleat artem gubernandi, eruatur. Ars regendi rempublicam, ſeu regia, ut ſupra conſtitit, eſt ſcientia, & quidem diiudicandi, ac praecipiendi: hanc parare ſibi,

cum sit difficillima, cumque inter mille homines vix quinquaginta reperiantur, qui ludum talorum prorsus callent, multitudo nequit; quare uni tantum, aut duobus, sive admodum paucis, in quocunque hominum coetu eam inesse sequitur. Ea porro respublica administratur optime, estque omnium praestantissima, ubi qui praesunt scientia sunt praediti, sive secundum leges, sive sine legibus gubernent; sive invitis, sive volentibus imperent; & quaecunque ab iis fiunt, cives in exsilium eiiciendo, interficiendo, peregrinos adsciscendo, modo servandae ac in melius evehendae civitatis causa, ac iuste fiant, recte sunt facta, laudeque digna. Nec quidquam his ineſt duri aut non ferendi, quod sine legibus recte dicitur posse civitatem gubernari; ad artem enim regendi civitates pertinet etiam ars leges iubendi; iam virum prudentem praestat gubernare, quam legem. Homines humanaque cuncta cum ferantur continue, ac mutentur; perpetuas, certas, omnique ratione accuratas non ferunt regulas, ac leges: cumque singulos, & quid eis expediat, nosse legumlator nequeat; quod conducit plurimis modo respiciens, leges fert, eoque ipso singulis interdum obest; nec possunt leges, quae omnibus simul prosint & singulis, ullae fieri. His itaque de causis mutari saepissime leges, exceptionesque ab iis fieri necesse est: quemadmodum autem, si medicus aegrum reluctantem quae sanitati eum restituunt facere cogit, nec iniustum est nec durum; ita, si vir, arte rempublicam gubernandi praeditus, cives adigit vi ad facienda, quibus ipsi & civitas iuvantur, & absque legibus imperat, durum non est existimandum. Quae si ita sese habent, forma reipublicae democratica, esse optima nullo potest modo, tum quod vulgus fieri particeps scientiae illius regiae, tum etiam quod administrari respublica a multitudine imperita nunquam bene potest; perinde enim hoc esset, ac si navium gubernatoribus, medicis, aliarumve artium peritis potestate de iis, quae sunt artis, praecipiendi demta, populum, harum artium rudem, ut ferat leges, quomodo navigatio sit instituenda, aegerque

colendus, convocaremus. Graviſſime populares rerumpublicarum formas Plato impugnat, quaeque dici in eas queunt fere cuncta his complectitur; nec tamen, ut nullius omnino eas eſſe pretii appareat, propterea efficit. Quod ſi qui praeſunt civitatibus, viri ſemper boni eſſent, bono publico, poſthabitis privatis aut voluptatibus, aut utilitatibus, unice ſtuderent, ſi denique homines non eſſent, qui homines gubernant; prono haec omnia alveo ſequerentur. Quae omnia cum ita ſeſe non habeant; id modo efficitur, imperium populi per ſe quidem, & ſua natura, ſecum adducere plurima, quo minus optima haec ſit rerumpublicarum forma, prohibentia: at ſi hominum, qualis eſſe maximam partem ſolet, ſpectemus indolem, avaritiam, ſuperbiam, luxuriam, inertiam, ambitionem, quaeque alia imperantibus ſolent ineſſe, e magnaque pullulare poteſtate, vitia; ineſſe tamen ei multa magnaque ad tuendam ſingulorum libertatem, corpus, bonaque, a dominatione paucorum, aut unius, defendenda, vitamque beate degendam, praeſidia facile largiemur. Eadem quoque eſt cauſa, cur ei, qui artem gubernandi rempublicam optime callet, non omnia debent ſine legibus & contra leges licere; etſi artis perito poteſtas, quae ars poſtulat iubendi, ſit concedenda: non enim ars ſola, ſed animus etiam artis periti eſt reſpiciendus.

Imperium paucorum, cum ars imperandi ſit ſcientia, ſcientiamque multi ſimul non adipiſcantur; cum praeterea hos legibus quoque, ut in democratia, omnia neceſſe ſit gubernare; eſſe optimum nullo modo poteſt. Quo fit, ut imperium unius ſit omnium praeſtantiſſimum; imperium populi, utpote longiſſime ab eo diſtans, peſſimum; paucorum denique imperium, quod medium inter utraque obtinet locum, peius quidem primo, melius tamen poſtremo. Vir itaque reipublicae gerendae peritus, nullus eſt alius, quam rex; ſcientia politica, regia iure nuncupatur; quique gubernant civitates, praeter eam, quae ſcientia gubernatur, ſive ſint democratici, ſive ariſtocratici, aut tyrannici gene-

ris, omnes non sunt viri politici, sed similitudinem modo aliquam eius prae se ferunt. Regnum suapte natura eam esse reipublicae formam, quae administrari optime, quaque ad salutem omnium dirigi cuncta aptissime queunt, ex argumentis Platonis, aliisque ab eo non tactis apparet facile: commoda tamen haec, cum nihil sit ab omni parte beatum in hac nostra sub lunam regione, multis magnisque corrumpuntur incommodis; neque adeo iam efficitur hinc, regnum reliquis omnibus rerumpublicarum formis esse anteponendum. Sunt quidem, quaecunque in regno reprehenduntur, vitia regum, non regni: cum autem regnum esse nequeat sine rege, nec rex, nisi sit homo; seiungi ea a regnis vix ulla ratione possunt; proinde in comparatione rerumpublicarum accurate instituenda, praeterire ea non licet.

Reipublicae gubernatori similes praeterea sunt exercituum duces, iudices, ac oratores, qui persuadendo haud minus saepe, quam reges iubendo, efficiunt: de quibus, qua ratione a rege, eorumque ars ab arte regum differat, iam quaerendum. Differt ab artibus aliis ars, qua, quis earum sit usus, & quando ac quo modo sint singulae adhibendae, docetur: eadem reliquis imperat cunctis, cum nulla, quo tempore ac modo sit ea utendum, simul tradat. Dicendi ergo arte quando sit opus, non ipsa rhetorica, sed quae ei imperat, ars civitatem gubernandi docet, eodemque modo arti imperatoriae praesidet ars regnandi. Hae igitur artes cunctae cum serviant civitatem regenti, differunt ab arte politica: quae adeo nihil est aliud, quam scientia omnibus, & legibus, & aliis, quae in republica geruntur, imperans, omniumque curam gerens. Quaecunque dicta hucusque sunt in animum revocantibus, haud satis accurate aut perspicue in tractando hoc argumento, ob eius novitatem, versari Platonem, nec partes disputationis omnes aptissime inter se cohaerere, facile apparebit. Cum quaerimus, quisnam sit vir politicus, duo simul, & artem, quam calleat, & potestatem, quam habeat, quaerimus: haec

non accurate distinguens Plato, obscuritatem inducit, ut aliena videatur saepe admiscere, de rerumpublicarum formis, de optima republica, deque discrimine, quod iudicem inter, belli ducem, oratorem ac rempublicam gubernantem intercedit; haec enim omnia non pertinent ad declarandam artis indolem, sed ad definiendum imperantis ius ac potestatem; quaeque de optima republica, & rerumpublicarum speciebus differuntur, nullum alium afferuntur in finem, quam ut demonstretut, civitatis imperium esse penes plures simul, seu, ut recentiores quidam dicunt, dividi summam potestatem non posse. Quod autem quaestionem de iure ac potestate imperantis non seiunxit ab altera, de genere artis & scientiae, id aliud quoque & maius secum attulit incommodum: factum nempe hinc, ut, fundamentis huius iuris neglectis, summum imperantem belli duce, ac iudice & magistratu esse superiorem, omniaque ab eo in civitate pendere, rationibus nec satis firmis, nec huic etiam loco propriis demonstretur. Derivanda sunt haec omnia ex intima civitatis natura, ut nostri solent iuris naturae doctores, unde simul apparet, iudices, belli duces, magistratus, ideo esse summo imperante inferiores, quod ab eo, qua gaudent, potestatem acceperunt, eorumque iura esse revera potestatis summae partes. Quae omnia cum essent Platonis aetate ignota adhuc, factum inde, ut haud recte ab eo instituatur disputatio, nec accurate satis, quinam sit reipublicae gubernator, definiatur.

Id quod animadvertens forte philosophus, uberius summi imperantis officia declarat. Virtutes inter se aliae aliis, praecipue fortitudo & temperantia, sibi sunt contrariae: celeritas namque, & vehementia, quae pertinent ad fortitudinem, in multis saepe rebus laudantur; horumque opposita, tarditas, animusque sedatus, quae partes sunt temperantiae, non minus saepissime celebrantur laudibus: quotiescunque opportune utimur utrisque, laudamur; simulac contra intempestive adhibemus utrumvis, in reprehensionem incurrimus, & pro fortibus, insani, superbi,

petulantes, pro temperantibus, timidi, molles, inertes audimus. Quicunque harum virtutum alterutra sunt praediti, toto vitae genere institutisque omnibus discrepant ab iis, qui altera sunt ornati, se invicem per omnia reprehendunt, sibique contraria agunt; cum modesti ac temperantes vitae tranquillitati ac paci studeant, fortes contra bella & pericula amplexentur. Sunt porro alia hominum genera omni plane virtute destituta, quos inter numerantur improbi, mali, iniurii, a fortitudine ac temperantia prorsus aversi; ex quibus nulla conflari respublica unquam potest, sive per se solis, sive etiam bonis admixtis. Malos ergo omnes, qui reipublicae praeest, arcet; impios, iniurios, violentos eiiciendo, aut morte aliove supplicio afficiendo; pusillanimes contra, quique ingenio sunt servili, servilibus operibus addicendo. Quicunque autem disciplinae beneficio possunt emendari, eos, licet quodammodo sibi sint contrarii, apta copulatione ad vitam in civitate tranquille degendam adigit. Fortes qui sunt & ad audaciam proni, eos rectis de honesto ac iusto opinionibus legumlator corrigit, ac mansuefacit; modestos ac temperantes ad res agendas, famae cupiditate stimulat; praeterea matrimoniis & affinitatibus emendare utrorumque studet naturam, strenuis ac acribus uxores mansuetas ac lenes, modestis contra ac remissioribus, acres ac vehementiores dando; ut, mixto sanguine utroque, liberi ad mediocritatem propius accedentes procreentur. Quotiescunque ad rem aliquam gerendam opus fuerit tam acribus, quam languidioribus viris, ex utroque genere seligit, quibus simul eam mandet. Hic ergo est finis summi imperantis, artisque, qua gubernantur civitates, temperantes seu modestos, ac fortes seu vehementes, ita inter se copulare, ut concordes in republica degant, servis aliisque ita imperare, ut salus reipublicae, publicaque felicitas obtineatur. Praeclare, ac, ni fallor, primus Plato reipublicae salutem summam esse imperantium legem, ad eamque tendere institutа omnia legesque debere, docet. Huic tamen legi, quam fundamenti loco & nostri in iuris publici doctrina

philosophi substernunt, ne abusus & perversa interpretatio ad dominationem ducat & tyrannidem, adiiciendae sunt limitationes nonnullae: neque enim, quodcunque fit ab imperante salutis publicae causa, si contra leges ac pacta, quibus nititur reipublicae forma, fit, fieri iuste dicendum, quo ipso hac ipsa lege aliae omnes everterentur, dominationique porta aperiretur latissime; sed ita potius statuendum, imperantem summum, cui imperium est limitibus nullis circumscriptum, quicunque demum sit in republica, sive populus, sive senatus, sive monarcha, seu senatus cum populo, aut rex cum proceribus, quaecunque ob salutem publicam facit, iure facere; qui contra imperio utitur limitato, ei pro lubitu non licere quodvis publicae salutis causa facere.

MINOS.

De legis definitione ac natura Socrates & Minos quidam inter se colloquuntur, spretisque definitionibus nonnullis, ea etiam, quae ad verum proxime accedit, deteriorem tandem amplectuntur. Causa autem est, quod plures, qui huic vocabulo adhaerent, valdeque a se diversos sensus non distinguens Plato, eam, quae latissime patet, cuiusque nullus est in disciplinis politicis usus, probat: cui accedit, quod, cum ignoraret vera reipublicae omnis fundamenta, ut supra iam monuimus, accurate legem non poterat definire. Legem initio Minos dicit, quae sunt constituta (τὰ νομιζόμενα): cui cum reposuisset Socrates, orationem differre ab iis, quae dicuntur, visum ab iis, quae cernuntur, legemque proinde ab iis, quae constituuntur; deinde, non explicare definitionem, quod fuerat quaesitum. lege enim cum constituantur, quaecunque sunt in civit. constituta, quaeri rursus, quidnam sit id, quo haec consti-

tuuntur, unde sequi, constitutiones has, & decreta legem potius esse dicendam: huic sententiae calculum adiicit Minos, legemque definit, civitatis constitutionem, seu decretum. Ad haec Socrates: Qui legibus satisfaciunt iusti sunt, iustitiaque res est praeclara, honesta, tum per se, tum etiam quod respublicas sola servat; civitatum contra constitutiones non omnes sunt bonae; adeoque quaecunque constituunt respublicae, esse leges nequeunt. Legem, quo sensu sit accipienda, cum ante non sit declaratum, nil mirum, definiri eam accurate, ut nihil relict dubii, non posse: Minos enim, sensu proprio strictoque legem hic definiens, a Socrate ad latiorem confugiente facile refellitur, & legibus naturae, quae opponuntur civilibus ac positivis, redarguitur. Quod si in disputando, reique ipsius natura magis fuisset Minos versatus, aut Plato has res magis a se distinxisset: nihil hoc obstare regessisset; quodcunque ab eo, penes quem est summum in civitate imperium, est constitutum, etiamsi vel maxime noceat, legem tamen revera esse; legem enim non ab utilitate, sed a iure leges ferendi manare; quo facto, ad discrimen accuratius inter ea, quae sunt natura iusta, & quae civitatum constitutiones, ut sint iusta, efficiunt, fuisset deveniendum.

Nimia autem utens facilitate, victus statim dat manus, eaque sola civitatum decreta, quae sunt bona ac utilia, esse leges Minos definit. Hinc porro Socrates infert: Opiniones ac decreta bona, sunt eadem & vera; ergo lex nihil est aliud, quam inventio eius, quod est, seu quod est verum. Cum autem obstare huic cerneret, quod alii aliis legibus, nec iidem semper iisdem utuntur, verum autem ubique semper est idem, occurrere huic ita studet: iusta cum ubique gentium iusta esse, honesta esse honesta, vera esse vera agnoscantur; qui a vero aberrat, eum aberrare quoque ab eo, quod est legibus consentaneum, & quod ab hominibus probatur, necesse est. Praeterea qui quamcunque artem callent, circa praecepta eius non dissentiunt; quae autem hi censent, sunt artis cuiusque leges: quae

enim coquus peritus, medicus, geometra, aut alius quivis artem quamcunque probe callens literis consignat, ab aliis omnibus legum & decretorum habere vim iudicantur. Quare quae censent politici viri, qui artem civitates gubernandi tenent, leges sunt civitatum; &, quodcunque est rectum verumque, legis semper vim obtinet. Artis autem periti, cum nihil, nisi quod verum est, sibi persuadeant; legem esse veri inventionem recte est modo dictum. Manifeste hinc apparet, Socratem latissimo sensu legem pro quavis actionum norma accepisse; quo sensu verum omnino est, quod recta ratio, accurata rerum scientia, rerumque ipsarum veritas iubent, legem esse, eodemque sensu recentiores etiam, morum & naturae leges agnoscunt: hoc tamen, quo minus altera Minois definitio, adiecta quadam correctione, sit vera, non obstat. Hinc fit, ut, quod obiicit Minos de diversis & secum pugnantibus diversarum gentium legibus, ad liquidum nequeat Plato deducere, in removenda magis, quam solvenda difficultate occupatus. Quod autem legem dicit veri inventionem, accurate parum loquitur, cum veri potius determinatio fuisset dicenda; proximeque ad Wollastoni accedit mentem, verum esse omnis morum doctrinae & obligationis fundamentum contendentis. Quo ipso ex parte quidem, non tamen ex toto, verum attingit; cum enuntiatio falsa nullum omnino pariat officium; cumque praeter rei veritatem accedere aliud quid enuntiationi debeat, quo obligatio nobis iniungatur, undeque, cur quod iubet enuntiatio sit faciendum, intelligatur. Primus Plato praeivit quodammodo iis, quae recentiores de morum & naturae legibus philosophantur: cum tamen legum & obligationum discrimina non agnosceret, rem reliquit rudem, nec satis expolitam; quae quam sit definitu difficilis vel inde perspicitur, quod ne nunc quidem ad amussim, lex naturae & morum quam habeat vim, est explicatum.

His subiungit denique, leges antiquissimas esse optimas: ut enim Marsyae, vetustissimi tibicinis, modi optimi habean-

tur; ita Minois, legumlatoris antiquiſſimi, qui, Homero teſte, cum Iove ſit confabulatus, quemque accepiſſe ab ipſo Iove ferunt leges Cretenſibus latas, eſſe praeſtantiſſimas. Haud optime haec concluſio ſuperius dictis conſentit: in rectae enim rationis, quam antea quid faciendum ſit docere affirmaverat, locum, antiquitatis praeiudicium non fuiſſet ſubſtituendum.

DE REPUBLICA

LIBER PRIMUS.

PROPOSITUM eſt Platoni in his libris formam aliquam civitatis praeſtantiſſimae delineare. Cum autem omnis civitatis vinculum ſit iuſtitia; a definitione iuſti merito orditur: quod quale ſit in hoc libro quaeritur quidem, non tamen explicatur, refellendis erroribus quibuſdam de natura iuſtitiae graviſſimis deſtinato, quorum praecipuus eſt, iniuriam ad bene vivendum plus valere iuſtitia. Socrates e Piraeo domum rediens a Polemarcho invitatur ad coenam, ubi patrem eius Cephalum, filios ſermonibus eius erudiri cupientem ac emendari, alioſque praeterea iuvenes invenit. Ac primum quidem a Cephalo ſene, qualis ipſi videatur ſenectus, quaerens, alios quidem, eoſque multos, ex eo audit, vehementer voluptates amiſſas, iuniorum contemtum, ſolere queri; ſibi tamen haec omnia non ſenecturis ipſius videri incommoda, gaudere potius, quod a voluptatum duro imperio ſit liber; ſenes ſi ſint faciles & humani, a iuvenibus non contemni; opes ad ferendam animo aequiori ſenectutem vim aliquam utique habere, non omnia tamen ſeſe iis tribuere, ut qui iis augendis nunquam ſupra modum ſtuduerit, quique aliam longe, ac plurimi, iis ad ſenectutem reddendam tranquillam, vim tribuat; quae enim

narrantur de poena apud inferos luenda, si qui iniuste vixerint, ea dicta antehac, tum solere animum angere, sive ob senectutis infirmitatem, seu quod propius ad inferos accedimus, hinc fieri, ut, qui fuerunt improbi, multis vexentur curis, qui contra neminem scientes laeserunt, optimae spei pleni mortem opperiantur; id ergo boni divitias afferre, quod ab iniuria aliis inferenda nos cohibeant, modo temperantes simus, ac modesti. Praeclare haec omnia dicuntur, & ad humanam naturam accommodate. Intelligere autem hinc licet, quod de religione Christiana solet a multis dici, quo propius mortem accesserint homines, eo magis solere ad eam amplectendam reddi pronos, non eius esse tribuendum vi ac praestantiae, sed humanae potius imbecillitati, qua, quae iuvenes didicimus, ac timere consuevimus, senectuti adhuc inhaerent, nec ullo facile ratiocinio ex animis delentur.

Ad iustitiam cum delata esset Cephali oratio: opportune Socrates, de eius natura movet quaestionem, an reddere quae ab alio accepimus, aut ei eripuimus, sit semper & ubique iustum? Cephalus autem, non esse sibi iam hac de re differendi otium, respondens, filio Polemarcho sermonem tradit continuandum: qui, mutatis nonnihil verbis, quae debemus cuique praestare, iustitiae esse affirmat. Cui Socrates: Quid si furiosus gladium, ante apud te depositum, repoſcat? Non est reddendus: sensus enim definitionis est, amicis bene a nobis debere fieri; adeoque amico gladium, quo semet sit laesurus, non reddendum. Sit ita, pergit Socrates; iustitiamque dicamus postulare, ut amicis bene, inimicis male faciamus, illisque prosimus, his noceamus: artes esse alias, quibus & nocemus & prosumus, nihilque plane relinqui, quo iustitia, quatenus est iustitia, prosit, aut obsit, statim nobis occurret; quaecunque enim nobis contingere bona aut mala possunt, suam quaeque, qua parantur, artem sunt fortita, quo in genere sunt artes medicorum, coquorum, arma tractantium, merces permutantium, equos regentium, agros colentium, ceterae; quae eaedem

ſicut iuvant, ita etiam laedunt, medicus enim ut ad morbum curandum, ita & ad immittendum, coquus ut ad cibum, qui profit, ita & ad eum, qui noceat, praeparandum, eſt maxime idoneus. Praeterea amicos ſi dicamus, quos bonos nobiſque utiles putamus, cum aberremus ſaepe in hoc iudicio; viros bonos iure ſaepe laedemus, malis contra bene faciemus: ſin contra eos, qui & ſunt boni & videntur; iuſtitia ipſa, quod maxime repugnat, homines reddentur deteriores; ſiquidem laeſus a nobis iniuſtus, iniurius magis reddetur. Polemarcho his argumentis a ſententiae defenſione depulſo, Thraſymachus, vehementis ac ferocis ingenii homo, magno & acri verborum ſtrepitu in Socratem invehitur: qui meliora ſeſe allaturum profeſſus, tandemque mira quadam ac ſingulari Socratis patientia ac comitate ab altercatione ad ſedatius diſputandi genus traductus, iuſtum eſſe, quod conducit potentiori, affirmat; idque, cum obſcurum videretur Socrati, explicat ita: civitates omnes ab aliquo, ſeu rege, ſeu optimatibus, ſeu populo reguntur, quique ſummum in iis tenet imperium, poteſt ibi plurimum; omnis porro civitas eas fert leges, quae imperanti, & reipublicae formae quam maxime expediunt, monarchia monarchicis, democratia democraticis utitur legibus; ergo quod imperantibus eſt utile, id ius ſubditis eſſe iubent. Recte omnino, ſi loco eius, quod utile eſt imperantibus, ſubſtituas, quod ab eis iubetur, ius, quod noſtri dicunt poſitivum, Thraſymachus definit; nec propter hoc tamen, ſed ob aliud quoddam, a Socrate, quod natura eſt iuſtum, ab eo, quod leges civitatum conſtituunt, non diſtinguente, oppugnatur. Errant ſaepe civitatum rectores in iis, quae putant ſibi prodeſſe, quaeque revera ipſis nocent, lege iubent; quo fit, ut, quae obſunt imperantibus, ſint ſaepe iuſta, contra quam poſuerat Thraſymachus: qui, ut dicta tueatur, imperantem, quatenus eſt imperans, negat errare; neminem enim ſcientia inſtructum, eaque utentem, errare, medicum v. g. quatenus eſt medicus, arithmeticae peritum, quatenus hac ſcientia utitur. Hac ſubtilitate quamquam to-

ta de iusto doctrina reddatur incerta, perpetuisque imperantes inter & subditos disputationibus subiiciatur; hinc tamen eam non impugnat Socrates, sed alio versus, imperantes quaerere, quod sibi prodest, non debere demonstrat. Est enim ars quaedam & scientia imperandi: iam artes ac scientiae omnes, non quod sibi, sed quod alii cuidam rei prodest, ars medendi, quod prodest corpori, ars pastorum, quod prodest gregi, ars gubernandi, quod utile est navigantibus, quaerunt. Absurda haec videntur Thrasymacho, pastorem autumanti suam modo respicere utilitatem, imperantes facere civitates, quod sibi prodest, iubere, idque intelligi vel inde, quod ad imperantium commodum omnia in rebusp ublicis tendunt, & iustitia iusto semper obest, prodest iniuria. In societatibus enim iniusto plura semper cedunt, per fraudem socium circumvenienti; in conferendis ad necessitatem reipublicae pecuniis, iustus plus dat; in magistratibus, neglectis, ut officio satisfaciat, rebus privatis, damnum patitur, multorumque sibi conflat invidiam; in ea denique, maxima omnium iniuria, qua tyrannidem occupat iniustus, quanta insunt bona, quantumque lucrum! Quin re prospere gesta, laudatur insuper ac celebratur ab omnibus: quem enim furem, sacrilegum, aliisque nominibus probrosis appellant, eundem invadentem rempublicam ac opprimentem, laudibus ad coelum tollunt; satis hoc ipso declarantes, iniuriam se non vituperare, quod noceat, aut inferre iniuriam nolint, sed quod ab aliis iniuriam, imbecilles ipsi, metuunt.

Refutaturus haec Socrates, primo artem nullam, nullumque imperium quaerere, quod prodest artifici vel imperanti, deinde iustitiam plura maioraque afferre commoda, quam iniuriam, demonstrat: quo fit, ut a iustitiae definitione alio transferatur sermo, quo post longam demum digressionem revertitur. Magistratus & imperia cum lubens nemo facile accipiat, nisi mercede constituta; ipsum imperium per se non prodesse, sed ad subditorum esse comparatum utilitatem, sequitur. Artes praeterea suam quaeque

utilitatem pro cuiuſque natura afferunt: ſi quam ergo omnes parant utilitatem, id non earum naturae ac indoli, ſed alii cuidam rei eſt tribuendum, arti nempe, qua exigitur merces, ad alias ſaepiſſime accedenti: ergo, ut profint artifici artes, ipſarum non ineſt naturae; nulla, quatenus eſt ars, ad exercentis commodum refertur; nulluſque imperans aut magiſtratus ſui commodi cauſa eſt inſtitutus; quo fit etiam, ut lubens imperia gratis nemo facile accipiat. Artes in iis, quae propoſitum eſt unicuique efficere, non reſpicere utilitatem artificis, verum eſt omnino; ſed artificem nihilominus ſui eas commodi, aut voluptatis gratia exercere, haud minus verum eſt: civitatibus ergo qui praeſunt, etſi propriam utilitatem non reſpiciat ars gubernandi, tamen, quo minus inde eam quaerant, nihil omnino obſtat; argumentoque non ſatis idoneo & huic loco accommodato Socrates utitur; quamvis recte praeclareque, imperantem non eſſe ſui commodi cauſa imperio ornatum, defendit. E natura potius civitatis, pactoque imperantes inter & cives inito, hoc fuiſſet demonſtrandum.

Hoc abſoluto, alterum, iniuriam plus prodeſſe iuſtitia, Socrates aggreditur; in quo ne ſecum manifeſte pugnaret, iuſtitiam eſſe virtutem, iniuriam contra vitium, negarat Thraſymachus. At iuſtus, cum iniuſto, non autem iuſto, plus cupiat habere, eoque eſſe praeſtantior; iniuſtus contra utroque; cumque prudens nemo & artis ullius peritus velit ſuperare artis peritum; qui enim artem plane callet, ſuperari a nemine poteſt: iuſtitiam eſſe prudentiam, remque honeſtam, contra ac poſuerat Thraſymachus, efficitur. Accedit, quod ſocietas hominum nulla ac civitas ſtare abſque iuſtitia poteſt, qua demta, homines inter ſe diffidere, perpetuiſque implicari bellis neceſſe eſt; quod iniuſtus non iuſtis modo, ſed & iniuſtis omnibus eſt odio, eoque ipſo, cunctis ei obnitentibus, nullae rei perficiendae idoneus; quod Dii denique, utpote iuſti, ſunt ei inimici; adeoque in rebus cunctis fortunatior ac beatior iuſtus. Idem hinc praeterea intelligitur: iuſtitia cum ſit virtus; cum ſua unum-

quodque instructum virtute aptius reddatur ad peragenda, ad quae est natum; cum sint etiam quaedam animae propria, quibus agendis sola est idonea: animam virtute sua destitutam fieri malam, maleque & perperam suum peragere opus necesse est, adeoque iustitiam ad vitam beatam plus valere iniuria. Argumenta haec omnia quamquam subtilia sunt & bona, parum tamen habent roboris, nec ad movendum animum satis sunt apta: quod nulla alia proficiscitur ex causa, quam quod iustitiae ipsius natura nondum est declarata; unde ad liquidum res perduci, & quibus rebus iustitia praestet, quasque afferat utilitates, non potest ostendi.

LIBER SECUNDUS.

IUSTITIAM Socrates ita modo defenderat, ut plus eam prodesse iniuria asseveraret. Id cum parum videretur Glauconi; ab eo, ut ipsam etiam per se iustitiam, demta omni ac sepositа utilitate, esse praeferendam iniuriae, demonstret, praesertim cum saepissime lateat iniuria, &, quamdiu latet, ingentem prorsus afferat utilitatem, petit. Cui ut satisfiat, quae insunt iustitiae, eamque comitantur, manifesta Socrates redditurus, civitatem proponit considerandam, quod in re aliqua magna melius, quam in minori, singula perspiciuntur, adeoque iustitia quam habeat vim in civitate perspicue magis, quam in homine aliquo cernitur. Quae si, prout verbis sunt exposita, accipiamus; totam de republica disputationem iustitiae tantum declarandae causa institui, facile nobis persuadeamus: id quod secus tamen revera sese habet, cum absurdum sit, tam longum ordiri sermonem, adeoque prolixe de republica ordinanda differere, aperiendae iustitiae, quae brevioribus potest exponi, causa. Quod igitur quaeritur de iustitia, prologi tantum locum

renet: nec recte Plato, quid sibi vellet his libris, occuluit, aut legentium saltem oculis subtraxit; cum scriptoris, praesertim philosophici, longam ingredientis orationem, sit, quem sibi proposuerit finem, ante exponere, ut quo tendant singula lector intelligens, rectius promtiusque cuncta perspiciat.

Est autem Glauconis, qua iniustitiam denuo defendit, oratio talis: Tria cum sint bonorum genera, aliud eorum, quae sui tantum causa, nullo ad ea, quae inde sequuntur, habito respectu, expetimus, in quorum numerum referuntur voluptates innocuae, ipsumque gaudere; aliud eorum, quae & propter se, & propter ea, quae ab iis efficiuntur, amamus, qualia sunt sapere, videre, valere; tertium denique eorum, quae per se licet molesta, ob ea amplectimur, quae inde sequuntur, ut sunt corpus exercere, medicinam adhibere: in genere primo iustitia est collocanda. At non ita videtur vulgo, ut quod mercedis tantum, aut laudis causa censet iustitiam, per se onerosam, debere amari. Hoc ipsum igitur, iustitiam sui causa esse expetendam, cupio a te mihi demonstrari: idque quo fiat rectius, quoque rationes adhibeantur validiores; iniustitiam, quacunque potero, defendam ac laudabo. Iniuriam, dicunt eius patroni, inferre bonum est, pati malum: quod postquam experiundo didicerunt imbecilli, pacto inter se inito, iniuriam omnem prohiberi utile existimantes, leges condiderunt, iustitiaeque ortum dederunt. Expetitur ergo iustitia non sui causa, sed ab infirmioribus, propter imbecillitatem, invitis. Quod intelligitur vel inde: cupiditas lucri, natura unicuique insita, ad laedendos alios semper omnes stimulat; demtoque poenae metu, quin laedat alios omneque exerceat iniuriae genus, foret profecto nemo. Fac enim esse annulum aliquem, qualem habuisse Gyges fertur, quo oculis hominum subducere nos queamus: nemo, Hercule, adeo foret adamantinus, quin a iustitia deflectens, quaecunque luberet auferret, quos vellet occideret, omneque sceleris genus perpetraret. Ut autem, iniustum esse iusto beatiorem,

perſpiciamus: alterum cum altero, ſummum in ſuo genere utrumque, contendamus. Iniuſtum igitur, ut ſit ſumma eius iniuſtitia, ea etiam ornemus arte, qua occultare iniurias, ſpeciemque iuſti valet induere: iuſto contra aliorum de ſua iuſtitia demamus exiſtimationem, ut, etſi nihil peccet, iniuſtiſſimus tamen habeatur. Iam, qualis utriuſque futura ſit vita, facile intelligitur: iuſtus maximos ſubibit cruciatus, & poenas; quo ipſo, non referre, qualis ſit, ſed qualis habeatur, fiet ipſi manifeſtum: iniuſto contra ex mente omnia procedent, imperia ac magiſtratus ipſi deferentur, quamcunque voluerit, poterit uxorem ducere, filiaſque cui lubuerit nuptum dare, opes quam maximas cumulabit, ſacrificiiſque ſplendidiſſimis ipſos etiam Deos ſibi conciliabit.

Quae cum dixiſſet Glauco, Adimantus frater aliis inſuper argumentis eius roborat orationem. Patres, inquit, liberis commendant iuſtitiam, non propter ſe, ſed propter bonos rumores, ut nempe qui habetur iuſtus ad honores evehatur, aliaque a Glaucone commemorata adipiſcatur; Deos, addunt, iuſtis affatim omnia praebere, & apud inferos beatiſſimos eos reddere; iniuſtos contra luto, dicunt, obrui, aliaque pati, quae Glauco de iuſtis, ſed qui exiſtimantur iniuſti, retulit. Omnes praeterea, temperantiam & iuſtitiam honeſtas quidem, ſed difficiles & laborioſas; intemperantiam contra & iniuſtitiam iucundas ac faciles, ſed lege & hominum opinione turpes, iniuriam iuſtitia plus afferre utilitatis, uno ore fatentur, ideoque opulentos, ſed pravos, honore afficiunt; Deos autem bonis viris multas ſaepe calamitates immittere, improbis contra favere, affirmant: quin immo ſunt circulatores, qui, ſacrificiorum caerimoniarumque ope Deos ſeſe cuivis poſſe placare, &, ut ſibi obſecundent, cogere, hominibus perſuadent, omnemque adeo a Deorum ira metum iniuſtis demunt. Ex his cunctis efficitur, iniuſtitiam praeſtare iuſtitia, &, modo iuſti induamus ſpeciem, pro iuſtiſque habeamur, ut ſimus iuſti nihil eſſe curandum. At dixerit forte quiſpiam: difficile eſt

semper latere; cui occurritur statim, nullam rem magnam esse facilem, hanc autem esse viam ad felicitatem optimam, satis iam esse demonstratum; esse praeterea multa ad latendum adiumenta in sociorum amicorumque auxilio parando, & in artibus ad persuadendum quodvis inventis. Quod autem attinet ad Deos, ii aut sunt nulli, aut humana non curant; aut si sunt & curant, sacrificiis tamen feruntur placari. Haec summa est orationis Adimanti, cuius haud pauca bis dicta, tum etiam ex superiori oratione repetita, omisi: brevius utique, & ordine magis proponi singula potuissent, si rite Plato cuncta, quibus iniustitia defenditur, argumenta animo ante digessisset. Graviſſime profecto eius causa agitur; nec ita tamen, ut sophistice non videantur fratres defensionem instituere. Quod postulant enim, demta omni prorsus utilitate, iustitiam iniustitiae esse praeferendam, demonstrari, id fieri nullo posse modo videtur; &, si posset fieri, cum graviſſimae & ad hominum animos efficaciſſimae rationes ex utilitate petantur, in disciplina morum haud multum his argumentis proficeretur. Est utique iustitia per se hominibus grata, ut, qui maximas adepti sunt per iniuriam opes, qui ad summos pervenerunt honores, etiamsi neminem eius rei esse conscium sint persuasi, & fore, ut omnem a Deo hominibusque poenam subterfugiant: malint tamen, haec omnia se iure consecutos, nec omnem sui reprehensionem queant effugere; est enim ea hominum natura, ut nemo, quae iure potest, iniuria cupiat adipisci. Hoc ipsum iniustitiam defendentium oratio satis prodit: nisi enim suapte natura haberet iustitia, quo iniustitiam superaret, cur iusti species est induenda? cur iniustum necesse est videri iustum? Quod si omnibus & singulis expedit magis iniustitia, quam iustitia, quis furor, ut tales sese simulent esse, qualibus esse ipsis nocet, homines adegit? At infirmis obest iniustitia! Nemo facile tam est imbecillus, quin aliquo sit robustior; quique corporis robore non praestant, dolo tamen & astu robustiſſimos utplurimum vincunt. Quamquam au-

tem per se sit iustitia grata nobis: tamen, si exercitium eius nullam omnino afferret utilitatem, si iusto ea omnia essent patienda, quae fratres commemorant; iniustitia iustitiae foret praeferenda; quae enim ad felicitatem maxime faciunt nostram, sunt absque dubio aliis praeponenda. Iam corporis cruciatus, omnium rerum inopia, fames, infamia, quaeque alia evenire iusto fratres dixerunt, animi illam e iustitia manantem voluptatem dubio procul longe superant: effetque adeo iniustitia iustitiae antehabenda, & in virtutum numero collocanda. Ergo quod fieri plane non potest, postulant fratres, demonstrari, iustitiam, demta omni utilitate, & ad iniustitiam translata, ante iniustitiam esse ponendam, & in virtutum numero nihilominus collocandam. Nihil potest amplius ab eo, qui morum tradit praecepta, postulari, quam ut demonstret, iustitiam, etiamsi nulla eam sequatur utilitas, modo ne sit semper & suapte natura nobis perniciosa, aut etiamsi huic vel illi noceat, prosit tamen in societate aut civitate viventibus, esse sequendam: publicum enim & commune bonum privato est praeferendum cuique, cum praesertim id ipsum, inita societate, sese facturum quivis promiserit.

Hoc etiam sensu fratrum accipiens postulatum, contra ire Socrates, declarataque civitatis origine & natura, ab ea iustitiam abesse non posse, rationibus evincere parat. Qua in re, esse & nonnulla ante omnem civitatem iura, iustitiamque invenire & inter homines, nullo societatis vinculo ligatos, locum, eum praeteriit. Iustitia, inquit, cum & singulis ineſſe hominibus, & civitatibus totis dicatur, cumque maiora magis sint conspicua & manifesta: quaenam eius sit in republica natura, consideremus antea, quo facilius deinde in hominibus singulis eam perspiciamus. Civitatum omnium causa est indigentia: ideo enim, quod, quibus indigemus, non possumus quisque sibi parare, alios, a quibus adiuvemur, socios ascisimus, cumque his unum aliquem locum incolimus. Iam prima maximaque omnium, quibus egemus, re-

est victus, quem sequitur habitatio, hanc vestitus; adeoque civitas esse nulla sine agricola, aedificatore, textore, sutoreque potest, & quatuor, ad summum quinque viri ad efficiendam civitatem sufficiunt. Horum quemque suum oportet opus reliquis communicare, ut singuli hac ratione iuventur: qui enim uni aliive rei est intentus, tempore breviori, meliusque eandem potest perficere, quam cuius studium multis distrahitur negotiis; praeterea non omnes omni sunt rei idonei; denique, qui unam modo rem tractat, temporum locorumque opportunitates magis sequetur: magna proinde ex hac operarum communicatione, mutuoque auxilio, ad singulos commoda redundabunt. Praeter hos autem opus etiam erit fabris, instrumenta agricolis, aedificatoribus, reliquisque parantibus, ne in his elaborandis terere tempus cogantur; pastoribus insuper & bubulcis, ut lana, coria, & iumenta reliquis sint praesto. Addendi sunt & mercatores, cum nulla sibi sufficiat civitas, nec omnis omnia tellus ferat; & ad horum commoditates, mercenarii. In hac igitur civitate, necessariis ad vitam sustentandam omnibus instructa, sedem iustitia, in rerum inter se permutatione, habet. Cibum, vinum, vestes, domos hi sibi cives invicem parabunt, hordeo & tritico ad panes & placentas praeparato victitabunt; iucundeque vitam transigent. At obsoniis carent, obiicit Glauco. Demus ergo iis caseum, oleas, ficus, fabas: adiiciamus & alias luxuriosorum hominum delicias, unguenta, scorta, vestes pretiosas, aurum, ebur, argentum, picturas, poëtas, musicos, cetera; civitatemque & corruptam contemplemur, quo facilius iustitiae originem & naturam inveniamus. His omnibus adiectis, solum alere omnes non amplius poterit, eritque bello cum finitimis ad proferendos terminos opus. Cum autem bellum rite tractari, nisi a docto & exercitato, nequeat, nosque agricolis, opificibus, aliisque civibus sua iam opera distribuerimus: erit aliud insuper hominum genus, milites, ad custodiendam & defenden-

dam rempublicam aſciſcendum. Egregie Plato, indigentiam civitatum eſſe cauſam, aſſerit, praeferendus abſque dubio, e bello originem earum repetenti Hobbeſio; reprehendendus tamen, quod limites huic indigentiae nimis anguſtos ponit, eique medendae omnia a civibus eſſe conſtituta hinc infert, cum alia & maiora in ineunda ſocietate civili homines ſpectarint, quae ſi animo occurriſſent Platonis, iuris iuſtitiaeque originem longe vidiſſet manifeſtius, ipſaque iuris civitatum fundamenta eruiſſet.

Hi cuſtodes, cum maximam reipublicae afferant utilitatem, ſitque eorum munus utiliſſimum, ſumma ſunt cura deligendi: fortes enim eos oportet eſſe, & ad iram, ſine qua nulla eſt fortitudo, pronos, robuſtos praeterea, ac corpore agiles. Tales qui ſunt, ne & in cives ſint iniurii eſt metuendum: quod ne fiat, erga cives manſuetudo animis eorum debet ineſſe, quae animi quodam habitu philoſophico, diſcendique cupido, quo peregrini diſcernuntur a familiaribus, comparatur. Quas virtutes ut adipiſcantur, diſciplina tum animis eorum, tum corporibus, eſt adhibenda; ac animi quidem doctrina ſunt formandi, ita, ut a fabulis fiat initium, quibus maxime delectantur animi iuveniles. In his deligendis ſummam oportet adhibere curam, ne pravis opinionibus teneri imbuantur animi, multaeque adeo, quae nunc celebrantur, fabulae prorſus ſunt eiiciendae: in quarum referuntur numerum, quae Heſiodus & Homerus canunt, permulta. De Urani enim, Saturni, ac Iovis inter ſe diſſidiis, pugnis, & quibus ſeſe affecerunt poenis, turpia ac horrenda fingit Heſiodus, quorum exemplis facile iuvenes ad ſcelera quaevis patranda inſtigantur, ut ipſam, quae in bellis inter Deos geſtis latet, impietatem taceam. Omnia igitur, quae de Deorum, gigantum, heroumque inter ſe bellis poëtae canunt, e civitate exſulent: pueris potius & adoleſcentibus omni perſuadeamus ſtudio, civem pugnare cum cive, & inter ſe odia exercere cives, omnium maxime eſſe abominandum. Deorum porro naturam poëtae

multis modis turpant, aliam, quam revera est, eam fingentes esse; sic enim de Deo sentiendum: bonus cum sit Deus, bonumque nullum nocivum; nocere, malique quidquam facere nullo modo potest; nullius ergo mali, sed eius potius, quod prodest, adeoque felicitatis omnis, causa & auctor est Deus; quaecunque recte sese habent, ab eo proficiscuntur; & quae nobis eveniunt mala, ei minime sunt imputanda; quo fit, ut cum plura nobis contingant mala, quam bona, pauci tantum casus humani ad Deum, plurimi ad causam aliam sint referendi. Quod itaque poëtae Deum saepissime accusant, eique res nostras adversas auctori tribuunt, id omne repudiandum, nec, ut in nostra republica dicatur, ferendum; quin ita potius ut doceatur iubendum: poenas infligere Deum scelestis, ad eos emendandos, neminem iure poenas luentem esse miserum, Deumque adeo iuste ac recte in his omnibus facere. Quam praeclare in his omnibus de emendandis absurdis de natura divina opinionibus meritus sit Plato, dici vix potest: philosophiam certe plurimum iuvit; primus enim non modo Deum non esse mali causam dixit, sed accurate etiam demonstravit; primusque fundamenta iecit Theodicaeae, quae a Stoicis non tantum & Platonicis iunioribus, sed ab recentioribus etiam, Mallebranchio, & Leibnitio maxime, sunt deinde adhibita, magisque firmata, ut solidiora nequeant ulla reperiri. Recte hinc etiam intulit primus, non omnium rerum Deum esse causam: quod alii deinde accuratius enuntiarunt, multa Deum permisisse, quae mutari ob rationes alias, easque maioris momenti, non poterant; quae tamen, ob vim, quam tribuebat materiae, activam, proprio magis sensu, nec ad veritatem satis accommodate, Plato accipiebat.

Porro poëtae multa fingunt de Diis, aliam atque aliam subinde formam induentibus, hominum saepe specie circumeuntibus quasi provinciam, nosque fallentibus: haec etiam Plato iubet e sua exsulare republica, validissimoque, Deum id minime decere, argumento demonstrat. Quod-

cunque, inquit, ab alia in aliam tranſit formam, aut a ſe ipſo mutatur, aut ab alio. Iam quae recte ſeſe habent, ſuntque naturae praeſtantiſſimae, mutari ab aliis nequeunt, ut videre eſt in corporibus, animis, aliiſque rebus cunctis, quae, quo ſunt praeſtantiores, eo minus ſunt mutationibus obnoxiae: Deus ergo cum ſit omnium rerum praeſtantiſſimus, mutari ab aliis nequit. Quodcunque autem a ſe ipſo mutatur, aut in formam tranſit meliorem, aut in deteriorem: cumque Deus, cui nulla deeſt perfectio (ἀρετὴ) nullaque pulchritudo, fieri melior ſe ipſo non poſſit, induere eum formam deteriorem, neceſſe eſſet: quod plane repugnat; nulla enim res deteriorem reddere ſemetipſam poteſt. Falſa erga ſunt, quaecunque a poëtis de Diis in alias formas verſis ſolent narrari. Praeter autem quod haec falſam de Deo ſpargunt opinionem, reddunt etiam homines meticuloſos: quod omni ſtudio, ne accidat urbis cuſtodibus, eſt cavendum. At, dixerit forte aliquis, Deus non mutatur ipſe, ſed inanem modo aliquam falſamque nobis ſpeciem obiicit. Huic ita occurrendum: falli & errare homines pariter ac Dii oderunt, nemoque ſciens fallitur, cum inſcitiae error ſit filius: hoc ergo in Deum nullo modo cadit. Mendacium vero etſi nonnunquam a nobis probatur, quoties nempe ad decipiendos hoſtes, noſque a furore aliorum defendendos adhibetur; imbecillitatem tamen ſemper, quae a Deo longiſſime abeſt, arguit: reliqua autem mendaciorum genera, quae aut ex ignorantia, aut malitia proficiſcuntur, naturae divinae maxime repugnant. Verax eſt igitur Deus, nulloque modo homines fallit, nec vigilantes, nec ſomniantes. Quae ergo apud Homerum alioſque poëtas leguntur ſaepe de inſidiis, quas hominibus Dii fallacibus ſtruunt ſomniis, aliiſque ominibus, aut etiam oraculis, prorſus ſunt repudianda: cuſtodes enim noſtros religioſos vereque pios decet eſſe. Veriſſima ſunt etiam haec, optimeque demonſtrata, in quibus iterum egregia haud pauca veritatum ſemina Plato ſparſit. Primum quidem, quod melius de

Deo, eiusque veracitate, ac rectius docuit homines sentire, magnisque theologiam philosophicam erroribus purgavit: deinde, quod primus fundamentum posuit praeclarum, unde divinae naturae attributa derivantur optime, quoque omnes post eum philosophi solidiores sunt usi. Deum dicit praeclaris omnibus bonisque ornari; quo ipso, quod recentiores extulerunt apertius, indicavit, omnes in Deo esse perfectiones, & esse Deum, naturam perfectionibus cunctis praeditam. Haec animo eius procul dubio obversabatur notio; licet obscura adhuc, nec satis expressa, quod fieri etiam propter eius naturam aliter non poterat: sunt enim perfectionis, realitatis, entisque perfectissimi notiones tot septae obscuritatibus, ut hoc demum seculo in clara potuerint luce collocari. Ex hac notione, quaenam Deo insint attributa, posse demonstrari, exemplis aliquot philosophus ostendit; nec videtur tamen omnem eius perspexisse vim, cum ad aperiendam reliquam Dei naturam eam non adhibuerit. Hoc tamen ipso omnibus fere post se philosophis praeivit, qui quantum inde ad uberiorem verioremque adipiscendam Dei cognitionem profecerint, dici vix potest. Aristoteles, hoc ipso usus fundamento, plura iam de Deo demonstrat; plura adhuc Platonici recentiores, eosque secutus Augustinus; plura Scholastici, qui viam eminentiae ei superstruxerunt, &, quomodo omnia fere Dei attributa hinc sint derivanda, docuerunt; recentiores denique, praeeunte Cartesio, peculiare theologiae genus, quod dicitur a priori, ei inaedificarunt.

LIBER TERTIUS.

QUOMODO instituendi sint, tum quoad animum, tum quoad corpus, custodes, id est, viri militares, docere Plato pergit; &, quem de poëtis abruperat sermonem, conti-

nuat. Viros hoſce minime oportet eſſe meticuloſos: vitanda adeo ſunt, quaecunque metum aliquem ingenerare animis eorum poſſunt, praecipue quibus mors horrenda admodum, & quaſi eſſet malorum finis, depingitur. Quae igitur poëtae canunt de inferis, etſi magna iis inſit poëſeos vis, cum horrorem mortis incutiant, vitamque nimium commendent, omnia removeamus. Nec viros etiam illuſtres lugeri poſt obitum, ac defleri ſinamus: vir enim probus mortem, etiamſi contingat amico, magnum non iudicat malum; cumque nullo, niſi ſe ipſo, ad beate vivendum egeat, eripi ſibi amicum iniquo non fert animo. Praeterea adoleſcentes hos temperantia, qua pareant praefectis, in voluptatibuſque teneant modum, oportet eſſe ornatos: unde ſequitur, poëtas, quoties voluptates nimium commendant, aut inferiorum cum ſuperioribus iurgia referunt, non eſſe ferendos; neque etiam, quoties opes & pecuniam laudibus efferunt, aut doni cauſa iniuſte viros claros facere narrant. Nec tolerandi etiam poëtae ac oratores, iniuſtitiam commendantes, iuſtitiam, quod multa afferat mala, reprehendentes.

Haec dicta ſint de rebus, quae ſcribenda aut canenda, & ab oratoribus ſunt publice dicenda: tranſeamus ad modum & rationem, qua debent tradi. Poëtae, quae ſunt facta, aut futura, aut quae fiunt, narrant, idque modis duobus: interdum enim ipſe loquitur poëta; interdum autem alios inducit loquentes, eorum imitando ſermonem. Iam omnibus in hac civitate, ut unam quiſque rem agat, nec pluribus ſeſe immiſceat, quod ad plura ſimul tractanda natum non eſt hominum ingenium, & quo quis plura ſuſcipit negotia, eo eſt in ſingulis perficiendis deterior, lege iniunximus: cuſtodes ergo id unum modo oportet curare, ut patriae tueantur libertatem, omniaque haec, quae in imitatione verſantur, ſtudia cavere. Accedit, quod imitatio, ſi a teneris exerceatur annis, in naturam abit, viroſque militares corrumpit: mulierem enim imitantes cum viro rixantem, aut gloriantem, aut dolo-

ribus luctuque confectam, vel virum timidum, aut servum, alioſque, quorum mores ab eorum ſunt profeſſione alieni, non poſſunt non multa inde animo imbibere. Bonorum contra virorum & fortium orationes ac mores imitando exprimere iis licebit: at artifices harum rerum, quorumque omnis in imitando conſumitur opera, ut varios repraeſentare mores, habituſque animorum omnimodos queant induere, cum laude ac honore ſunt dimittendi.

Quod attinet autem ad Muſicam: modi tantum ii, melodiaeque eae ſunt tolerandae, quae animum non frangunt, mores non corrumpunt, quibus ineſt gravitas, animuſque ad fortitudinem erigitur.

Poſt animum, corporis etiam, cum anima egregia corpus reddat optimum, cura eſt gerenda, ſuntque iuvenes ſecundum artis gymnaſticae praecepta exercendi. Ac principio omnis ab iis abſit ebrietas; turpiſſimum enim eſt cuſtodem egere cuſtode: deinde nec athletarum rationi vivendi aſſueſcant, a qua ſi vel minimum diſcedant, infirmitates & morbi ſequuntur, fiuntque aeſtus, frigoris, aëriſque mutationum impatientes; ſed omnibus potius aſſuefaciendum corpus; cibo paratu facillimo, remotis condimentis omnibus ac deliciis, utendum, luxu ac luxuria procul habitis. Hinc praeter corporum infirmitates, lites etiam plurimae oriuntur, ut quaecunque civitas medicis eget & iudicibus multis, eam corruptam recte dicamus: aegrotandi inſuper non eſt otium noſtris civibus, quibus morbo correptis cito mori expedit magis, quam remediis ſtudioſe quaeſitis vitam protrahere, quod divitum eſt & otioſorum. Hinc ergo ſequitur contrarium eius, quod ſupra dabatur, ineſſe huic reipublicae coquos alioſque luxuriae miniſtros; civitatemque noſtram, immo omnem potius, quae bene adminiſtratur, a voluptatum ſtudio eſſe remotiſſimam debere.

Imperium autem in hac republica ſit penes optimos, id eſt, cuſtodum ſeniores, & praeſtantiſſimos: hi enim,

qua ratione optime ſervetur & cuſtodiatur reſpublica, norunt. Horum qui maxime eam diligunt, quique quae expediunt ei maxime cupiunt, ſunt ad imperandum deligendi: quod quo fiat, a pueris decet eos obſervare, mores eorum ac opiniones probare, ut, qui per omne vitae ſpatium ſemper rebus optimis ſtuduerunt, honoribus & magiſtratibus ornentur. Cuſtodes igitur hi vere dicuntur cuſtodes, cum, cives ne velint, exteri autem ne poſſint nocere reipublicae, curent, eamque ab omni defendant detrimento: horum autem iuniores, principum adiutores dicamus. Hinc ergo, quoſnam cuſtodum intelligat nomine Plato, apparet, eos nempe, quibus reipublicae demandat curam, ut ab hoſtibus eam defendant, ſimulque gubernent: quorum alterum iunioribus tribuitur, qui adeo ſunt milites; alterum ſenioribus, penes quos adeo eſt civitatis imperium: praeterea, formam reipublicae Platonicae eſſe ariſtocraticam, nec tamen hereditariam, ubi certis quibuſdam gentibus imperium ſemper inhaeret, ſed ubi eliguntur & cooptantur ab ipſo ſenatu, quibus imperandi ius concedatur. Hanc eius formam, quae in fine libri adduntur, magis declarant. Omnibus reipublicae civibus eſt perſuadendum, fratres ſeſe eſſe, nec omnes tamen rebus iiſdem idoneos, & adhibendos ad eadem negotia gerenda: ſunt enim ingenia hominum, ut aliarum quoque rerum naturae, maxime diverſa; quorum quae ſunt praeſtantiſſima, auri referunt naturam, quo in numero principes ſunt, quoſque ad imperandum Deus deſtinavit; milites vero, argento; agricolae, opifices, ceterique, ferro ſunt ſimiles. Fit autem frequenter, ut quiſque ſimilem ſibi generet; interdum tamen ex auro gignitur argentum, & ex argento aurum: imperantibus itaque Deus maxime iniungit, ut prolis ſummam gerant curam, diligentiſſimeque eius ſcrutentur ingenium, ut, ſi quid ei ſit argenti ferrive admixtum, nimio ſeſe affectu abripi non patiantur, ſed ſuum cuique locum aſſignent, & pro ſua quemque indole aut ad agricolas opificeſque able-

gent, aut ad ſummam evehant dignitatem: hoc enim neglecto, perire funditus civitatem neceſſe eſt.

Haec docti cuſtodes, eorumque praefecti, & armati, locum deligant, qui ſit ad arcendam exterorum vim, cohibendoſque cives maxime idoneus, ubi caſtra ponant; ibique exſtructis aedificiis, non ad luxum & oſtentationem, ſed ad uſus militares, commorentur. Ne autem hi ex canibus lupi, ex cuſtodibus direptores reipublicae, cum poſſint plurimum in civitate, evadant, ſummo ſtudio cavendum: idque ut fiat, privati quidquam habere patrimonii, niſi quod ad vitam ſumme eſt neceſſarium, ſunt verandi; ſtipendium iis publice, quod ad alendos ſufficiat, tantum praebendum; auro & opibus eos non egere, cum animus eorum ſit vere aureus, omnique auro praeſtantior, iis perſuadendum, omnique auri & argenti uſu ſunt interdicendi, ut nec tangere aurum, nec domi habere ipſis liceat; immo nec poſſidere agros, aut ullam rem, unde quaeſtum faciant, tractare iis permittendum, ne pro cuſtodibus fiant agricolae, aut domini ac inimici civium reliquorum. Optime haec omnia conſtituuntur a Platone; nec dubium eſt, quin, ſi omnia haec, ut ab eo ordinantur, accurate ſerventur, civitas eius beata ſit, optimeque morata futura. Humanam autem naturam haud ſatis videtur conſuluiſſe, ad leges optimas perfringendas ſemper pronam: eſt enim ea hominum indoles, ut quacunque ſentit ſeſe animus vi maxime pollere, eam omni modo ſtudeat exercere; quo fit, ut ad inveniendas voluptates novas ſeſe applicet, omne artium & ſcientiarum genus, ultra quam publice eſt utile, legibuſque cautum, extendat, nec quieſcat ante, quam, quouſque potuit pertingere, pervenerit. Quamquam igitur artibus & ſcientiis legibus ponatur modus, quamquam ad temperantiam ceteraſque virtutes legibus & reipublicae adminiſtratione homines cogamus; deſunt tamen nunquam, qui tranſilire terminos cupiunt, & clam ſemper leges perfringunt. In his omnibus peſſimum eſt, quod legum cuſtodia

demandari, nisi hominibus, potest nemini, corruptisque hominum animis & moribus stare leges, licet optimae, nequeunt; unde fit, ut nulla possit excogitari reipublicae forma constans ac perpetua, cuique corruptionis semina non inhaereant. Omne reipublicae genus, si bene ac sapienter administretur, bonum est: quod cum ab ipsis hominibus pendeat, optima est, in quam irrumpere luxuria, legumque contemtus omnium minime potest; quod reipublicae, a Platone delineatae, haud videtur tribuendum. Imperium paucis, iisque militaribus viris, traditur, quibus vita simul durissima est agenda: hi igitur cum omnia possint, non iure tantum, sed armis etiam; cum a nemine coerceantur, nec sit ulla in hac civitate potestas iis par; cumque, qui possunt omnia, licere sibi omnia facile inducant in animum, sintque omnium minime ad vitam voluptatum expertem, molestiarum plenam, semper degendam proni: stare respublica diu non potest; nec educatio custodum, licet magna ei insit vis, diu eam tuebitur, cum nihil ad corrumpendos iuvenum animos sit efficacius, quam magna parentum sive potestas, sive auctoritas, a teneris, ut ita dicam, unguiculis superbiam, omniumque, quibus libidines coërcentur, vinculorum contemtum, animis ingenerans.

LIBER QUARTUS.

De custodibus differere Plato pergit, ut qui praecipua sunt civitatis pars; additisque quibusdam ad definiendam accuratius eorum conditionem necessariis, partes reipublicae inter se comparat, ut, ubinam iustitia habeat locum, & quae sit eius natura, deprehendatur. Cum dura adeo sit custodum vita & inops, reliquis agros, domos magnificas, opesque possidentibus; cum ne egredi quidem iis pro lubitu patriae fines liceat, nec habeant, quod in

voluptates impendant: beati nullo modo, sed miseri potius, custodes facile videantur. At qui reputaverit secum, non eam nunc rempublicam constitui, quae abundet omnibus ad vitam cum iucunditate degendam necessariis; sed quae maxime sit una, sibique concors, utpote in qua facillime nos inventuros iustitiam speramus; id vitio ei non vertet. Praeterea ut perperam reprehenderetur pictor, quod oculos nigros, non purpureos, pinxisset, cum nigri oculi cernant acutissime, licet purpurei videantur pulchriores: ita nec nos vituperamur iure, quod custodibus vitam praescribimus officiis eorum accommodatissimam, totique reipublicae utilissimam. Divitias porro & egestatem, cum omne etiam reliquum civium genus corrumpant, alterum enim negligentes facit ac desides, alterum, quod necessaria ad opus quodlibet faciendum desunt instrumenta, male eos cogit res suas elaborare, abesse a nostra civitate longissime iubebimus; maximeque adeo, ne custodes pessumdent, cavebimus. At qui bellum civitas haec, pecunia carens, gerere cum opulenta ac divite poterit? Quod si civitas ista vere fuerit una, id est, si inter se omnes consenserint ordines; fieri id quidem non poterit: sed cum respublicae praeter nostram omnes divitum & pauperum, plebis & nobilitatis vexentur discordiis, cum praeterea nostris civibus non liceat lucrum e bello ullum quaerere; invenient semper, qui iis sese adiungant; pauperes in republica quavis alia ab iis stabunt, victoriamque iis facilem parient. Sat magna igitur haec civitas erit, etiamsi non ultra fortium militum mille contineat, ad arcendos omnes aliorum conatus hostiles.

Quae cum ita sint, augeri semper eam nefas; sed ponendus, ultra quem non amplificetur, terminus, isque sit, quo usque concordia & unitas potest servari, & ad sese tuendam ut sufficiat, effici. Fiet autem hoc maxime, si, qui ad militiam & reipublicae administrationem sunt inepti, aliis adhibeantur negotiis, quique ex aliis civium ordinibus boni nascuntur milites, inter custodes legantur:

ſi in liberorum educatione, ac iuventutis diſciplina ab inſtitutis, quae commemoravimus, non diſcedatur, praecipue autem a cuſtodibus licentia omnis, luxuria, morumque corruptio arceatur, & moribus magis bonis, ac diſciplina publica, quam legibus, reſpublica gubernetur. Legum, hanc ob cauſam, numerus nimium non eſt augendus: quae ſpectant religiones & cultum Deorum, aut minoris momenti negotia pūblica, moribus & conſuetudinibus bonis ſunt relinquenda. Nec addere plura de civitatis conſtitutione, de liberorum & feminarum communione, attinet. In his omnibus multa ineſt ac profunda rerumpublicarum ſcientia: egregie inprimis, ac neſcio, an primus, Plato animadvertit, in omni civitate moribus plus, quam legibus, tribuendum; ſapienterque liberorum educationi maxime proſpicit, quae ut tum temporis, ita & hodie, negligi maximam partem ſolet.

Civitas haec, cum recte ſit inſtituta, bona eſt; cumque ſit bona, virtutibus etiam, ſapientia, fortitudine, temperantia ac iuſtitia, ornata. Inventis igitur ac definitis harum virtutum tribus, apparere naturam quartae neceſſe eſt; cum, quod reſtat inexplicatum, id ipſum ſit, quod quaeritur. Ac ſapientia quidem reipublicae completitur, quae publicam eius adminiſtrationem, & cum exteris civitatibus negotia ſpectant; eaque in parte civium, penes quam eſt imperium, id eſt, in cuſtodibus iis, qui praeſunt reipublicae, reſidet. Fortitudo in cuſtodibus iis, quibus ſtudia bellica ſunt demandata, locum invenit; utque ab his tota civitas fortis, ita ab illis ſapiens appellatur. Temperantia autem non in una quadam civitatis parte, ſed in omnium inter ſe concentu ineſt: qui enim ſemet gubernat, id eſt, qui partibus ſui melioribus ac praeſtantioribus deteriores ac inferiores, cupiditates ac libidines, ratione regit, temperans dicitur. Iam cum in hac republica regant prudentes & ſapientes, regatur vulgus imperitum; gubernat ſe ipſam, temperanſque iure vocatur. Iuſtitia denique ad omnes ſinguloſque pertinet cives; cu-

ius, dum ſua quemque iuſſimus agere, quod eſt iuſtitiae, poſuimus fundamenta; virtutes namque omnes diximus ad ſervandam civitatem pertinere, eoque ipſo bonam eam perfectamque reddere; temperantia autem, fortitudo, ac ſapientia, cum nec permanere in republica, nec etiam indi ei queant, niſi ſuam quiſque rem agat, hoc ipſum eſſe iuſtitiae, ſequitur. Iudex enim, niſi, ut ſuum tribuatur cuique, ſtudeat, id eſt, iudicis fungatur officio; artifex, aut qui ad quaeſtum e re alia faciendum a natura eſt factus, niſi huic ipſi, cui eſt idoneus, rei ſtudeat, ſed divitiis elatus ad cuſtodum cupiat evehi dignitatem, perperam omnia faciet, unde rerum omnium confuſionem totiuſque ſequi civitatis everſionem, neceſſe eſt. In hac iuſtitiae definitione a vero longius aberrat philoſophus noſter: agere quod ſuum eſt, intelligit, tum quod cuiuſvis eſt in civitate munus & officium, tum, ad quae agenda quemque natura reddidit idoneum, facere; quae generis ſunt prorſus diverſi. Civem quemvis facere, quae muneris ſunt eius, quod in republica ſuſtinet, eſt quidem iuſtitiae; ſed non omnem complectitur iuſtitiam, cum multa etiam nobis incumbant agenda, praeter ea, quae locus, quem obtinemus in civitate, poſtulat, immo ſi nulli etiam ſimus civitati adſcripti. Facere autem ad quae natura nos deſtinavit, ad iuſtitiam nullo pertinet modo, cum non dicatur, nec dici queat iniuſtus, qui vitam ſequitur naturae haud congruentem, ſutor v. g. mediocris, quem dotibus ad exercendam medicinam idoneis natura ornavit.

Hanc tamen ut ſtabiliat definitionem, ad naturam hominis ipſam Plato confugit: iuſtitia enim unius hominis cum non differat a iuſtitia civitatis; eſſe eam in ſingulis hominibus nihil aliud, quam ſuam rem agere, nititur demonſtrare: in quo quamquam haud recte verſetur, admiſcet tamen nonnulla ex animae natura altius petita, quae, cum ad intelligendam accuratius aliorum etiam hac de re antiquorum ſententiam valeant, pluribus ſunt declaranda. Sunt in hominibus ſingulis, perinde ac in civi-

tatibus, iracundia (θυμὸς), cupiditas (ἐπιθυμία), & ratio (λόγος): de quibus, an insint uni eidemque substantiae, iam quaeramus. Est autem sensus quaestionis hic: animis nostris inest ratio, inest etiam cupiditas, fames, v. g. sitis, amor, avaritia, ambitio; inest denique ira. De his, utrum toti insint animae, ut eodem, quo affirmamus, negamus, intelligimus, cupiamus etiam & irascamur; an diversis animae partibus, ut aliud sit, quo cupimus, ab eo quo irascimur, & intelligimus; animaque adeo e diversis sit partibus conflata, quaeritur. Haec quaestio duos rursus sensus admittit: aut enim anima esse simplex omniumque partium expers intelligitur, alia tamen facultate intelligere, alia cupere; aut ex partibus substantiisque pluribus composita, quarum alia intelligat, alia cupiat, alia irascatur. Quorum posterius placet Platoni, Pythagoram sequenti aliosque antiquiores, e pluribus animam conflari partibus existimantes, accuratius tamen eas distinguenti, & in locum duarum, quas agnoscebant prisci, tres substituenti partes. Ut res eadem, eadem sui parte, contraria faciat aut patiatur, fieri plane non potest: ubicunque autem contraria de eodem simul dicuntur, per errorem aut consuetudinem tribuuntur eidem, quod accurate consideratum non est prorsus idem: sic hominem dicimus quiescere simul & moveri, quod alia sui parte movetur, alia quiescit; turbinesque totos simul stare & circumagi, quoties circa centrum agitantur, quod quoad rectam, quae iis inest, lineam quiescunt, quoad curvam vero moventur. Quotiescunque ergo insunt rei cuidam contraria; non esse eam prorsus eandem, sed alias atque alias habere partes, necesse est. Insunt autem animae nostrae nonnulla simul contraria, ergo etiam partes a se invicem diversae. Ac principio quidem ratio & cupiditas, cum pugnent inter se haud raro, diversis insunt animae partibus. Famem v. g. & sitim consideremus attentius, quorum alterum cibi, alterum potus est cupiditas, nulliusque praeter haec rei alius; quotiescunque enim aliud, praeter potum, appe-

timus, alia id novaque cupiditate, nomen hinc etiam accipiente, cupimus: qui frigidum aut calidum vult potum, aut copiosum vel exiguum, eius sitis hinc quoque peculiari insignitur nomine, & magna aut exigua, sitis calidi vel frigidi vocatur; & quaecunque ad rem quandam sibi obiectam referuntur, pro eius diversitate alias quoque appellationes, aliasque qualitates sortiuntur, ut scientiae, quae, prout differunt res cognitae, ipsae distinguuntur. Sitis ergo & fames cibum modo & potum, nulla eius alia qualitate considerata, respiciunt: quique cibum nos & potum dicit appetere bonum, non est audiendus, cum bonitas sit qualitas cibo potuique accedens, ad eorum non pertinens naturam, nullaque adeo eius in appetitu ipso habeatur ratio. Sitientis animus cum nihil cupiat aliud, quam bibere; si quid eum, quamdiu id appetit, retrahit, diversum hoc esse ab eo, quod stimulat ad bibendum, aliamque necesse est animae esse partem. Iam saepissime sitientes nolunt bibere: est ergo in animabus ipsorum aliud impellens, aliud deterrens; quorum hoc esse rationis, illud cupiditatis dicimus, suntque adeo cupiditas & ratio in diversis animae partibus. Ab his ira differt: ac a parte quidem concupiscente, quod saepius ira & indignatio adversatur cupiditati, & appetitui nostro irascimur; a parte autem rationis compote, quod, quoties cupiditates nos praeter rationem cogunt, rationem increpamus, eius aegre ferimus imbecillitatem, iramque, pugnantibus inter se his, in auxilium rationis advocamus. Pueris praeterea inest statim ira: ratio sero demum accedit, quin nonnulli compotes eius nunquam fiunt. Eadem haec docet etiam Xenophon: sed Platonis argumenta sunt subtiliora; Xenophon, pugna rationem inter & cupiditatem descripta, satis sese, quod cupiebat, declarasse sibi persuadet. Quamquam autem accuratissime primo intuitu videtur Plato, quod volebat, demonstrasse: fundamenti tamen loco substernit, quod haud facile ei dari per rerum naturam potest. Quae faciunt aut patiuntur contraria si-

mul, ea differre, verum eſt omnino: ſed diſcriminum plura ſunt genera, quorum alterum non ſemper nec neceſſario ſequitur alterum, &, quae differunt inter ſe, numero non omnia ac ſubſtantia differunt. Pugna rationem inter & cupiditatem diverſas quidem in anima facultates, diverſas tamen naturas ac ſubſtantias non arguit. Nec praeterea rationem & cupiditatem uno eodemque temporis puncto ſecum pugnare, eſt a Platone probatum; quod ſi eſſet, plures omnino animam ſubſtantias complecti ac partes, ſequeretur. Qui rem ſtudioſe obſervarunt, ſuccedere ſibi hos rationis impulſus & cupiditatis, norunt, ut modo velimus, modo nolimus, non ſimul & velimus & nolimus. In quo explicando multum deſudarunt & recentiores; expediri autem res breviſſime videtur ſic: una eademque res, prout ex hac vel illa ſpectatur parte, ad contraria poteſt animum impellere: ſitientem v. g. ad potum ſitis ſtimulat; eundem ſecum reputantem, potum propter frigus, aut quia iam non decet bibere, poſſe obeſſe, ratio deterret: aliud enim eſt in eadem re, quo voluptatem affert praeſentem, aliud, quo deinde nocet. Hinc oriri pugnam neceſſe eſt, ut modo cupiamus idem, modo avertemur, nec uno tamen eodemque temporis momento, ſed ſuccedentibus ſibi in animo diverſis circa idem cogitationibus; immo nec unam prorſus eandemque rem, ſed aliud atque aliud in re una reſpicientes; cupimus enim bibere, quoties voluptatem, ſitiſque moleſtiam cogitamus; nolumus bibere, quando damnum, aut dedecus, animo obverſatur. Quare pugna haec, a diverſis & contrariis animum moveri, ſatis demonſtrat; in anima ipſa diverſas eſſe partes, aliam, qua cupit, aliam, qua a cupiditate retrahitur, non arguit: eadem enim, qua cupimus & volumus, animae facultas a moventibus diverſis, modo huc, modo illuc impellitur. Ceterum hoc ipſum, ut animam e diverſi generis naturis conflari ſibi perſuaderent, veteres impulit, quod ab omnibus, qui animam differre a corpore organiſque corporis ſtatuerunt, eſt probatum: unde

en quoque manavit opinio, e tribus hominem constare partibus, corpore, anima, mente, cui post Empedoclem, & Thaletem, Plato etiam accessit, ad Platonicos deinde recentiores ac Cabbalistas translata, unde in Theosophorum, quique hos sequuntur hodie, philosophiam irrepsit. Quae quam infirmo stet talo, satis, opinor, hinc apparet.

Vir igitur cum eadem sit ratione iustus, qua civitas iusta; cumque iusta sit civitas, in qua suo quisque satisfacit officio: iustitiam hominum singulorum esse, qua partes animae suum quaeque faciunt munus, sequitur, ita quidem, ut ratio, cui inest sapientia, imperet, totique prospiciat animae, pareat ei & opituletur ira; hisque obediat tandem cupiditas. Hominis autem cuiusque fortitudo in eo consistit, ut irascibilis animae pars, rationis iussa in rebus metuendis, aut non metuendis, voluptatibus & doloribus exsequatur; sapientia, in eo, ut ratio instructa sit scientia eorum, quae sunt universis & singulis totique homini utilia, aut nociva; temperantia denique, in eo, ut singulae inter se animae partes consentiant. Qui his est virtutibus praeditus, nullam unquam committet iniuriam, depositum non celabit, homicidia, furta, sacrilegia, in se non admittet, iusiurandum & pacta servabit, parentibus ac Diis, quae debet, praestabit. Iniustitia contra, ubicunque animae inter se partes diffident, ut suum singulae munus non faciant, locum habet. Hinc igitur, iustitiam esse animae sanitatem, iniustitiam contra morbum, efficitur; adeoque iniustitiam prodesse nunquam, iustitiam semper, poenam quoque ipsam, quae sequitur iniuriam, esse salutarem. Postquam eo sumus progressi, ut iam, iustitiam & iniustitiam quae sequuntur, nobis appareant, nitendum omni studio, ut quam manifestissima haec reddantur, vitiorumque omnium nobis aperiatur natura & origo. Ut autem in civitate una quaedam forma est bona, ceterae omnes malae; ita una quoque est virtus, a qua simul deflectitur, vitium prodit: quod quo eluceſcat magis, pravas civitatum formas iam consideremus. De virtute quae a Plato-

ne hic docentur, e Pythagoreorum forte ſchola ſunt petita: certe in eorum fragmentis leguntur quaedam his prorſus ſimilia; nec Pythagoreos, cum ad muſicam plurima revocarent, & ubique fere harmoniam cernerent, haec docuiſſe, abhorret a fide. Haec autem quod abſque examine ſtudioſo probavit Plato, non omni caret reprehenſione; ſiquidem virtutum quidem ac vitiorum fons & cauſa his aperitur, natura vero nullo declaratur modo. Omnium enim virtutum cauſa eſt conſenſus virium animae & actionum; cum virtus omnis ſit perfectio, quae pugnare cum perfectione alia veri nominis non poteſt; unde conſpirare omnes inter ſe vires, efficique e conſenſu virtutem, e diſſenſu vitium, neceſſe eſt. Sed quare hoc vel illud in virtutum vitiorumque ſit numero ponendum, & quare haec potius, quam alia omnia, facere nos oporteat, id eſt, cauſam ac naturam obligationis, haud ſatis haec explicant; praecipue vero iuſtitiae non declarant naturam, quae a virtutibus reliquis & officiis differt eo, quod cogi, ut ſatisfaciamus ei, poſſumus. Eſt igitur argumentum, quo iuſtitiam ſemper prodeſſe, obeſſe iniuſtitiam Plato demonſtrat, in ſe quidem bonum ſatis ac firmum; ſed rem ipſam non ſatis aperit, ac manifeſtam reddit, cum diſſenſum, qui omni ineſt vitio, adeo magnum eſſe malum nondum conſtet, & quanta inde manent incommoda haud ſatis perſpicue doceatur. Inſunt tamen & horum, ſi demonſtratio magis evolvatur, ei ſemina; primuſque adeo philoſophus noſter apertius paulo, quam Pythagorei, virtutem eſſe perfectionem humanae naturae, docuit, & Wolfio, huic fundamento philoſophiam morum inaedificanti, praeivit.

LIBER QUINTUS.

SOCRATEM, pravas rerumpublicarum formas definire accuratius aggredientem, Adimantus, monitus a Polemar-

cho, revocat ad explicandum, quod supra dixerat, uxores liberosque debere custodibus esse communes. Hoc igitur, cum videatur ob insolentiam fieri nec posse, nec etiam expedire, pluribus in hoc dialogo Socrates confirmat. Custodes nostros rempublicam eodem prorsus modo, quo canes custodiunt gregem, iussimus tueri; canibus autem huiusmodi tam maribus, quam feminis, mandanda est custodia: uti ergo ad eadem ministeria feminis decet, quoad fieri per earum naturam potest, ac eodem fere, quo iuvenes, modo virgines sunt educandae, corporumque exercitiis formandae. Nec deterreat nos, quod ridicula initio videbitur corporum nudatio, quaeque alia palaestram sequuntur: temporis diuturnitas ac consuetudo haec delebunt; nihilque, quod revera prodest, rideri iure potest. Magis forte moveret, quod agere quemvis, ad quae natura est idoneus, iussimus, feminarumque ab exercitiis huiusmodi natura abhorrere nimium videtur; nisi persuasum haberemus, ad omnia, quae agunt viri, esse & feminas natura aptas, nulloque, nisi corporis robore, ab illis superari. Ut igitur virorum alii ad aliud sunt apti, ita etiam feminae: sunt enim inter eas, quae corporis amant exercitia, sunt quae non; sunt quae ad bellum sunt idoneae, sunt quae non; sunt ergo etiam, quae adhiberi ad reipublicae custodiam recte possunt. Constat iam, fieri hoc posse: an expediat, restat quaerendum. Custodes nostri, educationis ope, viri sunt omnium praestantissimi: feminas ergo eiusdem beneficio reddi optimas necesse est. Sint igitur feminae omnium, quae ad custodiam urbis, bellaque pertinent, participes: eodemque, quo iuvenes, modo exerceantur; faciliora tantum, &, quae minus poscunt roboris, eis mandemus. Differre a viris mulieres robore dum concedit Plato, ad quae sequuntur non satis videtur animum attendere: ubi enim minus est virium, ibi tolerari labores, ceteraque belli incommoda, sitis, fames, coeli intemperies, diu satis non possunt: ubi porro minus est virium, ibi minus etiam audaciae, ferociae ac fortitudinis; ad bellica ergo negotia feminae haud

sunt idoneae, &, si qua forte exstat mulier bellicosa, monstri id loco iure habetur. Non posse praeterea ad bella adhiberi feminas, apparet vel inde, quod nulla unquam gens, exceptis Amazonibus fabulosis, mulieribus est militibus usa: quod si posset fieri, alicubi profecto esset factum. Multas ad haec, quae mulieribus insunt, infirmitates, naturam earum & conditionem sequentes, secum non reputavit philosophus; nimiaque praecipitantia, esse eas ad omnia virorum opera idoneas, conclusit.

Hinc porro, tales feminas talibus debere viris esse communes, inferr, liberosque eorum communes itidem, ut nemo nec pater filium, nec filius patrem norit suum. Cuius instituti utilitas apparet vel inde, quod, ut in omni animalium, ita & in hominum genere, quo parentes sunt robustiores & generosiores, eo etiam melior generatur proles; summoque adeo studio civitatis principibus videndum, ut iuvenes praestantissimi optimis iungantur virginibus; &, ne mali accedant ad malas, cavendum. Quo igitur huic rei studebitur magis, eo meliores gigni cives, melioremque fieri civitatem, necesse est. Ne autem iurgia hinc & rixae oriantur, summa arte principibus civitatis est providendum, sorteque ita instituta, ut iuvenibus optimis optimae eveniant mulieres, ne aegre ferant reliqui, cavendum. Qui in bello aliisque rebus optime sese gesserint iuvenes, iis, ut quamplurimi inde procreentur liberi, quam saepissime coeundi cum feminis copia est facienda. Viri feminaeque, sunt enim & magistratus utrisque communes, liberos ab iis procreatos, ad nutrices, seorsim in aliqua urbis parte habitantes, deferent, & mutilos, quorumque parentes sunt minus egregii, ut purus servetur custodum ordo, abscondent. Iidem alendos etiam liberos curabunt, matresque aditu non prohibebunt, cauto tamen studiose, ne suum ulla partum agnoscat. Quo autem liberi gignantur meliores, certum quoque eorum procreationi tempus est praescribendum; ut mulieri a vigesimo ad quadragesimum, viro a trigesimo ad quinquagesimum quintum liceat annum civitati

liberos procreare: senioribus tam viris, quam mulieribus, coëundi, quicum lubuerit, potestas esto, exceptis matribus, ac filiabus; ne tamen ab iis generetur quidquam, caveatur, aut si quid fuerit editum in lucem, exponatur. Qui autem a parentibus, altero generandi aetatem iam egresso, fuerit genitus, spurius habeatur. Prodesse haec institura civitati, intelligitur hinc: divisiones, factiones, & discordiae in rebuspublicis oriuntur inde, quod alii alios pro alienis habent, nec iisdem gaudent, aut eadem cupiunt: in nostra vero civitate, custodes cum sint omnes cognatione inter se iuncti, nemoque proprii quidquam, aut domum habeat aut familiam; amore omnes mutuo, nullo mei tuique discrimine ad studia privatae utilitatis incensi, copulantur. Hoc ipso lites delentur omnes; rixarique, aut iniuriam alteri facere, cognatio, parentumque & seniorum reverentia quemque prohibebit. Bello denique hi custodes erunt optimi: mulieres enim pueroscque secum ducentes, spectaculoque rerum bellicarum & ministerio assuefacientes, a pueris ad militiam formabunt; ipsique, cum animal omne fortius pugnet prole praesente, strenuissime rem gerent. Sit praeterea custodibus nostris ea lex, ne in bello, Graeci cum sint, Graecorum agros depopulentur, urbes exscindant, homines in servitutem redigant. Sed, missis his legibus bellicis, redeundum ad caput alterum, fierique, quae constituimus, posse, demonstremus. Quod quamquam non omnino sit nostrum: pictor enim, qui pulcherrimam delineavit hominis formam, etsi ostendere, qui ei respondeat, possit neminem; bonus nihilominus pictor, praestantissimaeque habetur formae inventor, nostraque adeo respublica, quamquam reperiatur nuspiam, optima nihilominus erit: conabimur tamen praestare. Inventa autem causa, quare in civitatibus aliis nostro non vivatur modo, eamque apud nos exsulare demonstrato: facile exstare, qualem delineavimus, rempublicam posse, apparebit. Nisi aut philosophi regnent, aut reges philosophentur, nunquam a malis civitates liberabuntur, nec prius etiam, quam descripsimus, respublica

lucem adſpiciet. Quicunque vere aliquid amat, totum amat, quin ipſis rei vitiis in virtutes verſis, ut ſolent amatores nigros vocare aſpectu viriles, candidos, Deorum filios, delectatur; quicunque porro rem quandam amant, toti ſtudent generi, vini amantes omne vinum, laudis cupidi omnem laudem amplexantur. Qui philoſophiam ergo amant, eos totam amare par eſt, omnemque expetere ſapientiam ac doctrinam: philoſophus ergo iure dicitur, qui omnem cupit doctrinam, & ad diſcenda omnia libenter accedit. Inter hos veri nominis ſunt philoſophi, qui veritati tantum contemplandae, poſthabitis aliis minoris momenti doctrinis, ſtudent; nec res pulchras, veras, honeſtas, ſed pulchrum, verum, honeſtum ipſum, ab aliis omnibus ſeiunctum, cupiunt intueri: concreta enim iſta qui tantum conſiderat, abſtracta non valens aut nolens attingere, ſomnianti eſt ſimilis, cum non vera ipſa, ſed eorum modo ſimulacra, cernat. Hi ergo opinantur; illi contra ſciunt: qui enim cognoſcit, aliquid certe cognoſcit, adeoque id, quod eſt, cum, quod plane non eſt, nequeat cognoſci; ſcientia ergo refertur ad id tantum, quod eſt; inſcitia ad id, quod non eſt. Si quid igitur neque eſt, neque non eſt, in medio utriuſque ſitum; id nec ſcitur, nec ignoratur, ſed modo quodam inter ſcientiam & ignorantiam medio cognoſcitur. Is eſt autem opinio, ut quae a ſcientia pariter ac inſcitia diſtat, medium inter utramque locum occupans: quod enim eſt, cognoſcitur ſcientia, quod non eſt, ignoratur; ergo opinio, quae, teſte experientia, animis hominum ſaepiſſime ineſt, ſit inter ſcientiam & ignorantiam, oppoſita ſibi, media neceſſe eſt. Talis cum ſit opinionis natura; eſſe etiam in rerum natura, quae ipſi reſpondent, quaeque non niſi opinione percipiuntur, hinc facile intelligitur: iam res, quibus pulchri, boni, iuſti, tribuitur nomen, id eſt, concreta illa ſub ſenſum cadentia, videntur eaedem deformes etiam, malae, ac iniuſtae, nullique earum unum idemque praedicatum ſemper ac vere competit; ſunt ergo iſtae inter eſſe & non eſſe mediae. Hae itaque cum opinione tan-

tum cognoſcantur; qui circa eas verſatur, opinionis amans; qui contra rebus perpetuis & vere exiſtentibus, iuſto, bono, pulchro ipſi cognoſcendo dat operam, is philoſophus iure meritoque dicendus. Uberius in his, de materia, rerumque e materia factarum natura quid ſentiat, philoſophus exponit, quoque ſenſu haec a ſe eſſe ſimul & non eſſe dicantur, aperit. Eſſe ſola putat, quae ſunt perpetua, omniſque mutationis expertia: quod cum in res concretas ac e materia effictas non cadat; eſſe dici hae non poſſunt; nec etiam, quod non omnino non ſunt, non eſſe; nihil ergo reſtat, quam monſtrum illud opinionis, quo eſſe ſimul & non eſſe, dicuntur abſurdiſſime. Quae ſi ſtudioſius Plato examinaſſet, latere errorem in definitione ipſius eſſe, animadvertiſſet, notionemque ſuapte natura ad perpetua & firma non minus, quam mutabilia pertinentem, latius fuiſſe accipiendam, nec praeter rationem coarctandam: quod videns Ariſtoteles, eſſe actu diſtinguendo ab eſſe in potentia, has anguſtias evaſit, Platonemque ibi haerentem iure vituperavit. Praeter hoc, opinionem etiam ac ſcientiam Plato accipit aliter, ac per loquendi uſum debet accipi, quo ipſo in obſcuritates multas delabitur. Quam rectius recentiores dicunt cognitionem probabilem, opinionem vocat noſter, ſcientiae, id eſt, cognitioni per demonſtrationem partae, nullique obnoxiae mutationi, eam opponendo. In his tamen verborum ſignificationibus parum adhibet conſtantiae: paritur enim certitudo tum demonſtratione, tum experientia, adeoque res aeternae veritatis, quae demonſtrari ſolae poſſunt, ſolae ad ſcientiam perperam referuntur; omniaque, quae diſcimus experiundo, quaeque ſpectant res e materia factas, perperam ſub genere opinionis comprehenduntur. Quod attinet tandem ad feminarum, quam ſupra miris modis commendavit, communionem, ad cuſtodes ſolos pertinentem; de reliquis enim civitatis ordinibus nihil conſtituitur: multis ea magniſque videtur incommodis obnoxia. Praeterquam enim, quod certas plurimi uxores certoſque ſibi cupiunt eſſe liberos, quodque amor

omnis coniugalis felicitasque domestica periret funditus; infinitis haec communio iurgiis, rixis, odiis, morumque corruptionibus locum esset datura.

LIBER SEXTUS.

PHILOSOPHUM igitur cum demonstratum sit esse eum, qui, quod semper eodem sese modo habet, assequi nititur; civitatis custodiam philosophis esse tradendam, beatasque fore respublicas, si praesint philosophi, prono hinc iam alveo fluit. Legum enim & civitatis custodia iure committitur ei, qui veris rerum est notionibus imbutus, quique facienda quae sunt, aut non facienda, habet perspectum, qualis dubio procul philosophus est solus. Philosophi praeterea, in contemplatione eius, quod vere est, versantes, omne verum summo persequentes studio, vehementissimeque expetentes, ab errore omni ac mendacio absunt longissime: iidem, cum cupiditates, quo sunt uni magis intentae, ad reliqua sint remissiores, cumque unam expetant veritatem; voluptatibus minime sunt dediti, adeoque temperantes, & ab avaritia aversi; nec timiditas porro, animus abiectus, aut superbia illis ulla potest inesse: qui enim, quodcunque in rebus divinis humanisque inest veri, assidue contemplatur, omnemque rerum universitatem complectitur animo, vitam hanc nostram, nostrasque res parvi facit, nec vehementer ab iis ullo modo movetur: hinc iustos etiam esse veros philosophos, cum nulla, ob quam iniusti sint, causa exstet, adeoque virtutibus cunctis cum sint ornati, solos ad rerumpublicarum administrationem esse idoneos, sequitur. Qui, ut haec refellat, ad experientiam provocans, philosophos esse absurdos, & ad gerendas respublicas ineptos, dixerit, ei occurrendum sic: solent homines e sua

quisque utilitate aut voluptate cuncta aestimare; quibus cum philosophi minime obsecundent aut blandiantur, veram semper reipublicae utilitatem & commune bonum respicientes, a vulgo imperito imperitiae ipsi accusantur, eodem prorsus modo, quo nautae laudarent gubernatorem stultum, sed omnia illis indulgentem, vituperarent sapientem, sed severum, ac utilitatis communis studiosum. Mirum adeo non est, philosophos ad gubernacula reipublicae non admoveri: mirabilius foret, si adhiberentur. Praeterea, ut medicus non accedit ad aegrotantium fores, nec sapiens divitum pulsat ostia; ita nec qui maxime est ad gubernandam rempublicam idoneus, imperium ab imperitis mendicat: quo fit, ut inepti habeantur philosophi ad gubernandum. Quae omnia, cum rari sint philosophi veri, plurimique, aut natura, aut aliis ex causis corrupti, sint mali ac inepti, non sunt miranda. Animi enim indoles, quae verum facit philosophum, qualem supra descripsimus, per se est rara; raroque hanc ob causam nascitur, qui philosophiae sit idoneus. Si qui autem nascuntur tales, multis modis corrumpuntur: quae enim iuncta faciunt philosophum, ea singula ad perniciem sunt praecipitia. Quemadmodum planta omnis, soli, tempestatis, & alimenti corrumpitur vitio: ita animus per se generosus, bona destitutus educatione, depravatur; quoque fuerit generosior, eo corrumpitur magis, ut cui plus ineat roboris, quo ad mala feratur. Plurima sunt autem, quae iuvenes corrumpunt: principio, popularis ille plausus, cum strepitu ingenti in concionibus iuvenum accidens auribus, adeo eas implet, ut nullam deinde rem aliam queant admittere, posthabitoque honesto omni, ad eum capiendum omni studio ferantur, ac nihil iudicent bonum & honestum, nisi quod probaverit populus. Sophistae deinde privatim, populi modo favorem spectare, & quod placeat populo facere, iuvenes docent; quae sola ipsorum est sapientia, verum bonumque insuper habentium. His ex causis corrumpi iuvenes, plurimosque fieri malos, necesse est, ut divina tantum ope, ac providentia

numinis singulari, pauci modo ab hac peste serventur immunes. Vulgus enim, quod attingere verum nullo potest modo, a philosophia est longe remotum, pravisque opinionibus omnes corrumpit, quibus praeeuntibus veros etiam philosophos vituperat, & reipublicae gerendae putat ineptos. Veri igitur nominis philosophi sunt oppido pauci, & hi ipsi, suo delectati studio, multitudinis praeterea cernentes insaniam, seque omni prorsus destitui adiutore, nec sustinentes aut iniuste cum multitudine agere, aut ei repugnando in perniciem ruere, sibimetipsis & aliis fiunt inutiles. Gravissime his omnibus philosophiam & philosophos Plato defendit; nec tamen, quae vult, omnia assequitur. Esse philosophos rebusputblicis administrandis solos idoneos, si recte accipiatur, vere omnino dicitur: nec minus etiam vere in philosophis, quod sunt negotiis gerendis parum apti, culpatur; quam vulgi reprehensionem ab iis omnem removere perperam Plato studet. Quam hic intelligit nostrer philosophiam, veri, id est, veritatum aeternarum cognitionem, scientiamque per demonstrationem, seu, ut nostri dicunt, a priori partam, eius exiguus est admodum in administranda republica usus, ubi secundum probabilitatem plurima debent constitui; eademque scientia, quatenus in contemplandis metaphysicis versatur notionibus, a rebus agendis, negotiorumque turba animum plane avocat. Homines igitur contemplationi modo dediti, quamvis rebus studeant in vita communi obviis, & iusti, iniusti, boni honestique meditentur naturam, tamen plurimum in vita peccant communi: ea enim est animae nostrae indoles ac natura, ut cuivis rei agendae peculiaris quidam sit adhibendus habitus, consuetudine & usu partus, quo qui destituitur, etsi optime quae sunt agenda cernit, in ipsa tamen actione peccat saepissime. Alia ergo, ob quam sunt philosophi negotiis civilibus parum apti, causa erat Platoni afferenda; nec culpa omnis philosophiae ignaris, vulgoque imperito tribuenda, ut errare simul in ea reprehensione omnes contenderet. Neque propterea minus tamen verum

est, maximam praebere in rebusp̃ublicis rite administrandis philosophiam utilitatem, eam nempe, quae circa ius, & civitatum versatur naturam: in omni enim re efficienda, initiorum scientifica, ut nostri solent philosophi loqui, cognitio plurimum valet; quia nec ipsa rerum abstrusissimarum indagatio, & studia metaphysica, cum facultatem habitumque res difficillimas & maxime perplexas perspiciendi, & e rationum contrariarum labyrintho facile sese expediendi animo parent, sunt prorsus spernenda. His omnibus perpensis, ita videtur lis dirimenda: philosophi, si praeter ea, quae demonstrari a priori queunt, norint etiam quomodo soleant plerumque res cadere, quisque sit rerum humanarum cursus, si huic scientiae adiunxerint exercitationem in gerendis negotiis, nec prorsus sese dederint contemplationi; sunt rebusp̃ublicis administrandis maxime idonei, iique quoties praefuerint civitatibus, sunt eae beatissimae.

Est ergo civitatum rectoribus philosophandum, sed alio longe, quam nunc quidem fieri solet, modo: nostri enim iuvenes obiter tantum attingunt philosophiam, brevique, ad maiora properantes, relinquunt: custodibus contra reipublicae nostrae ab adolescentia commendabimus philosophiam, nunquam deinde negligendam, sed, auctis corporis & animi viribus, maiori semper studio persequendam. Quod simul contigerit, & philosophis necessitas quaedam, in hac vel alia forte mundi aetate, tractandi rempublicam fuerit imposita; tum demum civitas erit beatissima, nullamque aliam, quam dedimus nostrae, formam accipiet. Hoc esse difficile admodum, non negatur; at fieri nullo modo posse, nequit demonstrari. Sic ergo, quod proponebatur antea, est ratione confirmatum, quam delineavimus civitatem, esse utique posse, sublatis, quae eius institutioni obstant, causis: quas posse removeri, hinc satis apparet; cum enim, quod optimum est, studeat philosophus efficere, sitque supra iam concessum, praeclarissimam esse hanc nostrae civitatis formam, nullam profecto

aliam philosophi, simul ad gubernacula rerumpublicarum fuerint admoti, constituent. In his veri multum inest: fore enim, ut civitates, si sapiant magis, qui eis praesunt, & si ad veram magis & perpetuam, quam praesentem, & ad communem potius, quam suam respiciant utilitatem, perpendantque, si quam forte sibi pariunt utilitatem per reipublicae damnum & legum neglectum, posteris tamen se maxime obesse, melius gubernentur, est omnino certissimum. Qua in re etsi aliquantulum proficiatur, multaque, quae veteres premebant, a nostris absint rebuspublicis; vix tamen hac mundi aetate & constitutione omnia iri sublatum, licet sperare; ideoque sapientissime Plato in aliam universi formam suam reiecit rempublicam: de qua tamen, an ibi locum sit habitura, vehementer est dubitandum, cum plurima eam, ne sit optima, impediant.

Posquam, quales debeant esse qui praesint civitati, aperuit, ad tradenda, quomodo fiant tales, educationis ope & institutionis, praecepta, quorum nonnulla iam attulit, regreditur. Hi, cum sint viri praestantissimi omnium, praestantissima sunt etiam docendi: nulla autem res scientiae ipsius boni praestat; quid igitur sit bonum, quod voluptatem alii, alii prudentiam censent, perperam utrique, cum voluptates quaedam sint malae, & prudentia intelligi sine bono non possit, iam inquiramus. Est autem quaestio haec plena adeo obscuritatis, ut ipsius boni loco, quod simillimum est ei, ab eoque procreatum, sufficere nobis debeat. Praeter bona, pulchra, honesta, quae sensibus percipiuntur, quaeque materiam habent, sunt alia materiae expertia, bonum, honestum, pulchrum ipsum, quae ideas consuevimus vocare; ac horum quidem illa sensibus, haec mente sola cernuntur. Inter sensus a reliquis omnibus hoc maxime visus differt, quod auditus, tactus, ceteri, nullo indigent ad res percipiendas medio; visus absque lumine nihil cernit; quod, lumen cum sit res praestantissima, universi conditor, hunc sensum vinculo praeclarissimo cum rebus ab eo cernendis copulavit, co-

que ipso aliis reddidit praestantiorem. Luminis autem auctor inter Deos solus est Sol, cuius beneficio cuncta cernimus; ad quem ita sese habet visus, ut nec ipse, nec cui inest oculus, sit sol, sit tamen oculus omnium sensus organorum soli simillimus, ab eoque vim cernendi sibi transfusam accipiat, & sol, eo quod causa est visus, ab oculo cernatur. Hunc ego boni voco filium, quem bonum sibi procreavit simílem, quique ad sensum cernendi, & ea, quae cernuntur, in hac, quae oculis percipitur, regione, sese habet, ut bonum ipsum ad mentem, quaeque mente cernuntur, in illa, quae menti patet soli, regione. Ut enim oculi, quoties convertuntur ad ea, quae non splendore diei, sed noctis iubare colluſtrantur, haud accurate cernunt; sole contra omnia illuminante, optime vident: ita mens, quoties figitur in ea, quae illustrat veritas, & quod vere est, cernit ea & cognoscit; quoties vero dirigitur ad ea, quibus tenebrae sunt admixtae, & quae obnoxia sunt mutationi, opinatur, & caecutit, ac si intelligentia plane careret. Hoc ergo, quod veritatem impertit rebus cognitis, cognoscentique vim impertit cognoscendi, est idea boni, scientiae & veritatis causa. Cum itaque adeo praeclara sint cognitio & veritas: longe his praestantior earum causa est existimanda; & quemadmodum lux & visus soli sunt affinia, ita veritas & scientia bono sunt similia, non bonum ipsum; ut porro rebus sub sensum cadentibus sol non id modo praebet, ut cerni queant, sed alimentum etiam ac augmentum, easque generat, ita bonum rebus cunctis, non ut cognoscantur tantum, sed ut sint etiam, largitur, quae sunt, potentia & praestantia superans, eorumque genere non comprehensum. Bonum, de quo hic loquitur Plato, nullum intelligit aliud, quam summum Deum, mundi conditorem, bonorum omnium causam, quique alios etiam Deos minores, de quibus infra differendi erit locus, in suam quemque formam redegit. Hunc rebus cunctis, ut sint, dicit largitum, alio, quam nos, sensu haec accipiens, non de creatione, (materiam enim

aeternam Deus non creavit) sed de forma ac ordine, quibus eas ornavit: est enim Deus Platoni mundi tantum conditor, non creator. Bonum autem ipsum, ab omni materiae concretione purum, vocat eum, sensu nonnihil a vulgari vocis acceptione diverso, perfectum, omnique realitatis, ut loquar cum recentioribus, genere instructum, ac benignum. Hinc igitur apparet, vocis eum deceptum ambiguitate, aliud ab eo, quod quaerebatur, respondere: civitatis enim principes boni debere scientia esse praeditos demonstraverat, id est, eius, quod ad vitam pertinet beatam, ut cives ac civitas reddantur beati; quod boni genus aliud est longe, quam natura perfectissima. Eundem tamen errorem, ex causa eadem errarunt post Platonem, non Alexandrini modo, sed Arabes etiam, Scholastici, Theosophi, immo qui ab horum placitis ceteroquin absunt longissime, recentiores haud pauci, bonum, quod quaeritur in philosophia morum, cum ente perfectissimo confundentes, indeque summam hominum beatitudinem possessione boni, id est, ente perfectissimo fruendo, parari concludentes: cui enuntiationi sensus plane nullus ineſt; Deo enim qui queant frui in hac vita homunciones, eiusque delectari intuitione, quem sola norunt mente, intelligi plane nequit. Quod si demus etiam his, Deum mentibus nostris illabendo nos beare: solum tamen hoc beatos nequit reddere, quibus corpus est curandum, multaque ad tuendum corpus, valetudinem, parandum victum, & quae sunt his affinia, sunt agenda. Hinc factum, ut, qui vitam his praeceptis accommodarunt, otiosi, sibi pariter ac reipublicae generique humano inutiles evaserint, vitamque elegerint solitariam, monasticam, contemplativam; quae si invaleret, perverti humana omnia, officiorumque cunctorum sequi perturbationem, esset necesse. Hoc bonum praeterea e genere eorum, quae sunt, eximit Plato, ob eam maxime causam, quod ob summam, qua ornatur, praestantiam, nulli creatarum rerum generi potest accenseri, debetque adeo su-

per omnia alia evehi. In quo quantopere erraverit, satis apparet vel inde, quod nihil de eo nec dici potest, nec cogitari, si removeamus ab eo, quae rebus creatis tribuuntur; nullae enim aliae animis nostris insunt notiones, praeter eas, quas a rebus finitis hausimus. Secuti tamen sunt eum & in hoc Alexandrini, & quos saepius iam horum insistere vestigiis indicavi: inter quos cum Scholastici, ulterius haec exsequendo, eo tandem devenirent, ut de Deo dici nihil nec cogitari posse affirmarent, nihilque ei praeter nomen inane relinquerent; moniti recentiores pedem retulerunt, adhibitoque examine accuratiore hanc theologiam purgarunt. Haec omnia primus, ni fallor, Plato docuit, magnamque, erroribus ipsis, theologiae attulit utilitatem, cum de Deo ante eum philosophi, Socrate ipso non excepto, haud satis magnifice sentirent, nimiumque eum hominibus affinem fingerent. Quae denique de similitudine, quae Deum inter & solem intercedit, ab eo afferuntur, nullo satis idoneo fulciuntur argumento, cum, demta comparatione, restet nihil, quo colluστrari a Deo regionem intelligibilem demonstretur. Novum est etiam hoc, & Platoni proprium, reliquae tamen eius disciplinae consentaneum. Cum enim ideas sibi persuaderet, esse naturas ab omni materia seiunctas, & ob perpetuitatem, puritatem, immotamque indolem, divinas; cum, earum ope cuncta nos cognoscere, cerneret: non poterat non in eam adduci sententiam, Deum mentes nostras illuminare, & esse eum in mundo intelligibili idem, quod sol in visibili. Hoc recentiores etiam Platonici, eorumque sequaces retinuerunt, nos, intuendo Deum ecstaseos ope, omnia intelligere, seu in Deo omnia nos videre, docendo. Quem sensum etsi ferant Platonis verba, necessario tamen non afferunt; immo sunt, quae, ut aliter sentiam, suadent. Ideas Plato animis volebat esse insitas, sed diuturnitate temporis, & corporis in animam vi offuscatas, meditatione & studio in animum revocandas; a Deo itaque ipso eas ob oculos nobis sisti, nisi vellet secum pugnare, vix licebat

ei existimare. Eaedem tamen cum insint animae, cumque animae quaedam pars sit divina; in hac eas latere, iterumque conspici, ubi a sensibus recedentes, ad id, quod in animis nostris est divinum, accedimus, sibi persuadebat. Haec ergo divina animae pars, seu, ut loquuntur Stoici, qui in nobis est Deus, lumine suo animam collustrat; nec opus est intellectu agente, aut Dei ipsius in animam efficientia. Quod si, ut philosophiae Platonis videtur ratio suadere, haec Plato sensit; alio longe, quam ab eius factum est successoribus, sensu Deum mentium lumen dicit. Cuius rei vestigia quaedam apud Pythagoreos iam cernuntur, sed temporis diuturnitate, & monumentorum huius scholae interitu, admodum obscurata: de similitudine enim Dei, philosophiae beneficio obtinenda, de accessu ad Deum, multa Pythagorei loquebantur, hausta forte e Graecorum, aut Aegyptiorum mysteriis, quorum finis commercium cum Diis ac Daemonibus videtur fuisse.

Expositа boni natura, scientiaeque ex eius lumine hauriendae, quae sunt scientiae affinia, opinionem probabilitatemque hinc magis explanat. Quae sunt in regione sensibus obvia, in duas commode secari partes possunt: quarum altera res ipsas, animalia nempe, plantas, & arte facta; altera harum imagines, umbras v. g. quaeque in aqua apparent ac speculis, comprehendit. Eodem modo dividantur, quae regio mente percipienda complectitur, ut alterum eorum genus admixtas habeat formas sub sensum cadentes, unde ideae ipsae intelligantur; alterum, abiecto omni, quod incurrit in sensus, ideis utatur puris, ex quibus verum eliciatur: cuius rei manifestissimum geometria dat documentum; geometrae enim, ut trianguli, quadrati, aliarumque figurarum indagent naturam, figuras pingunt, quibus ad demonstrandum utuntur; pictas tamen eas perspicuitatis tantum gratia adhibent, demonstrationesque non ad has, sed ad triangulum, aut quadratum, ab omni materia secretum, pertinere affirmant. Habent sese haec genera ad se invicem, ut imagines rerum ad res ipsas

in regione sensibus percipienda; & quatuor his generibus totidem respondent animi operationes: ideae enim purae intellectu (νοήσει); earum imagines sub sensum cadentes, ratiocinio (διανοίᾳ); res sub sensum cadentes, fide (πίστει); harum denique imagines verisimilitudine, seu coniectura (εἰκασίᾳ), percipiuntur. Hae definitiones ab accuratis & perspicuis absunt longissime: etsi enim generi cuique certus quidam percipiendi modus assignetur; is tamen qualis sit, & quomodo perficiatur, quique animi adhibeantur actus, nuspiam definitur. Supplenda tamen haec sumserunt Platonici iuniores, ac principio quidem νόησιν dixerunt ideas absque ullo contemplari ratiocinio, & esse eandem, quam nostri dicunt cognitionem intuitivam, cuius ope principia scientiarum abstracta, aliaque per se evidentia, solo mentis intuitu cognoscuntur; deinde cum parum hoc videretur, & huic intuitioni simile quid in ecstasibus reperiretur, id quoque ad νόησιν pertarunt referendum, ut is ea esset animi status, quo, cessantibus sensibus, & imaginatione, absque discursu ullo notiones contemplamur, nudoque earum aspectu omnia perspicimus. Horum nihil haec Platonis verba dicunt; quin haec attendentes, intellectionem esse idearum ab omnibus, quae incurrunt in sensus, quaeque imaginationis etiam ope percipiuntur, abstractarum contemplationem, non adiecto, fiatne haec per intuitionem simplicem, an ratiocinii ope, verbo, quod post Cartesium intellectum purum (esprit pur) nonnulli vocarunt, facile nobis persuademus. Hinc, quid sibi velint ratiocinium, fides, & coniectura, praeterea etiam, non ex naturae diversitate, sed obiectorum potius conditione, has Platonem animi operationes definire, intelligitur: siquidem ratiocinium ab intellectione nulla distinguitur re alia, quam imaginum usu; ab intellectione fides, nullo alio, quam quod rebus sub sensum cadentibus haec occupatur: adeoque ab obiectis modo haec petitur distinctio, quae a subiectis potius, id est, ab operationum animi circa obiecta diversitate, fuisset desumenda. Esse tamen in iis discriminis aliquid subiectivi,

Plato innuit; non idem omnibus parari cognitionis genus; sed diversos certitudinis gradus inde nasci, ut intellectio summum, reliqua semper pariant minorem, adiiciens.

LIBER SEPTIMUS.

ABSOLUTO, quem abruperat modo, de cognitionis generibus sermone, ad rationem, qua educandi sunt civitatis principes, quaque eorum formandi animi, unde huc diverterat, philosophus noster redit. Quam egregia sint ac praeclara, quae intelligendo discimus, haec docet similitudo: finge animo speluncam obscuram, in quam ab una tantum parte lux penetret, hominesque alligatos, ut circumagere caput nequeant, sed eam tantum respiciant speluncae partem, quae luce collustratur; finge porro, supra hos esse viam, mediam inter vinctos & lucem, qua ferantur ab hominibus partim silentibus, partim loquentibus, statuae, animalium, aliarumque rerum simulacra, quorum umbrae oppositae specus parti incidant, qualia solent praestigiatores spectacula exhibere. Hi, etsi praeter umbras videant nihil, videre tamen sese res ipsas sibi persuadebunt. Quod si, solutis vinculis, horum aliquem cogamus respicere ad lucem, verasque res intueri; utrum umbrae, an homines ipsi, verae sint res, dubitabit. Quem autem horum extraxerimus in lucem claram, prae oculorum dolore, ferendae eius impotens, nihil principio cernet, deinde paulatim ei assuescens, noctu, post etiam interdiu contueri cuncta discet, illamque quoties in memoriam revocat vitam, miseram, hanc beatam iudicabit: qui si in illum postea locum descenderet, vehementer umbras ibi modo apparere contendens, ab aliis rideretur, nec ullo iis modo persuaderet, vitam sese miseram degere, omnique ratione, ut hinc evaderent, esse contendendum. Haec est nostrae vitae imago:

quamdiu ſenſibus utimur ſolis, umbras tantum rerum cernimus; quoties vero in ſuperiorem illum intelligibilem animae locum aſcendimus, res ipſas intuemur. Quo qui ſemel pervenerunt, huc redire, humanaque tractare recuſant: nihil adeo mirum, a contemplationibus divinis ad humana redeuntes mala, inepte multa agere, valdeque rideri, cum prius, quam noſtris aſſueſcant tenebris, caecutiant. Elegans profecto, veritatique prorſus congruens ſimilitudo! Senſus ſaepe nos fallere, veramque rerum naturam non aperire veriſſime, ſequens antiquiores, Plato docet: quorum etſi rationes non ſatis eſſent idoneae, utpote maximam partem inde ſumtae, quod, quae vera eſſe ſibi per ratiocinia demonſtrabant, ſenſuum repugnabant teſtimoniis, ideoque eorum erat infringenda auctoritas; cum haec tamen ipſa accuratum rationis non ſuſtinerent examen, ſitque eorum falſitas deinde agnita, ex falſo tamen, ut fit, verum per accidens concludebant. In diiudicandis philoſophorum opinionibus ſemper hoc obverſari animo debet, ne propter veras concluſiones nimium tribuamus antiquis, ac recentiores, eaſdem concluſiones e veris derivantes initiis, iniuria afficiamus: quod fieri ſaepiſſime ſolet ab iis, qui haerentes in cortice, omnia iam eſſe ab antiquis dicta, nihil inveniri novi, clamant. Ceterum hinc etiam, quod ſupra monui, confirmatur, Platoni intellectionem non eſſe Dei ipſius contemplationem, luminiſque a Deo manantis in animum illapſum, ſed converſionem potius ad divinas animae inſitas notiones, quas ideas philoſophus conſuevit vocare.

Hoc ipſum, quae iam ſequuntur erudiendi principes civitatis praecepta, magis declarant. Falſam eſſe opinionem eorum hinc ſequitur, qui diſciplinae beneficio, animae prorſus vacuae putant ſcientiam infundi: eſt enim, ut ex dictis claret, diſciplina ars quaedam animum ad ea, quae mente cernuntur, quaeque ipſi inſunt menti, dirigendi. Haec, cum nec plane rudes ſcientiarum, nec qui ſoli incumbunt meditationi, ad gubernandam rempublicam ſint

idonei, adhibenda iis, qui ad publica gerenda sunt negotia destinati, ut ascendant ad contemplandum verum, indeque rursus ad negotia humana descendant. Atque ut ascendant, artibus quibusdam ac scientiis praeparandus est animus: in quibus primo loco numeratur arithmetica, quae praeterquam quod militi ac duci in instruendis copiis est necessaria, animum etiam ad contemplandum verum erigit. Quae enim in sensus incurrunt ita, ut sola per se sentiantur, aut semel percepta satis videantur manifesta, statim satis manifesta habentur; quae vero contrarii aliquid continent, ut duo simul opposita sentiantur in eodem, animum movent ad inquirendum, & verum contemplandum: sic quoties in uno eodemque duritiem simul & mollitiem, levitatem sentimus & gravitatem; miramur, &, qui id fiat, quaerimus. Hoc autem numero inest omni: quod enim unum videtur, idem alia ratione multa simul apparet; quo fit, ut animus ad quaerendam unius ipsius naturam excitetur. Accedit, quod qui in numeris contemplandis sese exercuerunt, in aliis quoque rebus cunctis redduntur acuti. In egregium hic Plato locum incidit, quem ne nostri quidem satis tractarunt, de causis, quae animum excitant ad meditandum, iudiciumque rebus adhibendum: esse enim in quavis re nobis oblata, quae hanc potius, quam aliam, animae excitant vim, quaeque, quare aut iudicio utamur, aut phantasia, aut memoria, efficiunt, cum singula causam, unde proficiscuntur, agnoscant, & experientia, moveri ab alio aliam animae vim, doceat, extra omnem est positum dubitationem: id quale sit, quaeri sane meretur, magna est enim eius in formandis hominum animis utilitas; quod animadvertens primus quaerit Plato, nec ex instituto tamen, & ut ad reliquas intellectus operationes respiceret. Hunc nuper demum sequens Tetens V. Cl. plura lectuque dignissima de quaestione eadem scripsit, quae, ut alias eius praeclarissimas meditationes, negligi, vehementer est dolendum.

Post arithmeticam exercendi sunt futuri civitatis principes in geometria, cuius, ut in rebus bellicis, ita & in ani-

mo ad contemplandum verum erigendo, ſumma eſt utilitas. Verſatur namque geometria in eo, quod ſemper eſt eodem modo, quo ipſo magnum affert ad perſpiciendam veritatem adiumentum. Geometriae ſuccedat ſolidorum contemplatio, quam ſtereometriam hodie vocant, & tum temporis ſatis nondum excultam Plato queritur: hanc excipiat aſtronomia, quae ſurſum maxime animum erigit, ut, cum tantus tantae aſtrorum multitudini inſit ordo, tamque conſtans motus, eo magis haec in rebus veris, ſenſibuſque non manifeſtis, id eſt, divinis, ineſſe colligamus. Diſcenda eſt etiam muſica, non quae aurium probatur iudicio, ſoniſque harmonicis ſenſus delectat, ſed quae numerorum inveſtigat concentus, id eſt, muſica mathematica. Haec omnia ad animum praeparandum pertinent: iam ad ipſam rerum verarum accedatur contemplationem; ſcientiae enim hae omnes, etſi circa res mutationi non obnoxias verſentur, cognitionem tamen accuratam non pariunt, nec verum ipſum attingunt, cum ſenſibus in iis ſit locus, mentemque ab omni, quod incurrit in ſenſus, penitus non abſtrahant. Inter ſcientias autem, quae ad bonum ipſum attollunt animum, dialectica praecipuum tenet locum, ut quae recte de rebus ſenſui non obviis differere, id eſt, recte docet ratiocinari. Praeter dialecticam nulla a Platone ſcientia, qua ad veri bonique perveniamus cognitionem, alia proponitur, cum ſuperet tamen ipſa de rebus ſub intellectum cadentibus ſcientia, quam theoreticam ſupra philoſophiam ipſe vocavit. Hanc ideo forte omiſit, quod, praeparato ſatis animo, inveniri facile poteſt, quodque principes per ſe ipſos, nemine praeeunte, dialectices ope, progredi ad veri contemplationem cupit. Quae autem differuntur hic de formando eorum, qui reipublicae ſunt praefuturi, animo, pertinent quoque ad formandum philoſophi animum, poſſuntque adeo pro inſtitutionibus etiam philoſophicis, ſenſu, quo oratorias inſtitutiones ſcripſit Quinctilianus, haberi. Sapienter omnia delegiſſe Plato dicendus, etſi nonnulla, idearum praeiudicio praepeditus,

magni momenti omiserit. Ideas enim rerum cum animis iam inesse nostris, solaque modo nos indigere mentis ad eas cernendas praeparatione, sibi persuasisset; nihil praeter haec requiri, ut philosophus quis evadat, recte iudicabat. Quod cum contra sese habeat, sintque rerum notiones e rebus sensui obiectis abstrahendae; multarum quoque rerum sub sensus cadentium, & experientiarum philosophus indiget notitia; & praeter res gestas, homines etiam nosse eum oportet, hominumque, & philosophorum praecipue, de rebus ad philosophiam pertinentibus opiniones, quarum ope notiones redduntur accuratiores, magisque perspicue a se invicem distinguuntur. Hanc enim insignem philosophiae historia accurate percepta affert utilitatem, ut, quare & quomodo alii erraverint, investigantes, ab eo caveamus nobis, & accuratiores adipiscamur notiones. Ceterum in constituenda hac de praeparando ad philosophiam animo norma, Pythagorei praeiverunt nostro, quos de discenda prius geometria praecepisse nonnulla constat: haec ulterius tamen persecutus noster, & accuratius exsecutus videtur.

Cum autem ad discendum senes non amplius sint apti; a pueris animi his sunt disciplinis imbuendi, & quidem, quas ante dialecticam posuimus, disciplinae pueris statim tradendae. In quo a vi omni ac coactione abstinendum; nihil enim, quod docetur vi, animo inhaeret: sed ludendo pueri sunt erudiendi, quo ipso, ut perspicias, quo cuiusque tendat ingenium, consequeris. Ubi vigesimum pueri annum attigerint, sparsim ante tradita, in disciplinae formam sunt redigenda, iuvenesque, ut nexum rerum, earumque inter se cognationem, perspiciant, manu ducendi. Hinc simul, quisnam ad discendam dialecticam maxime sit idoneus, apparebit: eoque exercitio ad trigesimum usque annum continuato, seligendi sunt acutissimi, quique plurimum valent ratione. Hi in dialecticis exerceantur, ut quinam, remotis sensibus, ad verum bonumque contemplandum maxime sint apti, intelligatur. Summopere autem in hac exercita-

tione cavendum, ne aut disputandi nimia cupiditas in animis iuvenum surgat, aut disputando assidue, refutantes & refutati, nihil prorsus esse veri ac certi sibi persuadeant, omnemque quaerendi veri cupiditatem abiiciant. Impensis huic studio annis quinque, iuvenes bellicis sunt negotiis adhibendi, annoque demum quinquagesimo, qui abstrahi sese a recto vitae tramite non sunt passi, ad boni ipsius contemplationem manu ducendi; unde ad civitatis tandem gubernacula, suo quisque ordine, admovendi. Quae de viris hucusque sunt dicta, de feminis quoque, quas, perinde ac viros, negotiis debere publicis adhiberi diximus, sunt intelligenda.

LIBER OCTAVUS.

POSTQUAM superiori dialogo orationem, qua, posse talem rempublicam esse, contra probabilem satis obiectionem demonstravit, ad finem perduxit: redit nunc, unde erat digressus, ad probandum, hanc solam esse rectam reipublicae constitutionem; idque intelligi inde, quod reliquae omnes rerumpublicarum formae ab hac aberrant, ex eiusque oriuntur corruptione. Quae argumentatio, si ex una tantum civitatis forma corrupta oriri reliquae possent, nec multi essent, quo alia vertitur in aliam respublica, modi, efficeret omnino, quod vult philosophus: id enim, quo corrupto exsistunt reliqua, esse optimum, solumque rectum, in oculos facile incurrit. Recensentur quidem reliquarum rerumpublicarum vitia, ut, malas esse eas ac corruptas, facile appareat: sed decipi se ab eo patitur philosophus, quod, vitia haec esse hominum, non civitatis formarum, haud attendit; quam adeo delineavit ipse, respublica, cum homines in ea fingantur optimi, legibusque per omnia facientes satis, nullo negotio apparet optima. Iam in comparandis

inter se rerumpublicarum formis, homines nec boni admodum, nec mali, sunt sumendi; & cum ad mala facile omnes ferantur, quae corrumpi facillime potest respublica, non in qua plurimi sunt mali, pessima est habenda. Perperam igitur haec civitatum institutur comparatio, nec quod vult philosophus, praestantissimam esse suam, efficitur. Nihilo tamen secius multa insunt huic dialogo egregie observata, & quae accidere rebuspublicis solent graphice adeo simul ac vere delineata, ut inter optimos numerari, meo quidem iudicio, mereatur: priores enim quae fieri possunt, hic quae fiunt, lectoribus exhibet.

Quatuor sunt rerumpublicarum genera, timocratia, oligarchia, democratia, monarchia, praeter eam, quam nos modo constituimus, aristocratiam: quae cum hominum quoque singulorum mores fingant, sintque totidem praecipua etiam hominum genera, e moribus publicis derivabimus mores privatos; & hac ratione demum, quaenam sit iustitiae, unde tota haec fluxit disputatio, vis, aperiemus. Parum esse in his rerumpublicarum generibus definiendis accuratum Platonem, supra iam monui; siquidem, qui regulas dividendi sequuntur, tria tantum genera summa, sub quibus comprehenduntur reliqua, faciunt. Omnis respublica cum, mutato, penes quem summum est imperium, mutetur; qua ratione aristocratia nostra transeat in timocratiam facile apparet. Quamquam enim difficile sit, rempublicam ita ordinatam mutari; tamen, cum genitum omne corruptioni sit obnoxium, esse perpetua nequit. Sunt autem suae cuique rei mutationum periodi, numeris certis definitae, quas afferre perniciem rebus publicis necesse est; iique numeri hanc vim habent inde, quod alius alio est praestantior & divinior, quoque sunt res ipsae praestantiores, eo quoque divinior illis numerus est assignandus. Numeros deinde hos, quadratos alios, alios triangulares, & cubicos Plato recenset; quorum quisque, quo annorum spatio mutari quamvis rempublicam sit necesse, indicat. Haec e Pythagoreorum disciplina Plato hausit, quos magnam numeris vim tribuisse

conſtat: Pythagorei, opiniones vulgi, praeiudiciis occaecati, tranſtulerunt in philoſophiam, eoque ipſo monſtroſae illius, a ſenſu communi ac vero prorſus alienae Cabbaliſtarum diſciplinae iecerunt fundamenta. Habet autem ſeſe res, niſi me omnia fallunt, ita: rudes ac barbari homines, cum ad rerum coepiſſent naturam, quaeque evenire quotidie ſolent, animum attendere, certis dierum, menſium, annorum periodis abſolvi plurima, obſervarunt; quorum cum ignorarent cauſas, inhaerentes ſuperficiei, numeris ipſis quandam ineſſe vim ſibi perſuaſerunt. Hinc eſt, quod apud plurimas, diſſitiſſimaſque a ſe invicem gentes multae circa numeros opiniones ſuperſtitioſae inveniuntur; quodque ſacris praecipue & religionibus numeri quidam ubique fere, tanquam Diis prae ceteris grati, adhibentur. Hanc in Graecia etiam olim invaluiſſe perſuaſionem, locuples eſt Heſiodus teſtis: in Romana antiquitate idem licet obſervare, vulguſque noſtrum eidem valde hodieque eſt addictum. Opiniones autem eiuſmodi, quod maximae ſcribentium parti viderentur leves, oblivioni, quod dolendum, ſunt traditae, nec inquiſitione ulla habitae dignae: ſi enim plures literis eſſent conſignatae ab antiquis, & ſi recentiores, qui gentium peregrinarum ac barbararum res ſcripſerunt, eas non neglexiſſent; de origine earum & cauſis colligi multa, praecipue autem, perſpecta, quae inter eas intercedit, pugna, vanitas poſſet demonſtrari. Has itaque, cum tanta pollerent auctoritate, ſpernere Pythagorei non auſi, in philoſophiam intulerunt, & arithmeticae ac geometriae vehementer ſtudentes, nova hinc eis ſubſidia, novaque augmenta quaeſiverunt. Quae enim de numerorum poteſtate vulgus abſque ratione idonea ſibi perſuaſerat, eorum hi ex indole numerorum, quadratorum, cuborum, triangulorum natura rationem ſtuduerunt reddere, eo praeſtantiorem ac validiorem quemque iudicantes numerum, quo ſit perfectior ac pulchrior in geometricis ei reſpondens figura, quoque ſint validiores, ex quibus quisque componitur, partes. Pythagoreorum tum auctoritate, tum inſita

quadam ad superstitiones & mira omnia proclivitate, seductus Plato, haec auxit: quae sequentes eum Platonici iuniores absurdis multis locupletarunt. Nulli tamen in hoc stoliditatis genere palmam praeripuerunt Iudaeis, quorum qui dicuntur Cabbalistae, nihil fere posteris addendum reliquere, quique a Platonicis haec accepisse iudicandi vel propterea, quod inter omnes, qui exstant, Cabbalistarum libros, ante Christum natum scriptus est nullus. Quae a theosophis recentioribus, eorumque varii generis & nominis progenie, dici hac de re solent, hinc sunt omnia petita: viris enim his, addere de suo quidquam, non est mos; recoquere maiorum placita, aliis atque aliis vestita verbis, maiorique semper obscuritate involuta, satis habentibus.

Is igitur fatalis annorum numerus simul fuerit expletus, civitatis principes in iuvenum virginumque ad procreandam sobolem electione peccabunt; unde deteriorem civitati progeniem necesse est nasci. Mixtis hoc ipso, quae studiose supra diximus a se invicem seiungenda, diversis hominum generibus, deterioribus suas tantum res respicientibus, melioribus nihil habere privati cupientibus; ortum hinc dissidium, pacto, quo agrorum & domiciliorum stabilitur divisio, componetur, &, quam supra memoravimus, bonorum communio tolletur. Quo facto custodes, seu milites, vi reliquos subigent cives, & gubernaculis reipublicae non sapientissimos, sed acerrimos & ad iram maxime pronos, admovebunt; avaritia apud eos glisset, ut sua quidem inviti, aliena libenter impendant, unde iniustitia manat; opesque cum maximi ab his fiant, eaeque magistratibus & imperiis parentur, mala quoque ambitio invalescet. Sic igitur respublica nostra, quam veram esse & genuinam aristocratiam voluimus, in aliam, inter aristocratiam & oligarchiam in medio positam, degenerabit. In hac civitate qui degunt, magistratus & honores vehementissime omnes appetunt; res bellicas magni prae ceteris faciunt, cum militum genus plurimum videant posse; opes in iuventute quidem contemnunt, at quo magis provehuntur

aetate, eo magis lucri ſtudio ſeſe tradunt; ſolent enim matres, interdum & ſervi, iuvenes ad haec inſtigare, contemni, qui magiſtratus gerant nullos, nec poſſe iniurias ſibi illatas ulciſci, dicentes.

Haec deinde civitatis forma abit in oligarchiam: avaritia enim ſemper aucta, divitiarum quoque creſcit honor, ut virtus tandem prae iis plane contemnatur, nec, qui opulentus non ſit, ullum teneat locum. Sic opibus tandem hominum pretium aeſtimatur, ac lege demum, quanta cuiuſque debeat eſſe res, ut ad magiſtratus & imperia pateat aditus, conſtituitur. Hanc rempublicam, cum cenſum definire, quem quiſque occupet in civitate locum, ſit abſurdiſſimum, multis magniſque ſcatere malis neceſſe eſt: ſunt praeterea duae ſemper ibi factiones, pauperum altera, altera divitum, ſemper ſibi inſidiantes; iidemque, quod valde nocere ſupra docuimus, plures ſimul res tractant, agros colunt, pecuniam augent, bella gerunt; &, quod maximum eſt, nihil agentibus & nihil habentibus, quique adeo ne partes quidem ſunt reipublicae, licet in hac civitate degere, qui nihil ſunt aliud, quam pauperes, & mendici, a maximis ſaepe opibus, per luxuriam abſumtis, ad extremam detruſi inopiam. Hoc de genere multi maleficiis, furtis, rapinis, vitam tolerant. Induunt autem homines oligarchicos mores, quoties pueri parentes, ſi quid peccaverint, bonis cernunt exui, aut a calumniatoribus peſſumdari, quin morti damnari; quo omne in animis eorum exſtingui laudis ſtudium neceſſe eſt, quoque, pauperes cum ſint, ferre omnia coguntur, ut, pecunia ſordide corraſa, ad altiora rurſus queant emergere. Huic ſtudio unice dediti, rationem non exercent, ſpirituſque altiores deprimunt omnes, ſunt ſordide parci, omnis, quo excolitur animus, ſtudii expertes, ad iniurias, quoties inferre commode poſſunt & abſque metu, proni, ut qui non ratione, nec eius, quod praeſtat, reſpectu, ſed metu coercere cupiditates ſolent.

Oligarchia vertitur in democratiam hac maxime de cauſa: principes utilitatis ſuae cauſa, ut foenore & iuvenum

prodigorum bonis locupletentur, sumtus non coercent, quo ipso homines bonae indolis ad egestatem rediguntur. Hi indigentia simul & contemtu stimulati, principibusque ac divitibus sua iam possidentibus infensi, novis rebus student. Quorum cum magnus sit in oligarchia numerus, cumque qui praesunt civitati, virtutem prae divitiis parvi pendentes, ac negligentes, luxuriae sese dedant: contemnuntur tandem ab egenis; & contemti, capta occasione, superantur. Hi victoriam adepti, sibi civitatis arrogant imperium, & democratiam instituunt. Haec civitas libertatis plena, ubi omnia fere hominibus facere licet, omnis generis homines gignit, ut pulcherrima videatur, sit tamen ob nimiam hanc licentiam pessimis proxima. Leges enim cum parum possint, suumque quivis arbitrium sequatur; virum fieri bonum est omnino rarissimum; vulgi modo sibi aliquis conciliet favorem, reliqua haud magni facit. Ut autem, quomodo oligarchici mores transeant in democraticos, intelligamus, de cupiditatum natura quaedam sunt praemittenda. Cupiditates omnes aut necessariae sunt, aut non necessariae; & necessariae quidem, quas amovere non possumus, quaeque utilitatem nobis afferunt expletae; non necessariae contra, quae possunt removeri consuetudine, quaeque nullo nobis prosunt modo. Cibi potusque, ad satietatem valetudinemque tuendam, appetitus est necessarius; deliciarum autem & obsoniorum, quae valetudini nihil prosunt, quaeque, si quis a puero assuescat, appetere dedocetur, non necessarius est. Iam in oligarchia qui degunt, parci cum sint, cupiditatibus tantum necessariis satisfaciunt: at simulac gustare voluptates ac delicias coeperint, deposita parsimonia, luxui sese & luxuriae dedunt, moresque induunt democraticos. Ubi enim omnia sibi licere iuvenes animadvertunt, pudore deposito, & virtute insuper habita, petulantes, impudentes, & audaces evadunt, ac, ratione procul amota, libidines quascunque sequuntur.

Democratia solet in tyrannidem abire: ut enim nimia eius, quod expetebat oligarchia, divitiarum abundantia, &

cupiditas nimia, oligarchiam; ita, quod spectat democratia, libertas nimia, democratiam evertit. Populus enim, principes severe rempublicam administrantes non ferens, a reipublicae gubernaculis eos removet, quique magistratibus ac legibus parent, subsannat; quo fit, ut legum denique contemtus invalescat, & ad anarchiam res redeat. Quod ubi in privatas tandem domos irrepserit, parere nemo alteri, sed pares esse omnes omnibus, liberi parentibus, servi dominis, volent; unde adeo delicati tandem redduntur civium animi, ut, obsequium omne servitutem existimantes, leges ipsas ferre amplius nequeant. Ut autem nimium omne transit in contrarium, ita libertas nimia, nimiam solet servitutem gignere. Qui enim divites sunt in democratia, opibus suis pascere populum coguntur; solet praeterea populus uni totum sese tradere, eique rerum suarum curam credere: is, simul obedientem sese nactum animadvertit populum, divitibus infensus, opprimit eos, eorumque opibus populi emit favorem; ac ob id ipsum a divitibus pulsus, multitudinis auxilio restituendum sese reipublicae curat, eiusdemque ope tyrannus tandem evadit. Quem si eiicere nequeant ex urbe divites, insidias saltem ei struentes, satellites a populo petere eum cogunt, quibus stipatus, vi tyrannidem occupat. Hanc adeptus, principio quidem mitem sese praebet ac benignum: simul vero confirmatum sese aliquo modo animadvertit, bella ciet continua, ut duce semper civitas egeat, exhaurianturque cives, ne insidiari sibi audeant; qui autem animo sunt generoso, hos quavis ratione opprimit. Ob quae cum civibus sese magis in dies fieri execrabilem cernat; satellitum auget numerum, pessimis quibusque adscitis, servisque ipsis, quorum ingenia sunt maxime obedientiae apta, libertate donatis. Hos ut alat, sacra profanaque spoliat, omnique tributorum genere populum exhaurit. Egregie noster, quaenam rerumpublicarum sunt conversiones, ex quibus eae causis proficiscuntur, & quae sunt maxima cuiusque civitatis vitia, exponit: quae cum ante eum

nemo tractarit, nullibi certe legantur; iure ab eo primo censentur dicta.

LIBER NONUS.

Exposito superiori libro, quomodo tyrannis oritur, quod reliquum est, qua ratione mores tyrannorum & ingenia solent procreari, subiungit. Quod quo intelligatur rectius, cupiditatum genera accuratius sunt definienda. Quas supra non necessarias diximus cupiditates, earum quaedam legibus repugnant, haeque quo minus coercentur legibus ac ratione, eo magis numero crescunt, & vehementia. Quemadmodum enim per somnum, quiescente ratione, omne ferum & ad bestiarum naturam propius accedens cupiditatum genus, magis dominatur; ita ratione prorsus oppressa, animi ab impiis, turpibus, ac sceleſtibus abripiuntur cupiditatibus, quas ineſſe nobis, somnia, ubi miſceri matribus, parentes occidere, aliaque nefanda patrare nobis videmur, satis demonstrant. Hae cupiditates cum a democratia iam sint excitatae, magis in dies augentur: filius enim eius, qui in democratia quae suadebat lubido est ausus, a familiaribus ac servis magis ad audenda eadem stimulatus, voluptatibus tandem sese totum permittit, ac cupiditatibus ferinis regendum sese tradit. Quo facto, ab amore, quem omnes fatentur tyrannum, ab ebrietate, quam homines reddere tyrannicos constat, aliisque lubidinibus in furorem actus, omnia sibi putabit licere, nullaque re sese deterreri ab incepto aliquo, aut cohiberi patietur.

Ex omnibus, quae hucusque de civitatum formis, deque earum praestantia diximus, facile iam, quod quaerebatur initio, an beatus possit esse iniustus, diiudicabitur. Quod quo fiat, conceſſum esse supra, homines singulos esse ci-

vitatibus ſimiles, & quanta ſit civitatum, quas contemplati ſumus, totarum felicitas, tantam eſſe ſingulorum, qui moribus ſunt ſimilibus praediti, beatitudinem, in memoriam revocemus. Ut igitur reſpublica monarchica eſt optima & beatiſſima; tyrannica contra peſſima ac miſerrima: ita hominem, moribus, quales monarchiam decent, praeditum, beatiſſimum; eum contra, cuius mores reſpondent civitati a tyranno gubernatae, eſſe miſerrimum, ſequitur. Quae enim a tyranno regitur civitas, ſervit: animus tyranni, & qui mores tyranni induit, eodem modo viliſſimae ſui parti, cupiditatibus ferinis, ſervit, nec quae vult, ſed quae libidines eum cogunt, facit. Civitas eiuſmodi eſt pauperrima, ac maxime indigens: animus ei ſimilis inſatiabilis etiam eſt, praetereaque poenitentia, doloribus, & angoribus maxime cruciatur. Quod ſi his moribus praedito adipiſci tyrannidem contingat, multo eum reddi miſeriorem neceſſe eſt, ut qui omnes ſibi cernit infenſos, omnes metuit, & praeter ceteras cupiditates, timore etiam perpetuo angitur. Iam cum tyrannum conſtet omnium eſſe mortalium iniuſtiſſimum; beatum reddere iniuſtitiam neminem poſſe, nulla re potius magis homines fieri miſeros, ſequitur: cumque reſpublica a rege gubernata ſit optima ac beatiſſima; iuſtum, id eſt, virum ad hanc civitatis formam proxime accedentem, eſſe beatiſſimum, efficitur, id eſt, qui ſibi imperat, & ratione cupiditates moderatur.

Ac hoc quidem eſto primum, quo iuſtitia defenditur, argumentum; alterum ita ſeſe habet: tres cum animo noſtro inſint partes, ratio, ira, cupiditas; tria quoque ſunt voluptatum, & tria etiam eas perſequentium hominum genera. Ratio enim ad perſpiciendum, quid in quoque ſit verum, fertur, unde maxima ad eam voluptas redundat, quique huic rei ſtudent, philoſophi dicuntur: ira victoriam, imperium, laudem, ut maxime ſibi iucundas, expetit, quique has ſequuntur, gloriae cupidi vocantur: cupiditas autem lucro prae ceteris inhiat, indeque homines audiunt avari. Iam cum iudicare res ex alia re nulla,

quam experientia & ratione, queamus, cumque philosophus & gloriae cupiditatem & avaritiam experiundo habeat cognitam, ut qui laude etiam ac honore afficitur, quemque corporis necessitates lucro nonnunquam cogunt studere; avarus contra ac gloriae cupidus, voluptatis, quae ex veri hauritur cognitione, sint expertes: philosophi iudicium dubio absque est praeferendum. Philosophus praeterea solus instrumento, quo aestimantur cuncta rationibus, est instructus. Est ergo vita philosophi, cui praeest ratio, ceteris omnibus, iudice philosopho, anteponenda; adeoque iustitia maximam ad vitam reddendam beatam vim habet.

Tertium huic succedat argumentum eiusmodi: nulla, praeter sapientis voluptatem, vera est ac sincera; quas alii percipiunt voluptates, umbrae sunt, multisque doloribus mixtae. Inter voluptatem enim & dolorem media est quaedam, neque dolentium nec gaudentium conditio, quae, cum omnis in animi motu ac mutatione voluptas ac dolor consistat, harum expers, ad quietis genus refertur; falsumque adeo est, quod autumant homines, esse & quandam non dolendi voluptatem, & non gaudendi dolorem. Solent quippe homines, dolore aut morbo affecti, nihil magis, quam doloris finem optare, eumque in gaudiorum habere numero; pariterque voluptatis finem dolorem existimare: quod falsa inducti opinione inde sibi persuadent, quod doloris finis, dolori comparatus, voluptatis induit speciem; voluptatis finis, cum voluptate collatus, dolor videtur. Falsa proinde & eorum est opinio, qui voluptatem omnem esse doloris finem, dolorem contra voluptatis finem, existimant; idque insuper apparet inde, quod odores multi supra modum sunt iucundi, licet nullus sit dolor praegressus, iidemque nullum deinde post se dolorem relinquunt. Est autem hic error similis ei, quo qui ab infimo loco ad medium usque ascendunt, ad superiora sese putant tendere, quique a medio versus infimum feruntur, descendere sese sibi persuadent; cum illi summa non attin-

gant, hi a ſummis non diſcedant, ſupra medium demum ſitis. Hoc igitur non dolere, & dolore liberari, cum vera non ſit voluptas; cumque corporis pleraeque voluptates, finito demum dolore exſiſtant, bibendi enim & edendi, quaeque his ſunt ſimiles voluptates, ex amota moleſtia proficiſcuntur: qui his fruuntur, non veras percipiunt voluptates, ſed voluptatum ſimulacra. Praeterea quo veriora ſunt, quae percipiuntur, quoque verum magis eſt, quod percipit, eo veriores etiam neceſſe eſt voluptates eſſe. Inter corporis nempe & animi voluptates ea intercedit ſimilitudo, quod utraeque explent, illae ſitim, famem, & alia, quibus eget corpus; hae ſciendi rerumque naturam perſpiciendi deſiderium. Iam opinio vera, ſcientia, prudentia, ac virtus omnis, veriores ſunt res, quam cibus, potus, & quae corporeae ſunt naturae; ſunt enim rebus perpetuis, mutationi non obnoxiis, id eſt, vere exſiſtentibus ſimiliores: iam porro anima ipſa verius, quam corpus, exſiſtit, quod umbra tantum eſt, ac rerum verarum ſimulacrum. Vita ergo philoſophi omnibus aliis longe eſt praeferenda; & quo longius diſtat vita ab ordine, ratione, lege, eo eſt deterior. Talem eſſe iniuſti vitam, contra leges ac rationem lubidines ſolas ſequentis, multis neceſſe non eſt demonſtrare.

Quae dicta ſunt hucuſque, quo intelligantur rectius, animoque infigantur altius, repetamus, ac ſimilitudine ſimul illuſtremus. Finganus itaque monſtrum, qualia apud poëtas multa exſtant, Chimaeram, Scyllam, Cerberum, alia, e pluribus animalium ſpeciebus conflatum, cui plura ſint domeſticorum & ferorum animalium capita, interque ea unum etiam leonis, unum hominis: his omnibus humanam circumdemus figuram, ut unum hoc animal, interiora non adſpicienti, videatur. Quicunque, huic animali prodeſſe iniuſtitiam, aſſerit, is nihil revera affirmat aliud, quam prodeſſe ei beſtias reliquas alere, hominem tame occidere; qui contra defendit iuſtitiam, hominem id debere alere, reliquas autem beſtias in eius redigere ditio-

nem, contendit; adeoque falsa & absurda ille, vera ac rationi consentanea hic affert. Honesta enim ideo sunt talia, & lege iubentur, quod ferinam nostri partem rationi, seu potius ei, quod in nobis est divinum; turpia, quod mansuetam nostri partem ferinae cogunt servire: quare ut nemini expedit iniuste aurum accipere, ut filium aut filiam in servitutem redigat; ita nemini est utilitati, divinam animi partem vilissimae ac sceleratissimae, accepto iniuste auro, aut alio scelere perpetrato, tradere serviendam. Nec ulla est alia, ob quam intemperantia, lascivia, superbia, morositas, luxuria, quaeque his sunt affinia, culpantur, causa, quam quod divinum istud redigunt in servitutem, cuius solius est nobis praeesse, vitamque nostram gubernare. Ut enim cuivis expedit sub optimi ac praestantissimi cuiusque esse imperio, ita ab eo, quod est in nobis optimum, accipere leges, nobis est utilissimum. Nemini ergo prodest iniustitia, etiamsi vel maxime homines lateat, poenamque effugiat omnem: quin hoc ipsum latere, cum deteriores nos reddat, plurimum iniustis obest. Gravissime in his, & ut summum decet philosophum, virtutis ac iustitiae causam Plato agit, multaque insuper, si non omnia, ad tuendam virtutem nova affert. Inest tamen his omnibus nonnihil erroris, tum quod virtutem potius in genere, quam iustitiam, defendit; tum quod iustitiae ipsius ac iuris fontem non aperit: alia enim de iustitia docentur in philosophia morum, alia in iuris naturae disciplina; cum iustitia, quatenus est quaedam hominis virtus, & animi habitus, ab utilitate & perfectione humanae naturae in philosophia morum commendetur; quatenus vero ad eam exercendam ab aliis possumus cogi, & vim licet aliis nobis adhibere, nulla prorsus perfectionis aut felicitatis per eam adipiscendae habita ratione, in iure naturae doceatur exercenda: tum denique, quod, ad beatitudinem efficiendam semper valere iustitiam, haud satis perspicue tradit. Fingamus enim hominem, qualem Aristippus & Epicurus dicunt esse sapientem, ratione cupiditates moderantem, ac ob insignem

nonnunquam utilitatem, remoto omni poenae metu, iniuriam alteri inferentem: nulla in hunc cadent iniuſtitiae incommoda, animus eius deterior non redditur, imperium rationis non frangitur: quidni igitur huic iniuſte interdum agere liceret? Nec id ſatis a Platone demonſtratum, animi ac mentis voluptates corporis voluptatibus eſſe praeſtantiores: quae enim afferuntur, ex hypotheſi Platonis de rerum verarum natura, non ex ipſarum voluptatum indole ſunt petita; quae hypotheſis cum ex omni parte veritati non ſit conſentanea, concluſionem veram ac firmam non gignit. Rationem autem debere nos gubernare, concedunt quidem omnes; ſed ſunt, qui rationem ipſam ad voluptates ſeligendas adhibent, eamque dicunt in voluptatum delectu debere verſari, nec inter voluptatem & rationem ullam intercedere pugnam.

LIBER DECIMUS.

Cum civitatem, ubi exercetur, quam modo laudavit, iuſtitia, ſuntque homines, quales eſſe eos decet, eſſe dubio procul optimam ac beatiſſimam in fine dialogi ſuperioris Socrates dixiſſet, eamque laudem ſuae civitati eſſe propriam affirmaſſet; occaſione oblata, de poëtis nonnulla ſupra iam monita, uberius exponit, ut, quam ſit praeclara haec civitas, magis intelligatur. Omnes, quorum in imitatione verſatur ſtudium, poëtas ex hac civitate eſſe eiiciendos, ſupra praeceperat: hoc ex ipſa imitationis natura, damniſque inde in hominum animos manantibus, iam confirmat. Tria ſunt rerum genera, verarum aliud ac ſempiternarum; aliud generationi obnoxiarum & corruptioni; tertium denique earum, quae videntur, ſeu imaginum: quorum illud complectitur ideas, Deum ipſum auctorem agnoſcentes, nec individua multa ſub ſe continen-

tes. Fecit enim Deus cuiuſvis generis ideam tantum unam; hominum v. g. unam, lectorum unam, cum facere plures per ipſam earum naturam non poſſet: quod ſi enim facere duas hominis voluiſſet ideas, eae una tamen revera tantum fuiſſent, utpote quae unam modo eandemque naturam repraeſentaſſent. Hinc, quae fuerit Platonis circa ideas ſententia, magis aperitur: ſunt eae nihil aliud, quam mentis de generibus rerum conceptus, ut quodvis rerum genus ſuam habeat a Deo procreatam ideam, nihil ultra, quam quod individuis cunctis eſt commune, continentem; ut, quot ſunt rerum genera, tot ſint etiam ideae, ne ipſis quidem arte factis, quorum diſerte mentio fit, excluſis. Alterum rerum genus res ſecundum haec exemplaria factas, id eſt, quae in rerum natura exſiſtunt corruptioni obnoxia, complectitur, homines v. g. ſingulos, lectos, reliqua: tertio denique horum comprehenduntur ſimulacra, homines picti, ſculpti, aut alia quavis arte expreſſi. In horum generum primo ſunt res verae, in altero minus verae, in tertio, quae a vero diſtant longiſſime; primique generis auctor φυτουργὸς, quem creatorem poſſemus vocare; ſecundi, δημιουργὸς, opifex; tertii, imitator dicitur: unde apparet, imitatorem omnem veri exiguam tantum partem attingere, poëtaſque adeo ad docendum parum eſſe aptos. Id quod magis confirmatur etiam hoc, quod ſi quis imitator aut poëta poſſet res ipſas efficere, iis imitandis nollet profecto operam impendere, quodque Homerus, nec ullus poëta alius, etſi de medicina aliiſve artibus loquatur ſaepiſſime, neminem tamen unquam ſanaſſe, aut ullum aliud artis opus legitur perfeciſſe. Eſt itaque imitatio omnis, & poëtarum ars, luſus quidam ad delectationem excogitatus, nullique ſeriae tradendae rei aptus. Praeterquam autem quod nullam affert poëtica imitatio utilitatem, plurimum ea animis hominum nocet. Ea enim animae pars, cui ſapientia ineſt ac ſcientia, conſtans ſibi, ſemperque eadem, materiam poëtis nullam fere praebet: at perturbationes animorum ac cupiditates, id eſt, ea pars animae, quae a

ratione eſt remota, cum magnis ſint & vehementibus obnoxiae agitationibus ac tempeſtatibus, plurima poëtis, quae exprimant imitando, ſubminiſtrant. Poëſis igitur cum in re vili verſetur, ſit ipſa nullius pretii neceſſe eſt; cumque eoſdem animorum motus, quos imitatur, in audientes quoque transfundat, cogatque eos eadem, quae ſentiunt homines, quorum mores imitatur, in ſe experiri: animos etiam corrumpit, partique rationis experti, quam frangi decet, ac ratione ſubigi, vires addit. Vera ſunt, quae in poëtis Plato reprehendit; ſed verum eſt etiam, noſtram non pati imbecillitatem, ut ratione ſola gubernemur: ira enim, miſericordia, laudis cupiditas, amor, quaeque ſunt aliae animi commotiones, niſi nos ſtimularent, rationiſque decretis adderent efficaciam; nec ipſi magni quidquam efficeremus, nec alios, ut, quae decet, faciant, permoveremus. Natura praeterea, cum has etiam animo vires indiderit, ac ita nos finxerit, ut animorum motus, cupiditateſque vehementiores nobis inſint: his ipſis uti nos, eaque ad commodum adhibere noſtrum, voluit; nec, ut ea deleantur prorſus, ſolaque ratio nos gubernet, fieri ullo modo poteſt. Quod perſpicitur vel inde etiam, quod, quo ſunt animi hominum excellentiores, eo maiores vehementioreſque iis inſunt cupiditates, eoque facilius ac vehementius ſolent commoveri; quodque ſtupidi ac excordes, ſtipitibus aut lapidibus propiores, raro, aut nunquam animi motus ſolent experiri, aut a vehementi ulla cupiditate ſtimulari.

His abſolutis, redit philoſophus, unde digreſſus erat, ad demonſtranda porro, quae iuſtitiam ſequuntur commoda; recenſitiſque ſupra, quae in hac eveniunt vita, addit, quae poſt mortem demum ſunt eventura. Eſſe enim animam immortalem, intelligitur etiam inde, quod nihil ei, quo corrumpatur, ineſt. Quaecunque intereunt & corrumpuntur, ſuo, ipſis inhaerente, malo peſſumdantur, cum boni natura ſit ſervare, & ab alieno nihil queat malo perire; malum ſiquidem, ſimul ad rem eam acceſſerit, cui eſt noci-

vum, malam eam reddit, ac denique destruit. Iam quae animae noceat, eamque malam reddat, nulla res est: iniustitia enim, intemperantia, quaeque alia commemoravimus vitia, etsi animam reddant deteriorem, perniciem tamen & interitum ei non afferunt. Iniustitia namque, aliaque vitiorum genera, animam non dissolvunt; nec unquam experientia docuit, iniustum, ubi moritur, esse magis iniustum, & iniustitiam, quo quis propius accedit ad mortem, hoc ipso augeri, aut esse suapte natura letiferam, quoque magis sunt homines iniusti, eo magis ad mortem appropinquare, ac citius mori; quin potius, iniustos vivere diutissime, maximeque ab interitu sibi cavere, quotidie videmus. Corporis porro morbi, cum ad corpus tantum pertineant, nec ipsi inhaereant animae, obesse huic, aut interitum ei afferre nullo modo possunt. Animam ergo, cum nec suo, nec alieno pereat malo, esse mortis expertem, efficitur. Subtilis haec est, & a Platone inventa, ratio; at parum tamen ad efficiendum quod proponitur apta, ideoque iure a recentioribus praetermissa. Quamquam enim vitiis non intereat anima; tamen nullo eam alio interire malo suo posse, non est demonstratum: nobis, praeter vitia, nulla quidem alia sunt animae mala cognita; an tamen nulla sint alia, ignoramus. Probabilitatem ergo haec ratio gignit, certam & immotam persuasionem nullo efficit modo.

Cum itaque iniustus nemo Deos lateat, cumque, Diis eum esse odio, necesse sit: post mortem poenas eum dare; iustum contra, cum a Diis ametur, maxima ab iis praemia accipere; adeoque iustitiam, tum in hac vita, tum in altera, maximae esse hominibus utilitati, ac vere semper prodesse, sequitur. Etsi igitur bonis saepe mala, malis bona apud nos eveniant; id haud magnopere morandum: post mortem enim suum cuique tribuetur. Tangit hoc loco philosophus praestantissimum, quo seriores saepissime sunt usi, ad agendam Dei causam, argumentum: quod etsi hunc in finem nunc non adhibeatur, infra tamen adhibebitur; quodque primus, ni fallor, philosophis subministravit.

De praemiis iuſtorum poſt obitum plura dicturus, iuſtitiamque hac ex parte magis commendaturus, cum demonſtrationi in his locus non eſſet; ad Eris Armenii confugit auctoritatem, quaeque is per ecſtaſin apud inferos vidiſſe ſeſe narraverat, copioſius exponit. Quiſnam autem is fuerit, parum conſtat, ut, ſitne a Platone fictus, liceat etiam dubitare. Sunt autem, quae ab eo dicuntur relata, adeo ſimilia tum Graecorum de inferis fabulis, tum iis, quae a philoſophis, ipſoque aliis locis Platone, his adduntur, ut ſanus nemo, revera talia eum vidiſſe, ſibi queat perſuadere. Qua in re ab aliis omnibus, quae per ecſtaſin dicuntur hominibus viſa, haec non abludunt, ut quae inter ſe nunquam conſentiunt, ſed pro cuiuſvis opinionibus ante conceptis, ac libris, quos maxime adamavit, differunt: unde phantaſmata haec eſſe mera, aegrique animi ſomnia, aequo rerum iudici, nec ſimilibus antea figmentis irretito, ſatis conſtat; vera enim pugnare inter ſe ac diſſidere prorſus nequeunt, ſenſuſque ille interior, cuius praeſtantiam ac fidem mirifice hoc hominum genus extollit, fallere eos nullo aut poſſet, aut deberet modo, ſi vera, non ab ipſis ficta, eius ope aperirentur. Hic igitur Armenius in proelio occiſus, putreſcentibus iam aliis, decimo die integer inventus, ac duodecimo rogo impoſitus, in vitam poſtquam rediit, haec ſeſe vidiſſe narravit: Animam corpore egreſſam, multa miraque peragraſſe loca, & ad duos acceſſiſſe terrae coelique ſibi oppoſitos hiatus, inter quos medii ſedeant iudices, animas pro cuiuſvis merito, ſuſpenſa e dorſo tabula, cui, quae patrarunt, ſint inſcripta, iuſtas dextra ad coelum, iniuſtas ſiniſtra ad inferos, ablegantes. Hos, ad terram eſſe ſibi redeundum, quaecunque ibi vidiſſet nuntiaturum, dixiſſe. Alias porro portas eſſe duas, quarum altera animae, abſoluto itinere, deſcendant de coelo, altera e terrae viſceribus aſcendant; eaſque omnes in prato quodam laeto convenire, quaeque ipſis acciderint, ſuis quamque amicis aut notis referre. Ex his didiciſſe ſe, iter illud eſſe mille an-

norum, in decem centum annorum periodos divisum, quarum singulis ob singula delicta dent poenas, ut adeo delicta quaevis decies puniantur, praemiaque itidem decuplo sint recte factis maiora. Postquam septem dies quieti in hoc prato dederint animae, octavo illis esse iter ad alium quendam excelsiorem locum ingrediendum, ubi lumen quoddam, iridi cetera simile, nisi quod purius sit ac clarius, instar columnae, per coelum terramque linea recta cernant penetrans, idque coeli totius esse vinculum, omnes mundi partes continens & constringens. Huic sphaeras octo, aliam alii inclusam, esse aptatas, & suo quamque motu cieri, quin & harmoniam earum motum efficere; sedere autem ibi Parcas sphaeras circumagentes, ad quas accedere animas, primamque salutare Lachesin oporteat. Ibi fatorum quendam interpretem singulas ordine disponere, sumtisque e Lachesis gremio sortibus & vitarum exemplis, e tribunali ipsis pronuntiare: iam daemonem unicuique & vitae genus esse eligendum, quo necessario deinde sit utendum; virtutem cuique liberam relinqui, quam ut quisque magni parvive fecerit, ita plus minusve inde sit lucraturus; ipsum eligentem esse in causa, Deum insontem. His dictis, sortes eum omnibus proiecisse, & quemvis, quae proxima fuerit sibi, arripuisse; ac tum vitarum exempla ante oculos eorum prophetam exposuisse, ubi tyrannorum, divitum, pauperum, omnisque generis hominum vitae sint descriptae, animarum tamen, ut quae sponte iam hinc sequatur, praetermissa conditione. In hoc igitur summum hominum agitur discrimen: quare philosophiae maxima est opera navanda, ut vitas recte diiudicemus, nec pravam, a qua discedere deinde non licet, eligamus. Primum, cui sors eligendae vitae obtigerat, sumsisse tyrannidem, liberorum caedes aliaque magna huic esse mala coniuncta ignorantem: quae cum per otium deinde cognovisset, eiulasse, Deum, fortunam, aliaque omnia potius, quam semet incusantem. Solere autem plurimos vitam priori similem eligere: sic Orphei se ani-

mam cycni vitam, Thamyrin luſciniae, quod muſica ſint haec animalia, vidiſſe eligentem. His peractis, ad Lacheſin ordine omnes accedere, unde ſuum quemque ſorte deſtinatum accipere daemonem, cuſtodem, & eorum, quae electa ſunt, exſecutorem. Hinc profectas ad Lethaeum accedere campum, ibique e flumine Amelita bibere, quo rerum omnium ex animo deleatur memoria, & ad mediam noctem poſtquam dormierint, tonitru excitatas ad generationem novam, novamque vitam proſilire. Haec omnia Pythagoricis Platoniciſque adeo ſunt referta opinionibus, ut cerni ab homine Armenio, huius philoſophiae plane ignaro, nullo potuerint modo. Inſunt tamen nonnulla ex recondita Platonis philoſophia petita, nec alibi uberius expoſita, quae, ut paulum his immoremur, poſcunt. Ac principio quidem columna luminis, totum continens mundum, ac motum ei largiens, divinae procul dubio eſt naturae: Deus enim Platoni eſt natura ſemper mota, ſuoque motu alia movens; Deum praeterea continere mundum, ſuaque vi ordine movere, ſupra vidimus. Hinc ergo, qualis ſit Platoni Deus, magis apparet: quam ſententiam primus inter Graecos, ac neſcio, an philoſophorum omnium primus, noſter eſt amplexus. Quae enim de philoſophia orientali, & de Cabbaliſtis, dicuntur, incerta ſunt, nec Platone forte antiquiora: Hebraei enim antiquiores, etſi, nonnunquam Deum inſtar luminis apparuiſſe ſibi, dicant; tamen poſt Platonem demum in artis formam a Cabbaliſtis redactae ſunt prophetarum viſiones; &, Deum eſſe ignem, uno ore fatentur antiquiſſimi: eadem opinio apud antiquiores Graecorum philoſophos magnam partem obtinet; quo deinque ſunt homines barbariei propiores, eo craſſas magis de Deo opiniones fovent, ut adeo nec Orientis philoſophi ſenſiſſe aliter videantur. Cum autem, quo magis gentes diſciplinis excoluntur, eo ſubtilioris Deum exiſtiment naturae, magiſque ſemper eum a craſſa corporum materia ſtudeant removere: ab igne craſſo, ad ignem quendam ſubtilem, noſtro-

que puriorem, hinc denique ad lumen, inter omnia, quae ſenſibus percipiuntur, ſubtiliſſimum, & ad ſpiritus naturam proxime accedens, ſunt progreſſi: adeoque abſque ullo philoſophiae peregrinae auxilio commodiſſime hoc ex ſola Graecorum doctrina poteſt explicari. Cui non obſtat, quod Hebraeorum prophetae, & Orientis forte ſacerdotes, ante Platonem, Deum eſſe lumen cenſuerunt: id enim ex alio longe manavit fonte. Fuerunt ſemper ad ecſtaſin proni Orientis incolae: iam autem in omni ecſtaſi cerni lumen aliquod puriſſimum experientia docuit. Hoc lumen, cuius intuitu gaudio anima perfunditur vehementiſſimo, manare a Deo, & eſſe ipſum Deum, ſibi facile perſuadebant, adeoque non ratione aliqua philoſophica ducti, aut argumentis e rerum natura petitis, ſed mentis inſtinctu perſuaſi, Deum eſſe lumen exiſtimarunt. Columna deinde haec luminis, nihil eſt aliud, quam mundi, quam hodie dicimus, axis: antiqui enim, Neutonianae ignari philoſophiae, haud facile, niſi aëri innatare aſtra ſibi paterentur perſuaderi, unde tamen motus eorum conſtans, nec tamen ubique idem, vix intelligitur, aliter aſtrorum motum non poterant explicare. Quod denique de vitarum generibus ſorte diſtributis affertur, inſigne eſt pietatis in Platone documentum, cum hoc ipſo ab omni culpa liberare Deum, nobiſque ſolis malum omne, quod eſt in moribus, ſcelera, vitia, peccata, eorumque poenas tribuere auctoribus ſtuderet. Ut enim ſubſtantiae omnes, ita animae quoque noſtrae maximam partem ſunt aeternae, utpote eiuſdem cum mundi anima naturae, ex eaque decerptae, addita tantum aliqua ipſius Dei particula: his itaque cum eligere vitae genus permittit Deus, culpa omni vacat, iureque optimo poenas deinde infligit. Quae ſupra dixi de materia, phyſici omnis mali culpam ſuſtinente, dici quoque de animabus queunt: hanc nempe optimam eſſe, omnem a Deo erroris, aut culpae, aut imbecillitatis ſuſpicionem amovendi rationem. In hoc tamen parum ſibi proſpexit noſter, quod animas corpore

liberas vitae genus affirmat eligere, easque ante hanc vitam, quin priusquam corpori omnino iungantur, rerum iam sumit notitia esse instructas; cum experientiae hoc sit parum consentaneum, cumque praeterea multa etiam corpori, aliisque, quae hominem circumstant quemvis, sint tribuenda. Haec omnia, poenas pro arbitrio Deum infligere ac constituere, vix patiuntur affirmare.

DE LEGIBUS

LIBER PRIMUS.

QUAM in libris de republica delineavit noster civitatis formam praestantissimam, locum haud facile inter homines inventuram intelligens ipse, aliam aggreditur pingere civitatem, non omnino ab hominum imbecillitate alienam, &, quibus ea legibus gubernetur, duodecim his de legibus libris, docere. Ut autem legum suarum praestantia appareret magis; Minois & Lycurgi, quae optimae existimabantur, leges, examini accurato subiectas, emendandas initio sumsit, ut magnam legum suarum exspectationem concitaret; eumque in finem sub persona hospitis Athenienſis, cum Clinia Cretensi, ac Megillo Lacedaemonio, Cnoso ad antrum Jovis proficiscentibus, in itinere sermonem instituit. Ac principio quidem, ut, cui tota nitatur disputatio, fundamentum iaciat, legesque omnes non debere bellum spectare, sed civium in pace virtutem, demonstret; quem in finem convivia publica, gymnasia, armorumque exercitium legumlatores instituerint, e Clinia ac Megillo quaerit. Uterque, belli causa esse haec instituta, respondent: omnes enim semper inter

se bellum gerere civitates, pacem nomen esse inane, & bellum latens significare; nec urbes modo cum urbibus, sed vicos etiam cum vicis, ac familias cum familiis bella semper gerere; bellum proinde sapientem quemvis legumlatorem debere unice spectare, idque eo magis, cum non omnes modo omnibus, sed sibi etiam quisque sit hostis, semperque secum pugnet. Ex ipsis his Plato, bellum non posse unicum esse legum ac legumlatorum finem infert: in omni enim certamine si vincant improbi, malam fieri conditionem civitatis seu domus necesse est; bonam contra, si superiores sint boni; adeoque, si arbitrum elegerint fratres aut cives inter se disceptantes, rectius eum facturum, qui improbis, ut pareant melioribus, persuadeat, non qui, his deletis, probos solos relinquat; & si idem leges his ferat, pacem & concordiam inter eos respecturum. Quare cum melior hic sit iudex ac legumlator: concordiam ac pacem inter cives magis, quam bellum, spectare legumlatorem efficitur; ut quae bello ac seditione longe praestant. Legum enim cum sit finis beatos reddere cives, id est, bona ipsis parare; id unice studere legumlatorem decet, ut, magnitudinis bonorum habita ratione, maximis primo, deinde minoribus cives ornet. Iam duo sunt bonorum genera, divinorum aliud, aliud humanorum, quorum haec pendent ex illis, minoraque sequuntur maiora. Inter humana primum tenet locum valetudo, secundum pulchritudo, tertium robur, quartum opes: inter divina primum prudentia, secundum temperantia, tertium iustitia, quartum fortitudo; quae omnia sunt humanis anteponenda, ac legumlatori, ut his primum ornet cives, deinde ad humana respiciat, quaeque pendent ex his porro, incumbit. Ad hanc igitur normam leges sunt exigendae omnes, &, perperam, an recte sese habeant, iudicandae. In his omnibus, ut & in superioribus de republica libris, altius quoddam & sublimius politices genus noster innuit, neglectum hucusque, aut non satis pro dignitate ab iis, quibus rerum humanarum cu-

ram demandavit providentia, adhibitum. Omnes etiam, qui de gubernandis rebuſpublicis ſcripſerunt, ad bona tantum externa pertinere legumlatoris curam ſibi perſuadent, cum tamen, recte haec obſervante Platone, iſta, neglecto virtutis ſtudio, aut nequeant parari, aut parata recte uſurpari.

Hanc normam ad diiudicanda Cretenſium ac Lacedaemoniorum inſtituta adhibiturus, de iis, quae fortitudinem ſpectant, primo quaerit loco; quo gymnaſia, convivia communia (ξυσσίτια), venatio deinde Lacedaemoniorum, nudorum adoleſcentum exercitia, pedes per hiemem nudi, aliaque ad tolerandos dolores pertinentia, referuntur. Cum autem aliud ſit praeterea fortitudinis genus, quo pugnare adverſus voluptates ac cupiditates inſtituimur, a quibus ſuperari minime decet; cumque in hoc etiam cives ſint exercendi: in reprehenſionem omnino incurrunt Cretenſium ac Lacedaemoniorum legumlatores, quod plane eius ſtudium neglexerunt. Ad temperantiam porro quod attinet, convivia communia & gymnaſia eius gratia ſunt quidem inſtituta; videntur tamen haec multis magniſque malis portam aperire: convivia enim communia ad excitandas ſeditiones ſunt opportuniſſima, & gymnaſia, ubi adoleſcentes & virgines exercentur nudi, deteſtando cuidam amorum generi anſam praebent; unde de Ganymede ac Iove fabula Cretenſibus tribui auctoribus ſolet, a Deo patrocinium quaerentibus. Quamquam autem Lacedaemone ebrietas omnis, eiuſque cauſa praecipua, convivia, turpis habeatur, ut, ne Dionyſiis quidem, nemini liceat eſſe ebrio, ſitque hoc ad exercendam temperantiam praeclariſſimum: ſeveritas tamen iſta, nimiuſque vini horror, alia videtur incommoda afferre. De ebrietate autem ut recte iudicemus, nec diverſa de ea exiſtimantibus hominibus temere credamus: qualis ſit eius natura, & qualia ſequantur, recte ac prudenter, moderante viro ſapiente, adhibitam, videamus. Cum in ſocietate omni, ut recte ſingula gerantur,

duce aliquo fit opus, compotatio autem inprimis, a qua non abeſt ebrietas, ſit turbulenta; adhibendus eſt, qui compotantibus praeſit, vir temperans ac ſobrius. Sola quidem per ſe ebrietas, memoriae, iudicii, ac rationis vim frangit; cupiditatibus contra, ac animi perturbationibus vim addit, ut adeo, cum rationi ſit ſemper parendum, vehementer hominibus noceat: ſed ſunt multa alia per ſe mala, utilitatis tamen non omnis expertia, ut medicina, corporumque exercitationes vehementes, debilitatem principio, deinde valetudinem ac robur afferentia. Quo in genere eſt etiam ebrietas, cuius ope, ſi a prudente & temperante viro potantibus praefecto adhibeatur, explorari optime hominum animi poſſunt, quaeque adeo ingenti eſt legumlatori, ad noſcendum qualis ſit quiſque, & cui rei maxime idoneus, uſui. Quare non omnem e civitate legumlator ebrietatem eiiciet: adeoque nimio eius vitandae ſtudio peccavit Lycurgus.

LIBER SECUNDUS.

CONTINUATUR de compotationibus, ebrietate, & vini uſu ſermo, quaeque de eo diſputantur, in legis denique ſummam contrahuntur. Praeter animorum explorationem alia quoque & magna vini uſus commoda affert, quae ut perſpiciantur, diſciplinae ſcopus accuratius eſt conſiderandus. Voluptatis ac doloris ſenſus cum infantibus ſtatim inſit, prudentia ſerius accedat: ita a principio ſunt aſſuefaciendi, ut voluptas, odium, amor, ceteraque his affinia, rationi ſint conſentanea; & quae odiſſe aut amare, ubi rationis uſum fuerint adepti, eos decet, averſentur aut amplectantur. Huc maxime faciunt muſica & ſaltandi ars, aetati puerili, quietem omnem maxime ab-

horrenti, in motu corporis continuo, ac linguae etiam agitatione vehementer sese oblectanti, accommodatissima, eoque ad excitandum ordinis & decori sensum, hisque liberos assuefaciendos, aptissima. In quo cavendum maxime, ne, qui belle canit, aut saltat, eum bene ac recte dicamus canere & saltare; sed eum modo, qui pulchra ac recta canit, & saltando exprimit. Pulchri autem bonique cantus & corporum motus sunt, qui animi aut corporis aliquam exprimunt virtutem, id est, quibus inest honestas: honesta enim sola nos delectant, & pulchra simul vocantur. Quamquam autem non omnibus delectentur omnes, sintque adeo, qui voluptate sola ac delectatione metiantur pulchritudinem; id tamen nobis nihil obstat, cum opinionis error pulchrum seiunxerit ab honesto: qui enim natura sunt probi bonique, sed prava aliqua imbuti consuetudine, aut qui contra bonis honestisque sunt assueti, sed natura ad turpitudinem proni, pulchrum ab honesto soli seiungunt, & secum pugnant ipsi, quod honestum sit, non delectare semper affirmantes, cum in reliquis tamen omnibus, in quibus a consuetudine non dissentit natura, idem pulchrum ducant & honestum. Quod ne accidat civibus, summopere cavendum: solet enim, qui turpibus delectatur rebus, ad amplectenda & imitanda eadem fieri pronus; adeoque poëtarum aliorumque circa haec artificum arbitrio non sunt haec permittenda, nec multitudinis etiam iudicio aestimanda, cuius plausu poëtae corrumpuntur, sed lege regenda; quod facere etiam Aegyptios videmus, quibus nihil licet in re musica, statuaria, aliisque artibus innovare. Etsi enim ad delectationem, saltatio, musica, comoedia, tragoedia, ceteraeque ad voluptatem inventae artes, in republica adhibeantur: non omnis tamen propterea delectatio hinc manans est probanda, nec cuiusvis iudicio standum; sed disciplina civium, maxime iuniorum, cuius gratia his artibus esse utendum diximus, ex oculis nunquam dimittenda, ac seniorum & prudentium iudicio pro-

banda sunt modo, quae optimos rectèque eruditos delectant. Nec poëtis canere quidvis est permittendum; sed, ut celebrent virtutem, neminem, nisi qui iustus fuerit, praedicent beatum, iniungendum; ceteraque, valetudinem, opes, honores virtuti iubeant postponere: beatos enim reddere cives cum omnis cupiat legumlator, cumque idem iustitiam assidue iis commendet; quin iustus sit idem beatissimus, in dubitationem adducere nullo modo licet. Quae de pulchri natura noster affert, aliquam tantum eius partem tangunt: de rebus enim ipsis a natura, non arte, aut imitatione factis, verum est, honestas delectare; nec obstant ridicula, ut quae non per se, sed propter aliud adiunctum voluptatem pariunt, cum risu digna feciſſe nemo cupiat, adeoque id praecipue nos in his delectet, quod ab imbecillitatibus eiusmodi aut erroribus ipsi sumus immunes. In iis autem, quae arte & imitando ab hominibus exprimuntur, aliud saepissime est pulchrum, aliud honestum: ut enim quae horrorem, metum, incutiunt, nauseam movent, aut aliam ob causam nobis displicent, imitata saepius placent; ita turpia quoque imitatione redduntur iucunda ac pulchra, quod non res ipsas, sed artem imitantis, in his spectamus, eaque delectamur. Ceterum hanc pulchri partem primus, ni fallor, Plato tetigit, eiusque naturam aperuit. De musica autem, poësi, ac saltatione quae docet, affinia sunt supra in libris de republica disputatis; fusius tantum explicata, & nonnullis, ut mox patebit, accuratius ea definientibus aucta.

Cum autem non omnis aetas ad saltandum & canendum sit apta: pueris maxime tradamus, quae de virtute modo diximus, canenda; adolescentibus ad trigesimum usque annum, ut aliis cantilenis eadem confirment, pueriſque Deorum experant pacem, iniungamus; viris ad sexagesimum usque annum eadem liceat canere; senes autem sermonibus haec omnia explicare iubeamus. Qualem autem in his vini deceat esse usum, iam videamus: seniores, ad saltandum & canendum segnes, simul pudore prae-

pediti, ac ad triſtitiam & ſeria proniores, quo publicae fiant laetitiae participes, auſteritatemque deponant, ſunt hilarandi. Pueris, ne ignis addatur igni, vino plane interdicendum: adoleſcentibus ad trigeſimum uſque annum parcus eius uſus concedendus: qui quadrageſimum ſuperarunt annum, iis, in conviviis communibus largior vini hauſtus indulgendus, ita tamen, ut ab ebrietate abſtineant, & iuvenibus ac adoleſcentibus praeſint, eorumque moderentur laetitiam. Hanc ob cauſam noſſe eos muſices regulas, ac in cantu & ſaltatione quae recta ſunt & pulchra, diiudicare accurate oportet. Magnae huiuſmodi compotationes ſunt utilitatis: praeterquam enim quod animis hilaritatem, corporibus robur afferunt, cives etiam civibus conciliant, & ingens ſunt benevolentiae mutuae vinculum. Quare compotationes reliquae omnes, ſine legum auctoritate inter privatos, voluptatis tantum cauſa inſtitutae, abſint; nec liceat ulli, niſi morbus ſit cauſa, vino praeterea uti: in caſtris & magiſtratibus vino omnes abſtineant, etiam qui de rebus magnis ſunt deliberaturi, aut iudicia exercituri, aut liberis operam daturi. Servis vinum detur nullum. Subtiliſſime, & ad utilitatem publicam accommodatiſſime haec ſunt a Platone excogitata: eſſetque omnino optandum, ut haec aliaque, quae ad mores pertinent formandos, magis reſpicerent, qui ad gubernacula rerumpublicarum ſedent.

LIBER TERTIUS.

His conſtitutis, quinam legumlatoris debeat eſſe ſcopus, refutata in ſuperioribus libris opinione, quae ad bellum eſſe praecipue reſpiciendum ponebat, definire accuratius aggreditur, adeoque principium aliquod, unde

omnes deriventur leges, ſtabilire. Id ut eruatur, rerum-publicarum formas praecipuas inter ſe comparat, deſpoticam, & popularem, alteram ſervitutis, alteram libertatis exceſſu peccantem: quibus repudiatis, eſſe mediocritate opus, ut civitas libera ſit, concors, & ſapienter gubernata, & haec tria fontem legum eſſe cunctarum debere, concludit. Ne quis autem mera haec eſſe optantis ſomnia putet, ex ipſa rerumpublicarum origine, rebuſque Graecorum antiquiſſimis, id eſt, experientia, ſtudet omnia confirmare. Infinitae in infinito, quod ante nos elapſum eſt, tempore generis humani fuerunt converſiones: morbis enim, diluviis, aliiſque plurimis malis totum fere, relicta exigua parte, eſt ſaepe deletum. Qui peſtem effugere, paſtores fuere montani, artium cunctarum rudes, vitaeque urbanae expertes, urbibus quippe omnique regione campeſtri plane vaſtatis, ac perditis, quaecunque aetas prior ad commoditatem vitae & elegantiam invenerat. Cuius rei documentum eſt, quod multa hodieque nova excogitantur, id quod fieri non poſſet, ſi maiorum ſemper inventa fuiſſent ſervata. Ab his igitur rudibus, vitaeque civilis plane expertibus hominibus, noſtrae, temporis progreſſu, civitates, artes, inſtituta manarunt omnia: aucto enim numero, relictis montibus, deſcendere in planities ſunt coacti. Qui cum metallis carerent plane; cum divitiae ob inopiam ipſis eſſent ignotae; cum denique pecora ac ſilvae victum iis ſat copioſum praeberent: abſque litibus, iudiciis, certaminibus, ac bello, vitam degebant tranquillam, a malitia omni remotam, ac ſimpliciſſimam, legibus ac imperio civili non egentem; nec alio erat illis, quam domeſtico, opus imperio, ſuam quovis patrefamilias familiam regente, qualem Homerus Cyclopum fuiſſe vitam refert. Creſcente autem familiarum numero, ipſiſque familiis auctis; occupatis vallibus, ad colendum agrum ſeſe coeperunt convertere, ac urbes condere: quibus cum opus eſſet legibus, nec poſſet diutius ſua quaevis familia inſtituta, ſuaſque conſue-

tudines ſervare, cumque in rogandis legibus patrumfamilias plurimum poſſet auctoritas; ortum eſt ariſtocraticum quoddam civitatis genus. Multae autem aliae hac aetate iam erant civitates conditae: quibus bellum inter ſe gerentibus, rebuſque ſeditionibus turbatis, democraticum poſt multas magnaſque turbas emerſit reipublicae genus; unde imperia demum ſingulorum, regna ac dominationes manarunt, teſtibus, quae temporibus Troianis feruntur eveniſſe. Capta enim & diruta Troianorum urbe, multae magnaeque per omnem Graeciam exſtiterunt ſeditiones, & ad ſtatum popularem coeperunt civitates ſeſe inclinare; quarum nonnullae in Peloponneſo ſitae, inita inter ſe ſocietate, regna ſtabilierunt. Inſunt his multa egregie obſervata: ac principio quidem, elementa argumenti, quod ex artium & literarum novitate, mundum non eſſe aeternum, demonſtrat, & poſt ſcholaſticos quoſdam, optime a Reimaro eſt tractatum, hic iam apparent, licet alium in finem, ad probandum, multas orbis terrarum converſiones eſſe factas, adhibitum. Deinde quae de rudi illa hominum abſque ſocietate viventium ſimplicitate, de ſocietate domeſtica, imperioque paterno, omnis vitae civilis initio, commemorantur, a recentioribus multis probantur, & exemplis, e vita eorum petitis, quos feros ſolemus homines vocare, confirmantur, ut Plato primus ſparſiſſe diſciplinae eius, quam naturae humanae, id eſt, hominum a feritate ad vitam cultiorem progredientium, hiſtoriam vocamus, ſemina videatur. Quae denique de ariſtocratico civitatis genere, imperium domeſticum ſequente, afferuntur, eorum, qui degunt in America, hominum incultorum inſtitutis ſunt conſentanea, quippe quorum res a ſenioribus & patribus familias, unde ſenatus conflatur, adminiſtrantur. Etſi autem probabile ſit, hanc civitatis formam eſſe primam poſt familiarum in pagos ac gentes coniunctionem: neceſſarium tamen non videtur, cum in America inter barbaros reperiantur etiam regni genera, & hierarchicae civitatis exempla.

His regnis quid acciderit, ut perirent, videamus: hinc enim, non bellum, ſed aliud maius bonum, ſpectare legumlatorem debere, intelligetur. Peloponneſii tria conſtituerunt regna, Argolicum, Meſſenicum & Laconicum; regeſque, icto foedere, pepigerunt, opem ſeſe ſibi laturos, & ab interitu alterum alteros defenſuros: accedebat, quod bonorum inter cives inaequalitas, quo minus praeſtantiſſimas ferrent leges, illis non obſtabat, quod populum habebant ad accipiendas quaſvis leges promtum, ac benevolum, exercitum denique, quo non tuerentur tantum ſeſe, ſed univerſam quoque Graeciam ab inſultu quovis vindicarent. Nihilo tamen ſecius haec regna, quae fore perpetua videbantur, brevi, excepto Laconico, perierunt; cuius rei cauſa eſt haec: omnibus ea eſt hominibus inſita perſuaſio, tum demum ſeſe fore beatos, ubi, quodcunque cupiunt, licet, omniaque ex ſententia ſuccedunt; etſi ſaepiſſime haec ipſa maxime iis noceant, nec ſit ſano cuiquam optandum, ut votis reſpondeant cuncta. Cum enim quae imprudentes optamus, peſſime nobis ſaepiſſime, experientia teſte, cedant: poteſtas, qua efficere quidquid lubet poteſt, nemini prodeſt, nemo ſapiens eam concupiſcet, eademque, quo longius abeſt a prudentia animus eius, qui ea pollet, eo plus damni affert, ut quicunque ea caret, eum civitatem, domum, aut aliam, cui praeeſt, rem perdere ſit neceſſe. Regibus autem hic maxime morbus ineſt, ut plus cupiant poſſe, quam per leges licet. Quo autem planum magis fiat, regnum omne multis laborare vitiis, ſimulque quid praecipue reſpicere in condendis civitatibus legumlator debeat: regnum & democratiam examini ſubiiciamus, exceſſu, alterum potentiae unius, alteram libertatis civium, peccantes: & ſimul, ut rerum veritate dicta confirmentur, Perſarum regnum & Athenienſium ſtatum popularem ob oculos nobis ponamus. Ac Perſae quidem, regnante Cyro, libertate ſat ampla fruebantur, eratque conditio eorum inter ſervitutem ac licentiam media, quo ipſo praeclare tunc

omnia, amore ac benevolentia principes regi, cives principibus, ac milites ducibus conciliante, gerebantur. Cyrus, ut qui omnem in militia vitam transegerat, ad educandorum liberorum curam animum nunquam converterat, regumque liberos maxime indigere disciplina, non intellexerat: hos mulieribus reliquit educandos, a quibus, felicitate nova corruptis, ad Medorum exemplum mores formabantur, & omnia iis indulgendo, animi corrumpebantur. Hinc factum, ut luxuriae sese & ebrietati dedentes, & ab ipsis denique subditis contemti, omnia perderent. Darius, nec a rege genitus, nec in deliciis eductus, regnum quidem restituit quodammodo, & exemplum Cyri sequendo, civium sibi conciliavit amorem; sed Xerxem in omnis generis voluptatibus educari passus, eadem, quae Cyrus, peccavit, pravumque regni heredem reliquit. Ab hoc tempore nullus Persarum rex vere magnus exstitit; idque non casu factum, sed necessitate: tyrannorum enim & regum filii evadere viri praestantes, per eam, quam degunt, vitam, nullo modo possunt. In omni civitate, ut sit stabilis ac perpetua, honores pro rerum ipsarum virorumque dignitate ac praestantia sunt distribuendi, ita quidem, ut primus virtuti detur locus, nec dives, aut formosus, aut robustus anteponatur iusto, temperanti, ac forti; ut porro animi bona, si adiunctam habeant temperantiam, maximi fiant; haec sequantur corporis bona; extremum occupent locum munera fortunae. Hoc rerum ordine turbato, ruere in peius omnem necesse est civitatem. Iam regnum omne, regesque servare diu hunc ordinem nequeunt: sublata enim populi libertate, regnoque in dominationem verso, concordia subditos inter & principem perit; proceres regem imitantes, non populo, sed sibi, consulunt, propriique commodi gratia omnia pervertunt. Verissima sunt haec, etsi demonstrari accuratius, altiusque repeti ex ipsa hominum natura, ad potestatem nimiam, & nullis circumscriptam limitibus, semper tendente, qua

regum filii, optime licet educati, corrumpuntur, adulatione praeterea servili, ac proborum etiam naturali quadam proclivitate, ad splendorem, pompam, regiumque reliquum apparatum admirandum, quae longe se reliquis esse praestantiores, & e luto meliori praecordia sibi finxisse Titanem, persuadet regibus; aliisque insuper multis, hominum animis alte inhaerentibus seu vitiis, seu infirmitatibus, potuissent.

Athenienſium autem civitas ante Persarum bellum bene satis gerebatur: legibus enim & magistratibus obtemperare aequum omnes censebant, ipseque Persarum metus concordiam inter cives augebat. Quo factum est, ut Persae victi Graecia eiicerentur, praeclaraque illa ad omnem posteritatis memoriam facinora ederentur. Victis autem Persis, omnia ad se rapere, nimiamque sibi licentiam arrogare plebs coepit; cuius causa fuit musices priscae corruptio, & poëtarum auctoritas nimia; qui cum in carminibus & cantu nova semper auderent, vulgoque ex sola audientium voluptate haec aestimari persuaderent; peremto pudore antiquo, impudentiam, audaciam, ac licentiam animis hominum instillarunt. Quibus latius semper serpentibus, in reliquis etiam rebus cunctis, ac civitate gubernanda, arbitrium sibi plebs arrogavit, ut hodie Athenienses neque magistratibus, nec parentibus, nec legibus denique velint obedire. Ex his itaque omnibus, nimiam unius potestatem, haud minus, quam nimiam multitudinis libertatem, civitates pessumdare, intelligitur; optimas vero esse & beatissimas, quae inter dominationem unius, & licentiam vulgi sunt mediae, adeoque legumlatori id maxime studendum, ut cives sint liberi, sibi amici, ac prudentes. His dictis, Megillus, datum sibi a Cretensibus narrans negotium, ut coloniam ab iis deducendam legibus muniat, optimasque, nullo respectu habito, peregrinae sint necne, ex aliarum civitatum legibus seligat, hospitem Athenienſem ad delineandum legum exemplar hortatur.

LIBER QUARTUS.

Is, re ſuſcepta, antequam aggrediatur eam, quaedam ſcitu neceſſaria de ſitu urbis futurae, de civium numero, de legum forma, praemittit. Urbem cum dixiſſet Clinias a mari octoginta circiter ſtadia abſuturam, portum habituram ſat idoneum, ſolum omnium rerum ferax, & montibus ac ſilvis paulo aſperius, nullamque nimis propinquam urbem aliam: haec omnia vehementer probat Athenienſis. Urbes enim maritimae propter commercia, hominumque undique confluentium multitudinem, bonas leges bonoſque mores haud facile ferunt: quod quamquam & huic metuendum, ſoli tamen fertilitas & aſperitas facile avertet; quae omnia quidem ei praebebit, ſed nimiam rerum abundantiam impediet, ut nec incolis neceſſe ſit quae deſunt aliunde petere, nec peregrini ad exportanda ſuperflua alliciantur. Accedit, quod materia non abundat regio, adeoque rei navali dare operam civitas vix poteſt, quod facillime mores bonos ſolet perdere: qui enim claſſe confidunt, virtutem bellicam facile negligunt, cum paratum iis ſit ſemper fugae auxilium; iidemque honores & magiſtratus recte nunquam poſſunt hominibus mandare, cum nautarum & gubernatorum genus ſit ſemper viliſſimum, huic tamen civitati maxime neceſſarium, ideoque maxime etiam honorandum. Coloni autem deducentur ex omni Creta, & praeter eam e Peloponneſo maxime, id quod commoditates affert magnas: ad novas enim leges accipiendas, aptiſſima eſt e variis civitatibus confluens hominum multitudo; qui contra ex una aliqua urbe proficiſcuntur, haud facile mores ac vivendi genus conſuetum deſerunt. Quo autem citius novae leges accipiantur, moreſque civium celerrime fin-

gantur, optandum, ut praesit ei tyrannus, id est, ut imperium omne, omnisque maiestas sit penes unum: haec enim civitatis forma ad inducendos novos mores est maxime idonea, post eam monarchia, deinde democratia; ubi vero plures praesunt reipublicae, seu in aristocratia, haud facile mutari quidquam potest. Quod si tyrannus is fuerit iuvenis, & docenti facilis, magno praeterea animo; nihil fere ultra supereſt legumlatori optandum: hunc namque facillime cives sequuntur, quocunque eos ducere ei lubuerit; eiusque aut exemplo, aut auctoritate & potestate, sine ullo fere negotio mores mutantur. Cui si prudens obtigerit legumlator, ad optima quaevis civitatem finget: sin autem, quod rarissimum, tyrannus ipse sapientia, temperantia, ceterisque fuerit virtutibus ornatus; fieri nihil beatius & ipso, & civibus potest.

Iam, quae sit huic civitati forma futura, quaeramus, monarchica, aristocratica, an democratica? Harum nulla reipublicae nomine videtur digna, tum quod nulla fere exsistit civitas, cui formae hae insint purae, tum quod in his omnibus, imperante altera civium parte, altera servit, id quod civium felicitati nullo videtur modo conducere. Tempora namque Saturni perhibentur beatissima: cuius rei causa fuit, quod Saturnus, homines ab homine gubernari recte non posse, intelligens, daemonas iis praefecit, quorum cura a vitiis omnibus defendebantur homines, ac malis omnibus carebant. Cum igitur nulla civitas, nisi a Deo gubernetur, esse beata queat; sequamur, quoad fieri eius potest, & imitemur vitam, quae Saturno rege fuit; & ita nobis persuadeamus, si omnis penes unum aliquem, sive hominem, sive ordinem, fuerit potestas, isque animum habeat pravum, beatam esse civitatem nullo modo posse. Suam modo respiciens utilitatem, is condet leges, ex eaque iustum omne metietur, posthabita utilitate publica, quam solam esse legum cunctarum fontem ac normam supra demonstravimus. Ad honores igitur & magistratus, posthabito opum, pulchritu-

dinis, aut generis reſpectu, eos tantum evehemus, qui legibus maxime parent: ſunt enim magiſtratus legum miniſtri, & ſimulac magiſtratus legibus, non leges imperant magiſtratibus, interire civitatem neceſſe eſt. Non omnem quaeſtionis ſupra de civitatis forma propoſitae vim videtur Plato perſpexiſſe: neminem enim, cui ſummum tradatur in civitate imperium, definit; inductus in errorem, quod leges exiſtimat hominibus imperare. Leges vero, res muta & vita carens, praeeſſe hominibus ſolae nequeunt, interprete & cuſtode ſemper egent; praeterea, quod ſupra ipſe obſervavit, pro temporum varietate mutari ſaepe debent, ubi aliae ſunt abrogandae, aliae contra ferendae, cum praevidere omnia omnibuſque proſpicere nemo hominum queat. Accedit, quod, qui magiſtratus & honores civibus mandet, oportet adeſſe: quem non definit noſter, adeoque rem maximi momenti, & in qua reipublicae verſatur cardo, ſilentio praeterit. Magnum profecto hoc foret in eius republica peccatum, cui mederi nulla ratione poſſet, niſi procedente diſputatione, rediens ad id, quod obiter nunc tangit, uberius de civitatis forma diſſeruiſſet.

His praemiſſis, ad leges propius accedit, eaſque exordio, de cultu Deorum ſimul nonnulla tradens, munit: legi enim omni, praecipue quae ſit maioris momenti, exordium exiſtimat praemittendum, nec, ut fieri hodieque ſolet, ſumma verborum brevitate, ſolum, quod fieri vult legumlator, iubendum. Ut enim qui liberos curant homines medici, perſuaſionem adhibent, quo libenter ac ſponte medicinis utantur, ſervos autem ſerviliter tractant, id eſt, minis ad ſumendam medicinam cogunt: ita legumlatorem, cum liberis hominibus leges ſcribat, multumque interſit, ut libenter ac voluntate leges accipiantur, exordio aliquo, ubi de utilitate & praeſtantia legum ſingularum breviter diſputetur, perſuadere civibus, ut ſervent leges, oportet. Eadem ergo ratione totum legum corpus exordio eſt muniendum. Sapienter profecto hoc a Platone eſt excogita-

tum: legum enim cauſis non perſpectis, duras eſſe eas, aut ad ſalutem reipublicae parum utiles, ſaepe homines ſibi perſuadent, quo ipſo praefracti, & ad leges violandas redduntur proni.

Prooemium legum ita ſeſe habet: Deus, qui ſecundum traditionem maiorum, principium, medium ac finem rerum cunctarum in manu ſua habet, recta ſemper via in omnibus gubernandis incedit; eumque comitatur ius, quo legum divinarum contemtores puniuntur, quodque quicunque cupiunt eſſe felices humili animo colunt; qui contra ſuperbia, opibus, formae pulchritudine, aut amentia inflati, nullo ſeſe putant egere duce, aliiſque poſſe praeire, a Deo deſerti, dant poenas, ſemetipſos, domum, urbemque totam peſſumdando. Deum igitur ſequamur, eique ut reddamur ſimiles, ſtudeamus, id eſt, quaecunque Deo ſunt grata, faciamus, virtutem omnem, temperantiam, iuſtitiam, alias colendo; iniuſtum ac intemperantem contra, ut Deo non ſimilem, hoſtem Dei exiſtimando. Bonum porro virum ſacra faciendo, preces ad Deum fundendo, aliaque ratione eum colendo, ab eo bona impetrare omnia, ad felicitatem maximi eſt momenti, maximeque talem virum decet: cum improbus contra, quippe animo impurus, nec accedere ad Deum, nec impetrare ab eo quidquam poſſit. Quare ſuperos primum, & penates publicos, terreſtres deinde Deos, daemonas poſt hos, ac ultimo loco heroas quiſque colat. Praeter naturas divinas, iis quoque, a quibus maxima accepit beneficia, quibuſque plurima debet, id eſt, parentes, honore quivis afficiat, non referendo tantum, quae in eum contulerunt, beneficia, ſed verbis etiam eos venerando, ac ſicubi difficiles fuerint & moroſi, iis cedendo. Mortuis parentibus monumenta quiſque pro more, nec ſplendida nimium, nec etiam vilia exſtruat, inferiaſque iis, ut par eſt, faciat. Hinc intelligitur, quid ſibi velit celebre illud inter antiquos praeceptum, a multis Pythagorae tributum auctori, Sequere Deum, ſeu Deum imitare: virtutem enim

& perfectionem cum antiqui unam existimarent & eandem rem, nihil aliud iubebatur, quam esse virtuti studendum. In quo haud levem tamen in se admiserunt errorem; siquidem virtus longe distat a perfectione in universum, ut quae nostrae modo naturae est perfectio, adeoque si ad naturam referatur praestantiorem, in imperfectionem saepissime abit. Accedit, quod imitari in omnibus Deum vires longe nostras superat. Quare qui praeceptum hoc retinuerunt inter recentiores, haud satis sibi prospexerunt, & pietatis quadam specie induci sese in errorem sunt passi. Deos, daemonas, & heroas quosnam intelligat Plato, infra, occasione oblata, aptius explicabitur: nunc satis sit monere, in his Platonem sui seculi praeiudiciis nimium tribuere.

LIBER QUINTUS.

CONTINUATUR legum prooemium, & de animorum, corporum, bonorumque cura differitur. Post Deos ac parentes, animae, rei divinae, cura est gerenda, ita quidem, ut, quod in ea est praestantissimum, imperet, deterior eius pars pareat. Qua in re gravissime erratur a plurimis, animam sese, omnia sibi licere putando, ac sicubi est erratum, sese excusando, culpamque in fortunam conferendo, voluptatibus inhiando, & vitam summum bonum ducendo, colere existimantibus: verbo, quicunque alia iudicat bona, quam quae legumlator esse talia pronuntiat, in errore versatur, ob quem puniri eum demum necesse est. Maxima autem poena est, quod hominibus improbis similis redditur, probos fugit; unde miseria omnis generis proficiscitur. Qui contra optima sequitur, &, ut fiat optimus, studet, animam recte colit. Post animum corporis, & eorum, quae attinent ad corpus, cura gerenda. Corpo-

ris autem praestantia non in pulchritudine, robore, magnitudine ac similibus cernitur, ut quae inflare nos solent; sed in horum omnium mediocritate quadam, quae nec efferunt supra modum nos, nec deprimunt. Eorum, quae ad corpus pertinent, eadem est ratio; adeoque opibus ac divitiis multum inesse pretii non existimandum, siquidem & hae inflant, ac ad iurgia & seditiones reddunt pronos, ut paupertas contra humilem & abiectum gignit animum. Liberorum causa pecuniam nemo quaerat, pudorem potius ac legum verecundiam quivis liberis relinquat: quod quo fiat, cavendum senioribus sedulo, ne rem ullam turpem coram iunioribus aut faciant, aut dicant. Ut amicorum aliorumque sibi conciliet benevolentiam, & perpetuam reddat, beneficia ab iis accepta maiora semper, quam quae iis retulit, quisque iudicet. Laudem maximam, & omni Olympica victoria maiorem, hanc cives existiment, legibus per omnia obtemperare, in eoque ceteros superare. Pacta ac foedera cum peregrinis sanctissime omnes colant, ut quorum curam Deus gerit; supplices inprimis nemo laedat. Haec sunt, quae aliis maxime praestentur.

Sequuntur, quae sibi quisque debet, officia, ut optime ac beatissime vivat. Veritas cum a Diis pariter ac hominibus maximi fiat; omni studio est a nobis persequenda: eumque, qui huic studet, fidus sit, nec sponte mentiatur; fides quoque colenda, quo praeterea etiam aliorum nobis benevolentiam conciliamus. Qui iniuria neminem afficit, magni fit: sed pluris, qui ab iniuria aliis inferenda omnes arcet, & magistratibus defert, si quid est in iustitiam peccatum: maximi vero, qui magistratibus in ulciscenda iniuria fert opem. Temperantia ac prudentia sunt omnino laudandae. Qui de suo aliis impertit, in maximo sit honore: qui, cum non potest, cupit tamen esse liberalis, secundum teneat locum: qui vero invidet civibus, nihil de suo largiens aliis, vituperetur; cum virtutis omne certamen tollendo, neminemque iuvando, civitati obsit, eam-

que reddat deteriorem. Acrem quemlibet esse civem oportet, iniuriasque illatas, aut inferendas, quae scilicet vitari nullo modo possunt, ulciscí ac propulsare fortiter: indulgentem tamen in iniuriis per errorem illatis, & quibus medicina parari indulgendo potest; iniustum omnem peccare invitum ac ignorantem virtutis veraeque utilitatis naturam, esseque ob id ipsum misericordia potius quam ira dignum, semper secum reputantem. Nimius praeterea sui amor, quo nos nostraque aliis & alienis praeferimus, nosque semper recte agere nobis persuademus, est unicuique fugiendus: hinc enim fit, ut iustitiam minoris, quam nos, faciamus, simusque in aliorum aestimandis virtutibus ac vitiis iniqui. In laetitia denique & tristitia, hilaritate ac risu, nimium omne vitandum; ac in rebus molestis & laboribus ante oculos semper habendum, virum bonum a Diis non deseri, praemia virtutis ei non denegari, adeoque patienter, spe & fiducia felicitatis mox secuturae, molesta esse ferenda. Quod attinet autem ad dolores ac voluptates, ita quemque oportet existimare: temperantiam, prudentiam, ceteraque virtutes plus semper afferre iucundi, quam molesti; proinde virtutem ideo etiam praeferendam, quod iucundiorem reddit vitam. Haec omnia ad morum maxime pertinent disciplinam, adeoque in his legumlatori ad virtutem cives hortari, eamque civibus commendare est propositum. Praeclare hoc a Platone esse excogitatum, nemo facile ibit infitias, qui reputaverit secum, nulla tum temporis exstitisse instituta, quibus publice virtus civibus commendaretur, &, quomodo instituenda sit vita, homines docerentur; adeoque legumlatori sapienti, cui mores civium maxime sunt cordi, ineundam fuisse rationem, qua animos etiam emendaret. Optimae enim, sine bonis moribus, leges, parum aut nihil efficiunt; quin corruptis moribus, leges etiam ipsae pervertuntur. In hoc itaque omnis legumlationis versatur cardo: nemoque speret, rempublicam, sapientissime licet institutam, optimisque legibus munitam, fore

diuturnam, nisi morum praecipua geratur cura. Quem in finem disciplinae morum compendium quoddam, legum corpori praemittere, haud parvae videtur utilitatis, ut, quoties leges inspiciunt cives, reliquorum simul officiorum admoneantur, &, qualis debeat esse vita, singulos reddens beatos & universos, doceantur. Ceterum notemus, officia Platonem in ea, quae Deum respiciunt ac religionem, quae aliis, quaeque nobismet ipsis sunt praestanda, primum hoc loco divisisse: quam divisionem, ut ex ipsorum natura petitam, ita & tradendis ordine officiis aptissimam, iure nostri morum philosophiae doctores retinuerunt. Quod autem dicit, virtutem vitam reddere beatissimam, & pluribus, aut maioribus, aut diuturnioribus nos voluptatibus cumulare, quam vitium, verissime quidem asseritur, sed parum accurate, immo plane non demonstratur; Platonemque, ni fallor, habet auctorem. Finito legum exordio, de civium numero, & agrorum divisione, nonnulla adhuc praemittit, ut quibus tanquam fundamentis niti leges necesse est. Postquam igitur monuit, in condenda civitate hominum esse delectum habendum, ut reiiciantur mali ac improbi, boni tantum civitati adscribantur, id autem fieri semper propter angustam legumlatoris potestatem non posse; adeoque malos omni studio a reipublicae gubernaculis esse arcendos: de numero civium differit. Hunc quinque millium & quadraginta esse debere; optimum enim semper esse numerum, qui dividi plurimis modis potest: praeterea autem ad finitimos esse respiciendum, ut arcere eorum impetus civitas queat. Horum unicuique tantum assignetur agri, quantum ad alendum hominem temperantem est satis. Diis, daemonibus & heroibus prima agri portio destinanda, ut habeant cives, unde publica faciant sacra, & convenientes saepius in unum, magis noti sibi redditi, mutuo sese amore amplectantur. In numero hoc definiendo ad Pythagorica videtur mysteria respicere, quasi numero ipsi ineesset vis aliqua ad servandam rempublicam: etsi autem qui di-

vidi multifariam poteſt numerus, ad ſervandam aequalitatem & proportionem multis in rebus ſit aptiſſimus; arithmeticam tamen normam res civiles non ſemper ferunt, ut nec reliqua humana exigi ad regulas in diſciplinis traditas accurate queunt. Quod autem numerum civium non nimis magnum definit, ſapienter facit: omnis enim reſpublica admodum magna gubernari ſeſe recte ac optime non patitur, praecipue ſi mores etiam civium formandos legumlator ſuſcipiat.

Quamquam autem optima ſit reſpublica, ubi agrorum, bonorum, uxorum ac liberorum exſiſtit communio, ut quae cives habet ſibi amiciſſimos, ac maxime concordes, quo nihil exſiſtere maius ac optabilius in civitate poteſt: fieri tamen hoc vix poſſe videtur, & a communione iſta nobis eſt recedendum. Dividantur ergo civibus agri, & domus, ea tamen mente, ut ſinguli ſuam portionem toti exiſtiment civitati eſſe propriam, & ad eius utilitatem adminiſtrandam. Haec diviſio ne unquam turbetur, & agri portionum numerus augeatur, curandum: filio namque quilibet ſuum relinquat agrum; cui plures obtigerunt liberi, filias nuptum det, filios orbibus adoptandos: quod ſi plures gignantur, inhibenda eſt generatio, aut colonia deducenda; ſin pauciores, praemiis, honore, aliiſve modis promovenda, aut, cogente neceſſitate, peregrini ſunt aſciſcendi. Lege igitur haec civibus iniungantur, cui quae cuiuſque ſpectant cenſum, hunc in modum adiiciantur: quod cuique agri eſt aſſignatum, nolite parvi facere, vendentes veſtra, aut aliena ementes: magiſtratus haec curent, & in peccantes contra hanc legem animadvertant. Quaeſtui & opibus accumulandis ſtudere non licet; quique quaeſtum exercet illiberalem, dedecore afficiatur. Privatis auri & argenti poſſeſſione ſit interdictum; eamque ob cauſam quotidiani uſus gratia cives utantur pecunia, quae nullius eſt apud exteros pretii, peregrini nummi e civitate exſulent, & adhibeantur tantum ad belli ac legationum uſus: ſi quis privatus peregre

cupit abire, a magiſtratibus veniam petat, & peregrinos, quos forte nummos invexerit, magiſtratibus det commutandos. Peregrini, qui apud cives invenientur, nummi, in publicum redigantur; quique eos occultaverit, aut occultantem iuverit, mulctam pendat, & ignominia afficiatur. Dotem dare, aut accipere liceat nemini, ut nec foenerari. Haec autem recte conſtitui, apparet vel inde, quod feliciſſimi ſunt cives, ſi boni ſint viri, nemoque dives & opum ſtudioſus eſſe vir bonus poteſt; qui enim iuſte pecunia utitur, ut nec in eroganda, nec augenda pecunia iniuriam faciat, is diteſcere nullo modo poteſt. Opum praeterea inaequalitas & avaritia lites gignit, civiumque concordiam perimit. Optandum ſane eſſet, ut nemo alterum opibus vinceret: cum autem hoc fieri in noſtra civitate nequeat, ſua quovis colono bona ſecum advehente, opibus haud aequaliter inter eos a principio iam diviſis; mederi huic incommodo alia ratione decet. In quatuor, pro cenſus magnitudine, claſſes diſtribuantur cives, ut in honoribus, magiſtratibus mandandis, tributis exigendis, non cuiuſvis modo virtus, robur, generis claritas, ſed cenſus etiam reſpiciatur. Haec in legis formam redigantur ita: in civitate omni, quae futura eſt diſcordiarum expers, nec opes nimiae, nec paupertas extrema eſt toleranda; ſit itaque, qui cuivis ager ſorte evenit, modus, ad quem opes exigantur, quoque minus habere liceat nemini: hunc quadruplo efficere maiorem liceat; qui autem ultra auxerit opes, quod excedit, Diis & reipublicae curatoribus tradat, ſin minus, mulctetur, & accuſatori quidem dimidium, Diis alterum mulctae dimidium cedat. Acutiſſime Plato ex bonorum inaequalitate maximas oriri in civitatibus converſiones, omniumque fere eam eſſe malorum ac vitiorum cauſam, perſpexit. Ex altera tamen parte magna hinc quoque videntur commoda oriri: artium namque, literarum, tam elegantiorum, quam philoſophicarum ac ſeveriorum, vix ullus abſque opibus, luxu, ac bonorum inaequalitate cultus habere locum videtur; certe quamdiu a

mediocritate non recedunt reſpublicae, opeſque magnae cumulantur, in magno eae pretio nunquam habentur. Hanc autem, quae in excolenda ratione, rerumque accurata ac certa verſatur cognitione, partem neglexiſſe prorſus noſter videtur, cum nullibi, nec in libris de republica, nec in legibus, eius faciat mentionem; etſi ceteroquin maxime faciat ſcientiam, ac vehementiſſime commendet. Quae enim in republica ſua de cuſtodibus in literis ac philoſophia erudiendis praecipit, ea literas iam ſatis excultas ac ad apicem perductas ſumunt, & diſciplinam quandam Aegyptiam videntur praeſcribere, qua inventa a maioribus traduntur, nova autem nulla adiiciuntur. In ipſo reipublicae fine conſtituendo dum aberrat, his invitus & ignorans impingit: hunc enim pacem, concordiam, amicitiam, magna quidem & optanda omnibus bona, ſi virtutes inſuper alias ab eo commendatas adiicias, eſſe exiſtimans, de bona mente ſola ſollicitus, ingenium, rationem, quaeque in intelligendo verſantur animi vires, plane negligit. Hac de cauſa, omnium rerum communio, tantopere ab eo laudata, & ab enthuſiaſtis quibuſdam poſt eum nonnunquam inſtituta, haud magnis videtur laudibus ornanda: ſublata enim aemulationis cauſa, nemo excolendae rationi magnopere ſtudebit, cum ſcientia, & accurata rerum cognitio ſit de genere eorum, quae ſemel guſtata per ſe quidem delectant, ſed ad quae ſplendore quodam externo, & rebus in oculos incurrentibus excitari debent homines & ſtimulari.

Agri diviſionem inſtituit hanc: urbs ipſa in media ditione condatur, eaque, ut omnis circa ager in partes duodecim dividatur, non aequas prorſus, ſed fertilitatis habita ratione. Harum pars prima Iovi, Veſtae, ceteriſque Diis conſecretur: reliquae dividantur rurſus in tot portiones, quot ſunt cives, ita tamen, ut civi cuivis duae aſſignentur portiones, altera fertilis ſoli & minor, deterioris altera & maior: ſimul quoque ad urbis propinquitatem reſpiciatur, & civibus ſingulis portio

altera urbi propinqua, altera remotior obtingat; quo omnia inter omnes, quanta maxima possunt aequalitate, distribuantur. Hanc distribuendi agros optimam rationem sequi ficubi per loci naturam non licet; eligenda, quae ad eam proxime accedit: neque enim hoc ita accipiendum, ac si semper & ubique fieri posset, ac deberet.

LIBER SEXTUS.

CONDITAE iam & ordinatae civitati magistratus Plato praefecit: de quorum officiis & generibus hoc libro disputat, ac initio quidem nonnulla de creandis magistratibus in genere praemittit. Cum magistratibus tota nitatur respublica, nec legum, quamvis optimarum, nisi advigilent magistratus, sit ulla vis: oportet tum qui ad honores accedunt capessendos ab adolescentia esse probatos, tum, qui eos sunt creaturi, bonis esse moribus praeditos, ut idoneis tantum mandent honores. Negotium igitur hoc colonis nostris, legibus novis nondum assuetis, mandari commode nequit; rogandique sunt Cnosii coloniae auctores, ut e sua urbe triginta septem viros, quorum novemdecim sint ex colonis nostris, reliqui Cnosii, legum custodiae praeficiant, donec legibus novis colonia assueverit, liberique fuerint ad earum normam educati. Deinde vero magistratus a civitate ipsa hac ratione sunt creandi: omnibus, qui ferre arma possunt, bellisque iam interfuerunt, sit suffragiorum ius; comitiaque in templo habeant, quod sanctissimum existimabitur. Tabellam quisque, cui candidati nomen, genus, & tribus, pariter ac suffragium ferentis nomen, genus, & tribus sint inscripta, arae Dei imponat: quicunque peccatum aliquid esse in his tabulis suspicabitur, ei tabulam hanc in forum li-

ceat afferre intra dies triginta, ut probentur omnes: ex harum numero trecentas, quae reliquis fuerint praelatae, magiſtratus civitati oſtendant, ut centum inde rurſus deligantur: hinc demum civitas univerſa, quem quiſque voluerit, creet, ac archontas triginta ſeptem, qui plurima tulerunt puncta, magiſtratus renuntient. Horum munus eſto, leges ut ſerventur, curare, ideoque cuſtodes legum etiam vocantur, cenſus tabulas aſſervare, in creandis denique magiſtratibus, ut optimis mandentur honores, operam dare. Nemini ultra annos viginti hunc magiſtratum fas ſit continuare, infra quinquageſimum eum capeſſere, aut ſeptuageſimum egreſſum gerere. Hinc apparet, rempublicam hanc eſſe democratiae ſpeciem, mixtam ariſtocratiae; in qua legum cuſtodes, & ſenatus, de quo infra, optimates, qui arma ferunt comitiiſque archontes creant, plebem repraeſentant. Quod reipublicae genus ceteris longe videtur praeſtare, cum careat incommodis, quae ariſtocratiam, ac democratiam meram ſequuntur, & media quadam via inter utramque incedat. Etſi autem bella, aliaque cum peregrinis negotia, ſegnius ſoleant in hoc reipublicae genere adminiſtrari; nec ſplendidae adeo res geri, ac in monarchica civitatis forma plerumque geruntur: hoc tamen prae civium libertate & felicitate haud magni videtur faciendum, praecipue cum ſaepiſſime liceat bellis abſtinere, finitimique, quam viderint civitatem paci ſtudere, haud facile laedant. Ut autem optimis mandentur honores, omni, quo potuit, ſtudio noſter proſpexit, & quamdiu mores fuerint boni, vix improbus quiſquam creari legum cuſtos poteſt.

Hos excipiunt, qui exercitui praeficiuntur, quos creari hunc in modum Plato iubet: legum cuſtodes apud eos, qui ferre arma per aetatem debent, quos iudicant his muneribus idoneos nominent; e quorum numero eligant pro arbitrio aliquos: quod ſi quis aptiorem noverit, ab archontibus praeteritum, liceat ei hunc in candidatos referre. Qui plurima tulerint ſuffragia tres, duces conſti-

tuantur, & rei militaris praefecti. Hi milites duodecim eligant, ut eodem, quo ipsi, modo ordinum creentur ductores, tribubusque singuli praeficiantur. Senatus e trecentis sexaginta viris constet, & in partes quatuor, nonaginta singulam senatores comprehendentem, dividatur, ut e quatuor civium classibus suam quaevis partem praebeat. Hi a classibus creentur, ut nomina creandorum obsignata classes singulae afferant, primo die classis prima eorum, quibus census est amplissimus, secundo, secunda, & sic porro: die quinto nomina omnibus recitentur, & e classe quavis deligantur centum octoginta, unde sorte demum nonaginta senatores annui declarentur. Summa cura, ne quis malus gubernaculis reipublicae admoveatur, cavere Plato studet: quod autem senatum facit annuum, archontes iubet esse decem aut vigenti annos in magistratu, haud recte videtur factum. His enim cum sit maxima in civitate potestas, imperium arctioribus temporis limitibus videtur circumscribendum, ne abuti eo ad evertendam rempublicam possint. A senatu autem nihil tale facile timendum, praesertim cum praesint ei archontes, quidquam eum novare haud facile passuri, cumque insuper nemo facile anni spatio negotia civilia satis perspicere, & eloquentiae, quantum ad res in senatu disceptandas requiritur, parare sibi queat.

Ne autem a suarum rerum cura nimium distrahantur senatores, aut a publico consilio deseratur respublica, senatus in duodecim distribuatur partes: quarum singulis mensibus una curam civitatis gerat, & cum magistratibus reliquis nec interdiu, nec noctu invigilare saluti publicae desistat, ne seditiones oriantur, res noventur, aut quae ad finitimas attinent civitates, negligantur. Reliqua senatus pars eo mense suas res agat.

Sacerdotes sorte eligantur, ita tamen, ut, quibus sors faverit, nisi moribus fuerint bonis, a sceleribus puri, e domo honesta, sacerdotia non mandentur. Annua sunto sacerdotia, & sexaginta ad minimum annos nati, qui eis

fungentur. Aedilibus mandetur publicae securitatis, ac aedificiorum publicorum cura: rebus vendendis ac emendis praeficiantur agoranomi. Hi magistratus, adiuncto senatu, ac reliquis supra commemoratis, res urbanas curent. Quod attinet ad agros, & rei rusticae curam; tribus duodecim, quarum singulis duodecimam agri partem supra assignavimus, sibi quaeque tribunos quinque annuos praeficiat, qui rei rusticae curam gerant. Horum quisque duodecim e sua tribu iuvenes, a vigesimo ad trigesimum usque agentes annum, habeat sibi adiunctos, quibus agri visendi mandentur; idque munus singulis mensibus ab alio in alium transeat, quo omnes rerum rusticarum peritiam adipiscantur: hi videant, ut muniantur ab hostium incursionibus fines, arcesque & munimenta locis opportunis exstruantur, ut aquarum inundationes arceantur, & loca arida rigentur, & quae sunt huius generis alia. Sexaginta porro viri suo quique attributo iis loco sint praesidio, non adversus hostium modo irruptiones, sed finitimorum etiam ac civium causa, ut lites inter eos ac iurgia dirimant, ad quinqueviros agrorum custodiendorum ea deferentes. Hi si quid peccaverint, aut per vim ab agricolis exegerint, ignominia afficiantur, aut, pro delictorum magnitudine, poenis gravioribus.

Praeter hos omnes constituendus est etiam magistratus, qui liberis educandis praesit, gymnasiorum, musices, totiusque disciplinae curam gerat. Cum autem maximi sit momenti liberorum educatio, ut ex qua civium mores, omnisque reipublicae forma praecipue pendet: inter magistratus omnes hic praecipuum tenet locum, singularique cura legumlatori, ut bonus eligatur & idoneus vir, est circumspiciendum. Omnes igitur, excepto senatu, & quaestoribus, magistratus, in templo Apollinis, clam legum custodibus, suffragio, quem optimum quisque iudicat, liberis educandis praeficiat: qui plurima tulerit suffragia, quemque magistratus probaverint, annos quinque hunc magistratum gerat. Sapientissime hoc

e Lacedaemoniorum republica in ſuam Plato transfert; poſt Lycurgum ac Socratem inter philoſophos maxime liberorum curam commendans. Multa profecto magnaque hoc inſtitutum commoda rebuſpublicis videtur allaturum, ut mirari ſatis non poſſim, ab omnibus fere civitatibus hanc rem negligi. Una autem eius videtur cauſa, quod ſecuritati modo civium, ac magnitudini reipublicae proſpicentes legumlatores, mores civium ac virtutem aut parvi pendunt, aut his intenti, negligunt: accedit, quod plurimi civitatum rectores ſuis modo opibus & utilitatibus ſtudent, ut ſint quam maximae, civium felicitatem inſuper habentes, quin &, ne eſſe ſe homines intelligant, hominumque iure praeditos, neve plus iuſto ſapiant, dedita opera impedientes.

Sequitur iam, ut de iudicibus agamus. Si qui inter ſe litigent privati, arbitros ſibi eligant: qui ſi tranſigere rem nequiverint, ad iudices publicos pergant. Hi creentur ita: magiſtratus omnes ſtato tempore in templum conveniant, iuratique unum iudicem ſinguli, qui optimus videbitur, creent: qui ex his ab omnibus fuerint probati, iudices ſunto. Si quis perperam iudicarit, apud legum cuſtodes accuſetur, ab iiſque mulctetur. Praeter hos autem cauſarum privatarum iudices, alios oportet eſſe, qui publicas tractent, id eſt, quibus privatus reipublicae accuſatur fraudem feciſſe. His iudiciis, cum tota civitas ſit laeſa, omnes oportet cives intereſſe, ita quidem, ut quaeſtionem habeant tres magiſtratus ſummi, de quibus inter litigantes convenerit, ſententiam populus ferat. Cum autem in legibus hiſce nonnulla ſint forte praetermiſſa, aut optima ratione non conſtituta; ratae non ſtatim habeantur, ſed experimento per decem annos capto, magiſtratibuſque ſingulis, quae deeſſe videbuntur, legum cuſtodibus indicare iuſſis, communi legumlatoris & magiſtratuum conſultatione emendentur. Tum demum ratae habeantur, ut nihil deinde facile mutetur; & urgente neceſſitate, magiſtratus omnes una cum populo univerſo de iis, quae quis emendanda iu-

dicaverit, in commune consulant, nec quidquam, nisi omnium fuerit consensu probatum, mutent.

Constitutis his, de nuptiis est agendum: quarum tempus legitimum viris a vigesimo quinto, ad trigesimum quintum annum sit finitum. Legum, quae ad nuptias attinent, exordium tale sit: nuptias omnes tales decet esse, quales a probis viris iudicentur honestae; nolite igitur pauperes spernere uxores, divites magno studio quaerere; quisque eam deligat sibi uxorem, quae moribus suis quam maxime est accommodata; acer & animo calidior, placidam & remissiorem, lentus contra vehementiorem: divites enim si opulentas ducant, aut acres, calidas animo; bonorum tolletur aequalitas, & progenies ab ea, quam praecipue civitati esse saluti iudicamus, animorum & morum suavitate deficiet. Qui exactis triginta quinque annis coelebs manserit, mulctetur, a iunioribus praeterea contemnatur, ut monenti aut iubenti iuniorum pareat nemo. Ad nuptias ultra convivas viginti, e proximis tam sponsi quam sponsae cognatis, totidem viros quot feminas, adhibere, ultra minam ei impendere, & ad ebrietatem usque bibere, non liceat; deiponsatis minime, ebrietas enim ad procreandos liberos sanos & robustos maxime reddit ineptos. Novi coniuges ab affinibus & cognatis separatim habitent, ne quotidianus cum iis usus fastidium, & discordias gignat.

Servos autem ita oportet tractare, ut quam maxime dominum diligant, vivantque inter se concordes: cui maxime conducit, si non sint ex eadem patria aut gente, ut conspirare in dominum nequeant; si omnem ab iis iniuriam & contumeliam abstineamus; si severitate erga eos utentes, iocum omnem ac familiaritatem procul habeamus.

Ut liberi gignantur quam optimi studendum coniugibus, ideoque mutua sese amplectantur affectione, nec amorem alio vertant: quicunque peccati in hanc legem fuerit convictus, infamis esto.

LIBER SEPTIMUS.

NUPTIAS merito excipit liberorum educandorum ratio, cuius praecepta hic liber tradit. Hanc silentio praeterire legumlator, cum, quae a privatis hic peccantur, multa magnaque civitati inferant damna, non potest; nec legibus rursus, quomodo liberi sint educandi, praescribere, ne poenis homines assueti, leges & alias vilipendant: difficillimum enim est, in his nihil prorsus peccare, in prima praecipue liberorum aetate. Quomodo igitur liberos oporteat educere per consilii modum tradamus, ut cives recte monentem audientes legumlatorem, salutique id publicae conducere intelligentes, sponte eum sequantur. Est igitur omnis educationis scopus, ut animo & corpore fiant homines praestantissimi. Ad corpus quod attinet, cum primis id annis maxima capiat incrementa, nimioque affluente nutrimento vehementer laedatur; laboribus & exercitationibus id est temperandum. Praegnantes itaque deambulationibus utantur frequentioribus: nutrices parvulos gestantes & corpora agitantes, saepius eos moveant, nec quiescere diu sinant; caveant tamen, ne agitatione vehementiori meticulosi reddantur, aut morosi fiant ac difficiles. Horum alterum deliciae, & indulgentia nimia, alterum severitas ac servitus solent efficere: primo itaque triennio ab infantibus dolor, metus, ac tristitia, quoad fieri eius potest, prohibeatur, quin gravidae etiam ante liberorum nativitatem, ab omni vehementiori animi motu sibi caveant. A tertio ad sextum aetatis annum liberi, in suo quique vico conveniant, ibique ludendo tempus terant, moderante muliere, e singulis tribubus ad id delecta, quae nutrices admoneat, aut poenis etiam afficiat; &, liberi ut castigentur & coerceantur absque acerbitate & iracundia, curet. Exacto sexto aetatis anno, pueri a puellis separen-

tur, utrique magiſtris erudiendi tradantur. Ac pueri quidem equos regere, arma tractare, fundis & telis uti, puellae armorum uſum diſcant; praecipue autem, ut fiant ambi dextri curetur; in ſaltatione deinde, lucta, ac muſica ſeſe exerceant. Cuius rei gratia ludi quoque publici pompaeque Deorum ſunt inſtituendi: nec tamen hi nimium variandi, ſed in rebus etiam ad delectationem pertinentibus ſervanda conſtantia; magna enim in his ad mores & animos vis ineſt. Qui novis ſemper ludis ſtudent, mutabiles evadunt, & in rebus deinde civilibus novas ſemper res cupiunt, nec legibus iiſdem vivere poſſunt, quo nihil eſt ad evertendam civitatem recte conſtitutam potentius: ut enim corpora ab eo, cui ſunt aſſueta, vitae genere ſine periculo & morbis non diſcedunt; ita animi etiam, in quibus ſunt educati ac formati moribus, eos non facile relinquunt. Quae ludorum, muſices, & corporis exercitiorum conſtantia ut obtineatur, haec omnia Diis ſunt conſecranda, ac ſacerdotibus una cum legum cuſtodibus mandanda horum omnium cura. Omnes corporis exercitationes, ut in libris de republica, viris & feminis vult eſſe communes: agrum colendum, domeſticaque alia negotia ſervis relinquenda, dominis autem ordinanda tantum & diſponenda univerſa cenſet. Cum autem otioſa ſic eorum eſſe vita videatur, ut qui in conviviis tantum publicis tempus terentes, quod agant non habent, quo ipſo deſidia, luxuria, aliaque facile vitia procreantur; aliter longe ſeſe rem habere reſpondet: eſſe enim cuique negotiorum ſatis, tum in fungendis publicis muneribus & magiſtratibus, tum in adminiſtrandis privatis, tum denique in exercendis iis omnibus, quibus boni & praeclari evadunt cives, virtutemque omnem adipiſcuntur.

Decimum ubi attigerint liberi annum, literas doceantur, uſque ad tertium ſupra decimum, eoque triennio legere ac ſcribere diſcant. Tum lyram tractent, poëtaſque ſimul legant. Dein arithmeticam diſcant, quam plurimi in Aegypto pueri docentur, quaeque adeo eſt ingenio puerili

apta, ut per luſum a plurimis percipiatur: qua abſoluta, ad geometriam accedant: aſtronomia diſciplinarum agmen claudat. His de venatione nonnulla ſubiunguntur. Praecipua, ob quam civitates brevi pereunt, nec eandem diu formam ſervant, cauſa, liberorum educatio iure habetur: veriſſimum enim eſt, quod Plato obſervat, haud facile nos adduci, ut ab iis, quae pueri didicimus, & in quibus ſumus innutriti, diſcedamus, cum in naturam ſoleat conſuetudo abire. Quod ſi a teneris, ut ita dicam, unguiculis ei homines aſſuefierent civitatis formae, in qua vivendum deinde illis eſt, novatores haud facile nec exſiſterent, nec, quos mutarent, invenirent.

LIBER OCTAVUS.

SEQUUNTUR iam de diebus feſtis, & ſolemnibus celebrandis leges: quibus multa de ludis, ac publica diſciplina adiunguntur; more enim antiquorum nulla fiebant ſacra publica, quin ludi aliaque ad delectationem facientia adiicerentur, ut quae ad cultum Deorum pertinere omnia ſibi perſuadebant. Nec id perperam: cultus enim numinis publicus ubi omni caret ad exhilarandum animum ſolemnitate, triſtior eſt, animoſque ad triſtitiam inclinat; ubi contra civibus ipſis ſeſe oblectandi cura relinquitur, in ſua quiſque vitia ruit, & alius alio modo terere tempus ſtudet, quo ipſo, res ſuas ſeparantes a publicis, privatam utilitatem ac delectationem publicis docentur anteponere. Magna inſuper publicis ludis ineſt ad hilarandos animos, cives civibus conciliandos, vitamque reddendam beatiorem, vis; ut adeo haud recte nos haec omnia neglexiſſe, & ſpectacula eiuſmodi publica abire in deſuetudinem paſſi videamur. Ludorum occaſione de exercitiis armorum mul-

ta quoque Plato praecipit: quae cum antiquae bellorum rationi ſint propria, praeteriri commode poſſunt, ut adeo & in hoc dialogo mihi liceat eſſe breviori.

Quovis anni die a magiſtratuum aliquo ſacrum Deo aut daemoni publicum fiat, circumeunte in orbem ſacrificandi cura. Menſibus praeterea ſingulis, ſuo quaelibet tribus Deo, unde nomen ipſi eſt inditum, ſacra faciat. Cum autem qui beate rectèque vult vivere, non modo ne iniuriam inferat, ſed ne ſibi inferatur etiam, debeat cavere, & paratus ſemper ad arcendam iniuriam eſſe: inter certamina, quae fiunt in honorem Deorum, militaria quoque exercitia ſunt collocanda, unuſque quovis menſe dies his deſtinandus, quo per ludum, pugnae, aliaque in bello obvia repraeſententur, haud aliter ac fieri in bello vero ſolent. In his certaminibus, praemiis, fortiumque virorum laudibus canendis, accendere civium animos ad virtutem oportet; &, quo propius imitatio accedat ad veritatem, telis uti, iis, quae in bello adhibentur, quam ſimillimis, nec, ſi quem forte aliquis interfecerit, ulciſci. Quod autem civitates pleraeque haec belli ſtudia negligunt, e duabus maxime cauſis proficiſcitur, lucri & divitiarum cupiditate, ad faciendum quaeſtum omnes ſtimulante, ac a rebus aliis avertente; & ipſis rerumpublicarum formis. In omni enim civitate, ubi imperium eſt penes unum, ſive is tyrannus ſit, ſive optimatum collegium, aut populi concilium, invitis imperatur civibus, &, qui tenet imperium, reliquos metuens, ne fiant bellicoſi impedire omni ratione ſtudet, ab armorum exercitiis eos arcens. Nos autem, cum quem timeamus non habeamus, in armis cives ſemper exerceamus, & reliqua etiam corporis exercitia, curſum, luctam, artem equeſtrem, muſicam quoque, ad praeparandos bello cives adhibeamus.

His ſic inſtitutis, adoleſcentibus cum virginibus ſemper fere verſantibus, has enim in publico ſemper eſſe, & tractare eadem diximus, quibus adoleſcentes ſtudent; vacuis praeterea civibus a durioribus & ſervilibus laboribus, cho-

ris, feſtis, conviviis publicis celebrandis plurimum intentis: morum corruptio, ac omnis generis laſcivia nobis videtur timenda, cum praeſertim omnes corpore ſint robuſti, & valeant optime. Contra haec nonnulla iam ſumus moliti: alia reſtant molienda. Divitias enim nimias procul eſſe iubentes, haud parum ad temperantiam profecimus: magiſtratuum praeterea oculi omnia obſervantes, multa impedient. De his autem ut recte iudicemus, praecipue de puerorum amore, quem, licet naturae repugnantem, haud ſatis coërcent Spartanorum & Cretenſium leges; amicitiae & amoris tria ſunt genera diſtinguenda: quorum alterum animorum ſimilitudine, alterum contrario quodam habitu, ut ſi egenus amat divitem, nititur, tertium ex utroque conflatur, & amor proprie nuncupatur. Primum amicitiae genus placidum, aequabile, & utriuſque utilitati ſtudens; alterum vehemens, ferum, & ſaepe ad communem utilitatem non tendens; tertium inquietum, ſibique ſaepe contrarium eſt. Qui enim corpus amat, formae tantum inhiat, eaque modo fruatur, animam inſuper habet: qui contra animam amat, hanc ornare, contemto corpore, ſtudet, animique reverentia ab omni libidine ſeſe abſtinet. Tanto igitur intervallo cum diſtent hi amores: non omnes eodem loco habendi; ſed animorum amor legumlatori probandus, reliqua duo genera tollenda. Id duobus maxime modis effici videtur poſſe: altero eodem, quo fratres abſtinere libidinem a fratribus ac ſororibus, parentes a liberis, lex quaedam non ſcripta cogit, qua nefanda haec, Diis invita, omniumque turpium turpiſſima habentur. Ab ineunte igitur aetate ea liberorum animi imbuantur opinione, quam magiſtri deinde & poëtae uno omnes ore altiſſime infigant, vincere voluptates, coërcere libidines, maximam eſſe ſummaque laude dignam victoriam, nec in pueros, aut feminas viro iam iugatas, exercere libidinem per Deos hominesque ullo modo fas eſſe. Huic autem legi alia inſuper ratione ſuccurremus, laboribus, & corporis exercitiis Venerem fran-

gendo, qui vaga utuntur Venere infames pronuntiando, & ab omnibus in civitate magistratibus & honoribus arcendo.

Post haec parandi victus ratio constituenda. Commercium maritimum cum propter damna, inde in mores manantia, reprobaverimus; legibus circa haec non est opus. Agro igitur colendo civitas nostra victum quaerat; qua de re prima sit lex: agrorum terminos nemo mutet, terminique Iovi sacrentur, ut, quicunque eos moverit, divinis pariter ac humanis afficiatur poenis. Praeterea nemo damnum vicino inferat: qui secus fecerit, super dari damni restitutionem, mulctam etiam pendat. Fontes, rivos, aquasve alias nemo ex agro vicini in suum derivet, aut intercipiat. Opificium civis nemo exerceat, cum satis omnes in studio boni communis sint occupati: artes simul duas nemo tractet, cum excellere nos in pluribus natura non patiatur. Merces peregrinae, nisi quae maxime fuerint necessariae, importentur nullae. Additis quibusdam de rebus venalibus, & peregrinis in urbe degentibus, legibus, huc librum claudit.

LIBER NONUS.

DELICTORUM & criminum praecipua genera hic liber enumerat, &, qua unumquodque sit poena ulciscendum, constituit. Ac primo quidem loco de sacrilegiis haec una cum prooemio lex sit: quicunque furari sacra meditatur, nefario quodam cupiditatis oestro agitur: a quo ut liberetur, accedat ad Deos a sceleribus purgantes, ad bonos viros, ut honesta audiat, praeceptisque sapientiae animum muniat. Quod si curare morbum nequeat, mori ei, quam vivere, praestat. Qui vero deprehensus in sacrilegio fuerit, inustis infamiae notis, virgisque caesus, si

ſervus fuerit aut peregrinus, ex urbe eiiciatur; ſin civis, capite poenas luat. Cum enim poena omnis id maxime ſpectet, ut emendetur, qui eam patitur, peregrinuſque ac ſervus non ſint probe ſecundum leges civitatis educati, meliores fieri forte poſſunt; civis contra, cum fruſtra fuerint omnia civitatis inſtituta, ut omnem reſpuens emendationem, eſt tollendus. Videant praeterea magiſtratus, ut crimen nullum abeat impunitum. Iudicia de iis exerceantur hunc in modum: audita utriuſque, tum accuſatoris, tum rei oratione, iudicum ſenior quae dicta ſunt examinet, poſt eum ceteri; perſcripta omnia obſignataque in aede Veſtae deponant, examineque repetito, donec ad liquidum res ſit perducta, ſententiam ſinguli, iurati ante, ſe ex aequo veroque pronuntiaturos, ferant. Iudicia publice exerceantur.

Poſt ea, quae in Deos peccantur, maxima ſunt, quae in rempublicam committuntur ſcelera. Quicunque principatum in civitate, aut dominationem affectat, factionum aut ſeditionum exſiſtit auctor, maximus reipublicae hoſtis eſt. Hunc excipit magiſtratus, qui in ſeditioſos aut factioſos non animadvertit, ſive fefellerint eum, ſive non fefellerint. Coniurationes omnes & factiones morte puniantur: liberi tamen coniuratorum, poena non afficiantur; hos enim ob delicta patrum poenas dare, iniquum eſt, niſi avus iam & proavus ſupplicium fuerint paſſi. De iis, qui rempublicam prodiderint, eadem lex eſto. Qui furtum fecit, duplum reddat: id ſi nequiverit, in vinculis habeatur, donec laeſum placaverit.

Cum hanc poenam omnibus ſine diſcrimine furtis Plato conſtituiſſet; Clinias, longe furtum differre a furto, publicum a privato, rei ſacrae a re profana ablata, nec eodem ſingula modo punienda, obiicit. Cui ut occurrat noſter, accuratius crimina diſtinguit, legemque adiecto eorum diſcrimine limitat. Peccatorum omnium duo ſunt genera; alia enim voluntate, alia ab invitis committuntur: quod ne videatur repugnare ſententiae, qua iniuſtum

omnem ac malum invitum esse talem statuimus; accuratius, quid sponte fiat, quid non, definiendum. De horum autem poenis sic existimandum: leges omnes cum id maxime spectent, ut iustitiam hominibus commendent, iustosque eos reddant; insanabiles morte iubebunt afficere; qui vero sanari possunt, poena leviori studebunt emendare; quare peccata sponte admissa graviore sunt poena, quam quae contra voluntatem fiunt, coërcenda. Tres sunt omnino delinquendi causae, e tribus saepe iam commemoratis animae partibus manantes: iracundia, eique affines vehementiores animi affectus, cupiditas & voluptas, ac ignorantia. Quaecunque ex ignorantia proficiscuntur peccata, levia cum sint, levibus quoque poenis coërcenda, ut errori multa etiam condonentur; quae contra voluptatem aut iram habent causam, si adsit sapientiae opinio, rectius quam legumlatorem sese sapere hominibus persuadens, gravius punienda. Accedit, quod iram & cupiditatem vinci ac subigi, ignorantiam & errorem vinci non posse, experientia docet. Irae ergo, timoris, voluptatis, doloris, invidiae, cupiditatumque in anima tyrannidem, sive noceat aliis, sive non noceat, iniustitiam dico; opinio autem de eo, quod est optimum, quaecunque suaserit, etiamsi in eo fuerit erratum, & in leges peccatum, recte tamen factum iudico, & sponte non admissum. Sacrilegi ergo, proditores, & id genus alii, si mente capti, aut senio debilitati deliquerint, reparato damno, reliqua poena sint immunes. Qui in certaminibus publicis, aut bellis civem nolens interfecerit, culpa vacet; qui per errorem alium occiderit, ab eo, quem caede destinarat, expiandus est, aliaque insuper poena, prout servus fuerit, vel liber occisus, afficiendus. Qui ira stimulante homicidium fecerit, rixis & iurgiis provocatus, absque interficiendi proposito, eodem habeatur loco, quo qui per errorem occidat hominem, duorum insuper annorum exsilio, ut coërcere iram discat, mulctetur: qui vero provocatus, iram servans, longo post tempore hominem interemerit,

triennium exſulet; ira enim diuturnior gravius eſt punienda. In his tractare noſter locum de imputatione & peccatorum magnitudine difficillimum, in morum non minus philoſophia, quam in iuris naturae diſciplina, aggreditur: qui cum novus eſſet adhuc, nec a philoſophis antea ſub examen vocatus, Platonem hallucinari, nec accurate omnia tradere, nihil mirum. Principio enim in definiendis, quae ſponte, aut inviti facimus, nonnulla confundit, errorem, & ignorantiam legis, ab opinione officii erronea, coactionem vis externae, ab animi affectuum impetu, a morbis, & ebrietate, non ſatis diſtinguens; etſi veriſſime, quod voluntate ſit & ex propoſito, omnis culpae cauſam ac fontem ponit. Deinde nec ſatisfacit ei, quam ſupra attulerat, obiectioni, conciliando inter ſe enuntiationes has, neminem ſponte eſſe iniuſtum, & ſponte tamen multa homines delinquere. Denique in definiendis ſuis cuique delicto poenis, cum, reſpici etiam damnum debere, ſupra monuiſſet; hoc deinde ſilentio plane praeterit, & quamvis tacite eius habeat rationem, poenarum tamen magnitudinem & diſcrimen huic fundamento non ſuperſtruit.

Poſtquam de praecipuis homicidii generibus, ſervorum & dominorum, coniugum, parentum ac liberorum inter ſe, deque eorum poenis nonnulla adiecit; prooemium harum legum, quo deterreri cives, ac ratione averti ab his delictis debent, foeditatem eorum ob oculos ponens, ſubiungit. Prima homicidiorum cauſa eſt divitiarum cupiditas, ex falſa manans opinione, principem opes in bonorum numero locum tenere: quam ſi deleverimus, & bona fortunae, corporis; corporis bona animae cauſa expetenda reputaverimus; nunquam divitias per iniuriam & ſcelera parare in animum inducemus. Altera cauſa eſt ambitio, qua alter melior eſſe altero eique praeferri ſtudet, unde invidia, ac contentiones proficiſcuntur: tertia denique, malefactorum conſcientia, ad tollendos conſcios ſtimulans. Quo autem magis ab homicidiis deterreantur cives, ſecum praeterea conſiderent, quod in myſteriis docetur,

apud inferos ea puniri, & iterum reverſos in hanc vitam manere talionem, qua quae fecerunt aliis, ipſis erunt rurſus patienda, ut ſimili modo ab aliis vita exuantur. Hinc igitur apparet, in myſteriis tradita fuiſſe, quae de metempſychoſi Plato multis locis exponit; unde in eam forte nos induci pateremur opinionem, antiquiſſimis iam temporibus hanc apud Graecos perſuaſionem invaluiſſe, nec Pythagoram primum verba de ea feciſſe. At cum Homerus ac Heſiodus de animarum migratione prorſus ſileant; cum nemo etiam antiquior ac fide dignus rerum geſtarum ſcriptor haec tradat; cum contra, omnes ferme Pythagoram eius faciant auctorem: ſtare haec nullo videntur modo poſſe. Quod ad Platonem autem attinet, rem facile expediemus: conſtat enim, Herodoto teſte, Pythagoreos de ſuo nonnulla myſteriis adieciſſe, & veſtium aliud genus ut adhiberetur effeciſſe; adeoque, ab iis hanc quoque manaſſe animarum migrationem, a fide non eſt alienum; praecipue cum poëtae rem adeo fabulis & ornatui poëtico aptam, Homerus maxime, de inferis multa narrans, non fuiſſent praetermiſſuri. Nec obſtat, quod infra Plato, ab antiquis ſacerdotibus hunc ſermonem manaſſe, adiicit, cum Pythagorei ad maiorem auctoritatem ſuis conciliandam opinionibus, pro antiquis, quin ab Orpheo iam traditis, ſolerent eas venditare, ſuaque priſcis carmina ſupponere.

Has leges excipiunt, quae poenas ei conſtituunt infligendas, qui alium vulneraſſet, aut iniuſte pulſaſſet: quibus enarratis, liber clauditur. His immorari neceſſe non eſt, cum coniectura de iis fieri ex allatis facile poſſit. Sunt omnes in univerſum conſtitutae a Platone poenae haud atroces: nulla morte, ignominia, exſilio, & ſacrorum privatione eſt gravior; qua in re antiquam illam ac ſimpliciorem ſecutus eſt iuriſprudentiam, a recentiorum barbarie longe remotam, civitati praeterea ſuae accommodatiſſimam, ut quae arcere ſcelera potius ſtudet, quam commiſſa punire, quaeque cives, omni modo ad virtutem

formatos, optimeque educatos, poenis atrocibus non iudicat esse coërcendos. Hoc imitandum nobis recentiores quidam scriptores sapienter proposuerunt: quorum utinam vox audiretur, viderentque civitatum rectores, ne ad extremam redacti cives inopiam, scelere vitam cogantur tolerare; furta enim, latrocinia, veneficia, & id genus alia, nisi ultima necessitate coacti, rarissime homines audent.

LIBER DECIMUS.

SEQUUNTUR iam leges de minoribus delictis, rebus nempe vi ablatis, contumeliis in magistratus, & religionum contemtu. Harum prooemium a Deorum natura ducitur: numinis enim reverentia, poenarumque divinarum metus, ab impietate, & cultus publici contemtu arcere praecipue homines debet. Qui Deos esse, quales lege iubentur existimari, persuasum habet, ab impietate omni facile abstinebit: omnis enim impietatis fons est opinio erronea, Deos aut esse nullos, aut humana non curare, aut denique nullo negotio donis ac sacrificiis placari. Haec simul audierint Deorum contemtores, petent a nobis, ut argumentis idoneis demonstremus: se enim audire haec eadem a poëtis, sacerdotibus, & oratoribus decantari; sed horum auctoritati cedendum non existimare, nisi iustis convincantur argumentis. Nec prodesset nobis, ad solem, lunam, astra, mundi ornatum, gentiumque universarum provocare persuasionem, cum solem, lunam, astra hi Deos non putent, sed lapides; ceteraque probabili ratione dici quidem, non autem certam immotamque efficere persuasionem. Quos etsi non possimus non odisse, aut vehementius in eos invehi; coërceamus tamen iram, animoque quam possumus placidissimo, adversus eos agamus, quo facilius nostras admittant rationes, ac doceri sese

patiantur. Ne autem in iis refellendis aberremus, mentem eorum accurate percipiamus, &, quid afferant eorum magistri, audiamus. Omnia dicunt maxima & pulcherrima casu esse facta ac natura, minora arte, naturam imitante, & naturae viribus utente: ignem enim, aërem, aquam & terram natura & casu esse orta; hinc corpora mundi maiora, solem, terram, astra esse conflata, quorum ope animalia deinde, plantae, quaeque alia conspiciuntur in terris, sint generata, absque Dei ullius, mentis aut consilii ope; artem postea hominumque industriam multa adiecisse, cui civilis quoque prudentia sit accensenda, adeoque leges omnes non naturam, sed artem habere auctorem, & honesta quaedam ac decora, natura, iusta vero institutis hominum esse talia, idque intelligi vel inde, quod de his semper homines disputant, novaque quotidie constituunt. Anaxagoram his carpit, Eleaticosque iuniores, Leucippum ac Democritum; & Anaxagoram quidem, quod solem esse lapidem pronuntiaverat, quod ipsum arripientes sacerdotes impietatis eum accusarunt. Socratem secutus & Pythagoreos, populari noster favebat opinioni, astris divinitatem tribuenti, adeoque cum sacerdotibus faciens, ab reprehendendo Anaxagora, qui rectius tamen veriusque de divina sentirat natura, non potuit abstinere. In Leucippum autem ac Democritum, praecipuos ac primos impietatis patronos, invehitur vehementius; idque non iniuria, cum omnem hi religionem funditus everterent, etsi verbis tueri studerent, idola quaedam fortuito atomorum cursu concreta in Deorum substituentes locum, quibus tamen id modo negotii relinquebant, ut inanem saepe terrorem hominibus inciterent, ceteroquin plane eos negligentes, nec in gubernando mundo ulla ratione occupati. Horum argumenta, brevissime simul ac nervose in summam contracta, Plato exponit, & quae inde in disciplina morum porro sequebantur, quaeque ipsi etiam vera agnoscebant, nihil esse natura iustum, subiungit.

Hos ut refellat, fundamentum, cui omnia haec innituntur, ex eorum rationibus erutum, esse falsum demonstrat: atomis nempe ex eorum opinione singulis nulla inest vita, sapientia, aut prudentia, &, ut atomis adhuc seorsim volitantibus nullum exsistit animal, ita nulla quoque anima, nullaque res vivens, ut quae post atomorum demum concretionem sunt ortae; vita enim & sensus, omneque animae genus, atomis rotundis ac igneis coëuntibus procreatur. Hoc e suis hi initiis concludunt: quod si fieri non posse demonstretur, omnes eorum conclusiones, cum ipsis fundamentis, necesse est corruere. Quaecunque ab iis in doctrina de Deo sunt errata, ex hoc manant fonte, quod ordinem rerum ex ignorantia perverterunt, animamque, natura omnibus priorem corporibus, existimarunt posteriorem: quod si igitur, animam esse elementis omnique corporum genere priorem, demonstretur, eandemque ordinis decorisque in corporibus esse causam; prostrata horum impietas iacebit. Acutissime profecto noster, sic maxime atomistarum subrui aedificium, animadvertit; sed praeteriit eum, contra Leucippum ac Democritum se modo pugnare, non omnem huius generis impietatem funditus tollere: quid enim, si quis cum Gassendo ac hylozoistis antiquioribus, vitam & sensum atomorum oriri concretione, ita contendat, ut atomis singulis quaedam horum iam insint rudimenta, seu elementa prima, unde, unitis demum plurium atomorum viribus, apertiores ac manifestiores exsurgant vires animorum? quid si dicat, vitae haec elementa natura quidem esse corporea mole priora, non tempore, nihilque amplius Platonis ratiocinio effici? Cui si occurrat Plato, animam, id est, naturam quandam singularem, vita & sensu plane iam praeditam, corpore esse antiquiorem, sese demonstrasse; hoc ipsum anceps adhuc esse, nec sequi ex fundamentis ab eo iactis, regeret atomorum patronus. Sed videamus ipsam eius argumentationem, quo hoc appareat magis.

Non omnia quiescere, sed quaedam moveri, experientia satis docet; indeque, esse in rerum natura motum, satis constat. Sunt autem motus genera haec: quae moventur, aut in uno eodemque loco, aut ex alio in alium moventur; quorum illud motum in orbem, hoc eorum, quae progrediuntur, motum complectitur. Quae porro ex alio in alium transeunt locum, si sibi ex adverso inciderint, aut rumpuntur ac dissiliunt, aut sibi adhaerentia copulantur: illa minui, haec crescere dicuntur. Quae minuuntur, si priorem prorsus formam amittunt, perire; quae copulantur, si novam ac sensui obviam adipiscuntur formam, dicuntur generari. Eorum denique, quae moventur, alia mota quidem movere, sed sibimetipsis largiri motum nequeunt; alia contra movere semet & alia, coniungendo, disiungendo, generando & corrumpendo possunt. Ex his decem motuum generibus primum, & dignitate & vi, ultimum est, quod excipit nonum: ubicunque enim aliud ab alio movetur, esse aliquid necesse est, quod primo moveat, & unde omnis aliorum motus proficiscatur: id autem moveri rursus ab alio cum nequeat, siquidem motum ab alio non movetur primo, sed secundum tenet in serie motorum locum; quod movet se ipsum, esse primum, & hunc motum reliquorum esse fontem, effícitur. Fac praeterea, omnia quiescentia moveri iam incipere; a nullo alio, quam quod se ipsum movet, fieri initium motus potest. Quod ergo semet movendi pollet facultate, omnis motus est principium: sequitur, quod motum aliunde acceptum transmittere porro potest. Iam quodcunque semet potest movere, vivere, & quod vivit, semet posse movere dicitur: substantia, quae semet potest movere, anima est: omnium ergo motuum & generationum, quae fuerunt unquam, & futurae sunt, corruptionum etiam, fons ac origo est anima, & falluntur atheissimi patroni, animam oriri e corporibus, & post corpora vitae expertia, affirmantes. Egregiam sane, a philosophis serio-

ribus praeter meritum neglectam, novamque prorsus argumentationem Plato ingreditur, morbis tamen nonnullis laborantem. Motus enim vocabulum ambiguum, nec accurate satis definitum, argumenti robur nonnihil frangit; eo maxime, quod corporum tantum motum videtur nunc significare, cum omne in universum mutationis genus ad demonstrationem fuisset adhibendum, quo facilius animae vitaeque natura inde erueretur. Atomos Democritus pollere semet movendi facultate, suaque natura ferri deorsum, ut movente alio non indigeant, eamque semet movendi vim a vita distare longe, nec anima opus esse ad motus originem explicandum, regeret. Deinde in definienda anima haud satis sibi Plato prospexit: quod enim suapte vi transire de loco in locum potest, propterea nondum dicitur vita praeditum; accedat spontaneitas necesse est, & modificandi semetipsum facultas. Condonanda tamen haec Platoni eo magis, quo magis sunt in hunc errorem proni, quicunque accurate notiones non distinguunt, quoque magis idem error apud antiquos invaluerat: antiquitas enim omnis, ut & multi hodieque, ubicunque motum aliquid suapte natura conspiciunt, esse vitam protinus concludunt; nec ulla alia fuit, cur vivere astra sibi persuaderent, causa, ut sunt barbari etiamnum, qui ignem, arbores, aliaque, quibus motus inest continuus, vivere, aut ab inhaerente iis daemone cieri, in animum inducunt.

Quod si anima prior est corpore, quae sunt animae, opiniones verae, memoria, ratiocinia, prudentia, aliaque id genus, corporibus sequitur esse antiquiora; animamque omnia moventem, & primam motus causam, gubernare omnia, cogimur fateri. Mundum itaque moveri ab anima & regi necesse est; non ab una tamen, sed duabus, cum mundo bona insint & mala, quae proficisci ab una eademque anima nullo modo possunt. Principem tamen in gubernando mundo anima bona tenet locum: ubicunque enim ordo, pulchritudo, & in rerum

viciſſitudinibus conſtantia, habet locum, ut eiſdem ſemper omnia legibus pareant; ibi praeeſſe prudentiam, ſapientiam, cereraque beneficae animae propria, neceſſe eſt. Accedit, quod mundi circuitus ipſe, mentem ei praeſidere, demonſtrat: motus enim, qui in eodem, per eadem, ad eadem, circa eadem, eodem ſemper modo abſolvitur, conſtans maxime ſibique ſimilis cum ſit; ad mentis eodem ſemper modo ſeſe habentis naturam proxime accedit; hic autem mundo, in orbem circa centrum ſemper revoluto, manifeſto ineſt. In hac etiam concluſione a ſcopo noſter aberrat: motus enim cauſam poſtquam demonſtravit eſſe naturam, vi ſemet movendi polientem; quaſi unam tantum eſſe eam iam probaſſet, ab anima gubernari cuncta ſtatim infert; cum quaeratur adhuc, quod ſuapte vi movetur, ſitne una res, an exſiſtant plures ac infinitae eiuſdem naturae res? Quod ſi magna earum exſiſtat multitudo, ab his, non ab una, aut duabus proficiſci motum, ſequitur; nec ſtatim, mundo praeeſſe animam, licet concludere. Quid enim ſi multae fuerint ſeſe moventes ſubſtantiae, quarum quaevis certam quandam ſortita ſit provinciam? Qui efficietur, mundum communi quodam gubernari conſilio, ac unam ei praeeſſe animam? Circuitus autem mundi, etſi ab una efficiatur anima; haec tamen nihil aliud praeterea curat, nec omnia ideo gubernat. Hunc ſcopulum, etſi nonnullis partibus hanc demonſtrationem reddiderit meliorem & accuratiorem, nec Ariſtoteles etiam vitat, qui & ipſe, unum eſſe motus debere principium, affirmans, eſſe id genere potius, quam numero unum, a ſe demonſtrari non animadvertit. Idem in aliud, dum ſtudet magiſtrum ſuperare, abſurdum incidit: motus enim principium omnis plane motus ſtatuens expers, intelligentiam ſeſe ei, ac ſpontaneitatem, quin & efficiendi vim adimere, non intelligit. Motor primus, cum inſtar boni aut expetendi tantum in reliquas agat intelligentias, a cauſae efficientis & ſua vi moventis ordine plurimum abeſt, nec iure quidquam dici

poteſt efficere, aut poteſtate ulla eſſe praeditus; cum boni notio non moveat nos, ſed nos potius ipſi eius intuitu nos moveamus. Melior ergo ſine dubio Platonis eſt ſententia, ſemet & alia movendi vim primae motus cauſae tribuentis; ut melior ex altera parte opinio Ariſtotelis, unum tantum eſſe primum docentis motorem, nec malam animam bonae opponentis, quo ipſo Manichaeorum errori anſam Plato videtur dediſſe, duoſque ſecum ſemper pugnantes, & dignitate ac poteſtate pares induxiſſe Deos. Quamquam autem rectius ſenſerit noſter, quam Manichaei, malam animam, brutam quandam ac rationis expertem materiae vim eſſe ſibi perſuadens; verbis tamen idem aſſirmat, nec re ipſa ſatis ſecum conſentit: animam enim hanc opponens alteri, peculiare ſubſtantiae genus innuit, ab inerti, & ſemet movere non valenti materia diſtinctum, Deoque ipſi par. Hac de re differendi occaſio commodior infra ſeſe offeret.

Quamquam autem omnia mundi corpora, ſol, luna, & aſtra cetera, ab una reguntur anima; praeeſſe tamen ſingulis peculiarem, qua circumaguntur, neceſſe eſt. Hae, quocunque tandem modo ſtellas moveant, ſive inhaerentes iis, ut animae noſtris corporibus, ſive aſſiſtentes, ac inſidentes, ut auriga currui, ſive forinſecus ea impellentes, Deorum ſunt numero habendae; unde Deos eſſe efficitur. Multis modis hanc concluſionem eſſe merito reprehenſam, neminem latet: quorum praecipuus eſt, quod plures poteſtate ac dignitate pares eſſe Deos, prono hinc alveo fluit, quod, cum mundi ordini, ac naturae praeſtantiſſimae notioni eſt contrarium, tum etiam ipſius Platonis, unum eſſe ſummum Deum, mundi conditorem autumantis, ſententiae repugnans. Fons autem & principium huius erroris eſt, quod a notione cauſae, ac motoris primi, quam fundamenti loco ſubſternit, procedente demonſtratione deflectit, inque eius locum aliam ſubſtituit vulgarem, qua Dii putabantur aſtrorum motores. Rerum a ſenſibus longe remotarum, divinarum praecipue, notio-

nes cum essent admodum adhuc confusae, nec satis, quid Dei vocabulum sibi vellet, constitutum; vitari huiusmodi errores non poterant, mente inter plurima ac longe a se invicem dissita oberrante, & mox naturam praestantissimam, mox mundi architectum, mox astrorum motorem esse Deum, existimante, neutra harum notionum satis examinata, &, quid singulae importarent, constituto.

Deos rebus universis & singulis providere, hinc porro noster demonstrat: nec erat res admodum difficilis, postquam astrorum animas in Deorum retulisset numerum, quorum motu, solis praecipue calore ac lumine, cuncta in terris gignuntur, aluntur, geruntur. Aliam tamen Plato ingreditur viam, & meliorem quidem ideo, quod ab initiis melioribus proficiscitur. Qui providentiam negant, quod bonis male, malis bene omnia cedere, quod sceleribus maxima omnia, quin imperia quoque parari cernunt; hi reputent secum, a praestanti, perfecta, bonaque natura abesse virtutem nullam, nihilque, quod sit laude dignum, & in perfectionum numero, posse. Tales cum sint Dii; desidia, inertia, incuria, negligentia, & quae sunt huius generis alia, hominibus invisa, & reprehensione digna, longe ab iis oportet esse remota. Ad operis porro cuiusque effectorem cura quoque eiusdem pertinet, huncque par est omnibus, maximis haud minus, quam minutissimis, ad salutem eius seu perniciem facientibus, prospicere. Nisi enim imbecillitas fuerit in causa; aut inertia & socordia, aut opinio, parvas res nullius esse ad totius salutem momenti, ut has negligamus, efficiunt. Horum neutrum cadit in Deos: cum enim videant & intelligant cuncta, cum summa iis insit omnia efficiendi potestas, ac bonitas praeterea; inertes esse ac desides nullo modo possunt; nec minora, quasi nullius essent momenti, ab iis spernuntur, ut quae omnia sunt Deorum; sua autem quisque nunquam negligit, aut vilipendit, & medici opificesque, parva plurimum valere ad servanda maiora intelligentes, horum quoque curam gerunt, qui-

bus inferiores esse Deos nullo modo concedendum. Egregium sane, ac, ni fallor, a Platone primo usurpatum ratiocinium, quo excogitari efficacius nullum potest. Ducitur autem a naturae omni perfectione ornatae idea: quam si cum primae causae, ac motus principii notione contulisset, & motus causam esse naturam perfectissimam demon rasset; a multis sibi erroribus cavisset. Quod quam fuerit difficile, apparet vel inde, quod nostro vix demum seculo harum rerum affinitas sit perspecta.

His demonstratis, adversariorum de Deo, hominum res negligente, nec iuste omnia dispensante, obiectionem ita diluit, ut Deum affirmet totius maxime salutem respicere, omniaque ad totius utilitatem ordinare; falli ergo, qui sui causa omnia debere fieri sibi persuadent, & quotiescunque ex animi sententia cuncta non succedunt, indignantur: partem namque totius, non totum partis gratia, fieri & administrari debere; quaecunque ergo unicuique nostrùm eveniunt, vel minima, ad salutem universi pertinere. Cum autem animae multis modis mutentur, & magna sit morum varietas; nihil aliud fuisse universi gubernatori relictum, quam ut sedes earum & loca pro cuiusvis meritis mutaret, bonas in meliorem, malas in deteriorem transferendo locum: penitus enim interire cum nec anima queat, nec materia; mutari forma ipsius universi, ac naturarum, unde conflatur, nequit, nihilque aliud relinquitur eius praesidi, quam loca animarum inter se permutare. Cuique igitur eum studuit assignare locum, ubi virtus semper victrix ac superior in universo evaderet; & cuiusque arbitrio, qualis esset futurus, qualesque mores habiturus, relicto, ordinem fatorum ita constituit, ut quo animae magis peccassent, in profundiorem semper locum detruderentur, quoque magis virtuti studuissent, eo sanctiorem melioremque post vitam sedem adipiscerentur. Hoc Deorum iudicium effugere nemo potest, neque in terrae profunditatibus sese abscondendo, nec in coelum pennis sese tollendo: quo ipso, a Diis res humanas non negligi, aut

iniuſte adminiſtrari, efficitur. Multa inſunt paucis his verbis & praeclara veritatum maximi momenti ſemina, a Platone noſtro primum ſparſa. Quam egregie Stoici ſint uſi graviſſima hac enuntiatione, ad univerſi utilitatem ſingula eſſe facta, noſque huius maxime cauſa eſſe creatos, quantam deinde Leibnitius inde hauſerit utilitatem, ad defendendam ab oppugnationibus atheorum & Epicureorum providentiam, ſatis inter omnes conſtat. Hanc Plato primus invenit, quamquam uſum eius omnem & vim nondum perſpexit: utitur enim ea modo ad demonſtrandum, poſt obitum ſuam quemque recte aut perperam factorum mercedem manere. Vitam porro alteram praeclare ad defendendum a negligentiae, aut iniuſtitiae reprehenſione numen adhibet: qua in re ſecuti ſunt eum, quicunque recte pieque de Deo philoſophantur. Platoni hoc etiam quin debeatur praeſidium, nullus equidem dubito. Verba denique, quibus fugere neminem poſſe iuſtum Dei iudicium graviſſime enuntiat, eadem fere ſunt, quae apud Pſalmiſtam etiam leguntur, ut inde ſumſiſſe, nec commercii cum Hebraeis expers plane fuiſſe, quae eſt nonnullorum eccleſiae Patrum, & ſequentium eos theoſophorum opinio, noſter videatur. Sed reputent hi, quaeſo, nullis hoc idoneis probari teſtibus, fingi potius a viris eccleſiaſticis, Platoni ſupra modum faventibus, ut philoſophiae eius pondus accedat, aut ut philoſophia Graecorum omnis, & quae praeclare ab ea docentur, ab Hebraeis videantur derivata, librorumque ſacrorum augeatur auctoritas: reputent porro, quaecunque ab his e Platone, tanquam mutuata ab Hebraeis, afferuntur, verbis videri affinia, re longe diſcrepare; eſſe denique multa, quae adeo facile ſeſe cuilibet offerunt, ut dici a pluribus & cogitari nihil ſit mirum, nec propterea alter ab altero haec accepiſſe iure dicatur. Horum de genere multa ſunt per univerſum terrarum orbem ſparſa praeiudicia, & falſae opiniones, multa etiam veritatum ſemina prima, quae de magia v. g. de divinatione per ſomnum, de rerum omnium

ex aqua ortu, de Deo uno omnium principe, ubique ferme dicuntur: horum de genere haec ipsa quoque est Dei omnia inspicientis imago; nihil enim fere aliud est, quo exprimi graviter & ad sensum hominum accommodate possit, Dei iudicium fugere neminem ulla ratione posse.

Deos autem muneribus ac sacrificiis improborum delinitos, poenae eos non subtrahere, qui superiora audivit, facile largietur: donis enim corrumpi, & a iustitia abduci sese pati, aut imbecillitatis est, aut avaritiae, aut alius alicuius vitii, cuius participes esse Deos nullo modo existimandum, siquidem qui haec faciunt, iudicibus humanis longe forent deteriores. Quae cum sint adeo intellectu facilia, ut latere neminem posse videantur; multos tamen animi pravitate excaecatos fugiunt, quibus rectissime simul & efficacissime haec ob oculos philosophus ponit, etsi a multis ante eum iam fuissent animadversa.

His demonstratis, leges de impietate aggreditur condere, accurate impiorum genera, quaeque in rempublicam inde redundant mala, enumerans, ac subtilissime distinguens. Sunt, qui Deum negantes esse, insita animi bonitate ab iniuriis abstinent, recteque vivunt; sunt, qui ex ipsa hac persuasione patrocinium voluptatibus pravisque moribus quaerunt: hi plus, illi minus civitati damni inferunt; quare illi quinquennii carcere, ut corrigantur, & ad saniorem redeant mentem, a nemine praeter magistratus, qui carceribus praesunt, per totum hoc temporis spatium conventi, ab iisque moniti, puniantur, dimissi deinde, si eodem scelere sese rursus polluerint, morte plectantur; hi contra in vinculis per totam habeantur vitam, post mortem trans reipublicae fines insepulti abiiciantur. De religione autem in universum sic statuatur: privata nemini liceat sacella habere, aut privatis uti sacris; publicos quisque Deos colat. Hinc itaque intelligitur, priscos atheismi crimen leve, nullaque animadversione dignum non existimasse; & Athenienses, Protagoram eiusque librum, & Diagoram, finibus eiiciendo, Anaxagoram ob

negatam ſolis divinitatem in iudicium vocando, ipſam etiam, quae Deos tollit, punire impietatem voluiſſe: quod ſi enim animos omnium occupaſſet perſuaſio, licere cuivis de Diis, quae placerent, ſentire, nec intereſſe reipublicae, quidnam de iis doceatur; pluribus Plato, alia omnia iubens, haec refutaſſet, nec indefenſam ſiviſſet legem, adeo vulgi opinioni repugnantem.

LIBER UNDECIMUS.

RELIGIONEM excipiunt negotia civilia minoris momenti, pacta, contractus, & id genus alia. Theſaurum effoſſum ſibi vindicare privatum vetat; non licere enim, quae non depoſueris, tollere: indicio ergo ad magiſtratus delato, oraculum Delphicum iubet conſulere, ut, quid theſauro ſit faciendum, conſtituatur. Iniqua profecto lex, & iuri naturae repugnans, quod, quorum dominus ignoratur, nec poteſt reperiri, res eſſe nullius, & primo cedere occupanti, praecipit. Eiuſdem generis eſt, quae ſequitur lex, vetans, quod quis perdiderit, aut caſu amiſerit, tollere; qui contra fecerit, eum, ſi ſervus fuerit, iubens virgis caedere, ſin liber, capite minuere, decuplumque domino rependere. Praeterquam enim quod amiſſa multa hoc neceſſe eſt modo perire; naturali etiam iuri derogatur, tollere amiſſa, &, donec comparuerit dominus, ſibi ſervare permittenti. Nimia profecto haec eſt legum ſeveritas, quaeque ne prodeſt quidem civitati: quamquam enim cupiditates habendi ea coërceantur, fideique proſpiciatur; ex altera tamen parte peccandi augentur occaſiones, & contemtui legum cives, officiis eas a natura ſibi iniunctis repugnare intelligentes, aſſueſcunt. In emendis, vendendiſve rebus, rem omnem ſtatim tranſigi, nec in diem certum emere, aut credere cuiquam iubet: quod

quanquam ad multa maxime expediat, praecipue ne aes alienum contrahatur, habet tamen alia haud minora incommoda, cum nemo, etsi quam maxime omnia prospexerit, pecunia possit semper praesenti emere, cumque in diem certum emere saepe sit necessarium. Ut dolum malum fraudemque omnem in rerum venditione & emtione tollat, legem hoc prooemio munit: nemo verbis aut re alium decipiat, nisi Diis velit esse invisus, quos, bona fide sese agere, est testatus; pretium quisque rei eiusdem idem eodem die petat, nec rem vendendam vehementer laudet, aut Deos unquam testes advocet: qui contra fecerit, eum liceat emtori pulsare. Qui rem adulteratam vendiderit, ab accusatore convictus, eam perdat Diis dedicandam, & verberibus afficiatur tot, quot drachmis eam vendiderit. Summa tantum capita hae leges attingunt eorum, quae de vendendis, emendis, locandis, conducendis, commodandis rebus, naturae ius praecipit, nec accurate satis doli mali naturam explicant: quod intelligens forte Plato, aedilibus addendi, quae forte sint praetermissa, quaeque postulaverit necessitas, munus iniungit.

De testamentis nova & insolita noster constituturus, exordio ampliori rationem reddit: difficile cum sit, se & sua nosse, cumque legumlatoris sit, ut testamenta publice sint utilia, prospicere; relinqui nullo modo liberum cuivis potest, de bonis suis, quae reipublicae magis sunt, quam singulis civibus propria, pro lubitu disponere, praeterea in mortis articulo blanditiis cives, ut aliter de iis statuant, quam salus publica postulat, induci. Lex igitur sit haec: qui liberos habet, quem filiorum iudicabit dignissimum, heredem scribat; post hunc si quem alii dederit adoptandum: si plures sint filii, excepta forte civibus singulis assignata, de reliquis opibus, quantum libuerit, cuique leget; quorum qui domum iam habet, ei pecuniam liceat nullam legare, ut nec filiae iam desponsatae. Qui, si iorum exsors, filias habet, generum, quem lubet, heredem scribat; qui autem liberos relinquit nullos, decimam

bonorum, induſtria quaeſitorum, partem leget, cui placuerit, reliqua filio adoptando relinquat. Tutores cuilibet pro arbitrio conſtituere liceat: ſi quis reliquerit nullos, legum cuſtodes cognatis proximis tutelam mandent. Si quis inteſtatus decedens filiam reliquerit, avunculus eius, aut patruus, hanc, in bona ſimul defuncti ſuccedens, uxorem ducat: qui ſi non exſtiterit, filius eius, & ſic porro, puellam in matrimonium accipiat. Tutores pupillos perinde ac liberos diligant, eorumque res perinde ac liberorum curent: qui culpa ſua damno eos affecerit, quadruplo mulctetur. Si quis exheredare & domo eiicere filium cupit; iudicio domeſtico rem committat, cui qui cognatione & affinitate proxime eum contingunt utriuſque ſexus interſint: horum maxima parte patri aſſentiente, filius pellatur. Qui morbo, aut alia de cauſa, mentis haud ſatis compos, res ſuas diſſipat, & a filio, conſultis ante magiſtratibus, fuerit convictus, poteſtate rem familiarem adminiſtrandi prorſus exuatur. Marito cum uxore odia exercente, e legum cuſtodibus & mulieribus nuptias curantibus deni conciliare eos ſtudeant: quod ſi minus ſucceſſerit, divortium faciant, parte utravis novis ſibi nuptiis conſulente.

Poſt haec parentes praecipit colendos: id enim maxime ad Deorum etiam impetrandam pacem pertinere, ut multis conſtat exemplis eorum, quibus diras parentes ſunt imprecati. Qui ſecus fecerit, parentibus non obediendo, ad magiſtratus a parentibus delatus, ſi trigeſimum nondum ſuperaverit annum vir, ſi quadrageſimum femina, verberibus afficiantur: hac aetate maiores a iudicibus pro arbitrio puniantur. Veneficia cum duorum ſint generum, alterum ex cauſa phyſica nocens corporibus tam hominum, quam beſtiarum, aut interficiens; alterum incantationibus, cereis imaginibus, & id genus aliis laedens: bifariam de iis ſtatuendum, ut qui venenis nocuerit, ſi medicus fuerit, ad mortem damnetur, ſin medicinae imperitus, pro iudicum arbitrio puniatur; incantator &

cus, si augur fuerit, capite poenas luat, sin minus, poenam a iudicibus constitutam pendat. Cives autem, qui in triviis, aut alibi, imagines cereas, aliaque eius naturae forte conspexerint, insuper habeant, nec vehementer metuant; cum incertum sit, quid de hoc magiae genere sit existimandum, nec ad liquidum deduci facile queat. De divortiis mitius noster, ut omnis fere antiquitas, sentit, nec rem tamen totam civium arbitrio relinquit: quae sententia, ut media, imbecillitati humanae maxime videtur accommodata. Incantationibus & veneficiis haud multum videtur tribuere: quam tamen sententiam sit amplexus, haud satis aperit; magiam certe omnem non negavit, de quo infra occasio differendi apta sese offeret. Quod autem attinet ad poenam veneficis infligendam; rectius forte tutiusque fuisset de eius efficacia dubitanti, respectu ad malam potius voluntatem, & nocendi studium, quam damnum metuendum, habito, poenam constituere.

De conviciis deinde, & iis, qui falsum dixerint testimonium, qua ratione sint puniendi, agit; monitis antea nonnullis, quae ad poenarum in universum naturam spectant. In his eorum favet sententiae, seu potius, ni fallor, primus praeit, qui finem poenarum, delinquentium constituunt emendationem, civiumque aliorum territionem, ut ab iisdem sibi delictis caveant: nemo enim ideo punitur, quod peccavit, factum namque fieri infectum nequit. Haec respicientem, poenarum magnitudinem oportet legumlatorem definire. Rectissime hoc dicitur, nisi quod damni restitutio, qui primus est secundum naturae ius ultionis finis, undeque omne puniendi ius manat, silentio praeteritur.

LIBER DUODECIMUS.

PERGIT in ultimo hoc de legibus libro in constituendis minorum delictorum, inter quae nuntii falsi, furta

quaedam numerantur, poenis: quibus breviter enarratis, nonnulla ad bonos mores, disciplinam publicam facientia, quibus leges maxime fulciuntur, & ab interitu vindicantur, subiungit. Ac militiae principio, ut poenas, ita praemia quoque nonnulla commemorat. Qui per ignaviam arma abiecerit, cum infamia a militia omni arceatur, praetereaque pecunia mulctetur.

Anno circumacto, reddere magistratus omnes rationem oportet: sint itaque necesse est magistratus alii, qui eorum acta iudicent, censores quasi magistratuum: qui si probi fuerint viri, plurimum reipublicae, legibus cunctis servandis, omnique disciplinae prodesunt; sin mali, aut inertes, brevi omnia peribunt, & discordiae ac seditiones invalescentes cuncta pervertent. In his ergo magistratibus eligendis summa oportet cura uti; quod quo fiat, haec videtur ratio ineunda: post solstitium aestivum quotannis civitas omnis in locum, Soli & Apollini dicatum, conveniat, tres viros electura, ut quisque eum nominet, quem omnium, se solo excepto, optimum iudicet, quique quinquagesimum saltem aetatis annum agant; ex horum numero partem dimidiam deinde seligant, idque continuent, donec ad tres eorum numerus fuerit redactus. Hi deinde censores renuntientur, idque munus ad septuagesimum usque quintum aetatis annum continuent; ut quotannis tamen tres adiiciantur. His, quoad vixerint, primus semper locus in publicis omnibus solemnibus tribuatur, vita functis, funus honorificentissimum fiat. Qui peccaverit, eum accusare cuivis liceat; & ubi causa ceciderit, honore omni spolietur. Huic magistratui, cum maxima sit eius, omnibusque magistratibus metuenda potestas, nimium videtur Plato indulgere, ceteris fere omnibus, exceptis legum custodibus, esse diuturniorem iubendo: Romani, potestatem censoriam, quam quinquennem esse principio volebant, arctioribus deinde temporis limitibus circumscribendo, rectius videntur fecisse.

Nisi qui quadragesimum agit aetatis annum, peregri-

nari liceat nemini: qui porro ingenio sunt excellentiori, & ad diiudicanda civitatum instituta prae ceteris apti, peregre abeant, ad cognoscendas aliarum civitatum leges; & redeuntes ex itinere legum custodes adeant, quorum deinde consiliis semper interfint, ut, quaenam sint emendanda aut mutanda in legibus, inter se disceptent. Quem peregrini mores corruperint, excludatur. Invitis magistratibus, nemini liceat coram iunioribus de legibus aut civitatis forma emendandis disputare. Ad peregrinos autem quod attinet, nec admitti omnes, nec arceri commode possunt: qui enim avium instar quarundam semper vagantur, in urbem non admittantur, sed in suburbiis degentes a magistratibus, ne res novent, aut turbent, observentur. Qui leges ac instituta civitatis cognoscendi cupiditate ducti veniunt, circa templa hospitentur, sacerdotibusque cura eorum mandetur. Legati publice missi, publico excipiantur hospitio. Rarissimi denique sunt, qui accurate singula nosse cupiunt, quique eo peregrinantur consilio, ut rerumpublicarum naturas discant: his omnes adeundi domos copia fiat, &, postquam sapientiam rerum usu partam sapientibus nostris impertierint, donis & honore cumulati dimittantur.

His subiungit nonnulla de iudiciis, & litibus, de funeribus, & parentationibus, deque legum custodibus, quales debeant esse, quibusque mentis & ingenii dotibus ac thesauris ornati, ita tamen, ut leges de his condendas in illud tempus differat, quo respublica iam sit ordinata; sicque legum libris finem imponit.

EPINOMIS.

Circa finem ultimi de legibus libri noster, agens de ratione, qua legibus & reipublicae a se constitutae perpetuitas concilietur, & ab interitu ac corruptione respublica

vindicetur, maximam, immo unam ad id efficiendum vim ineſſe conſilio dixerat, cui legum cuſtodiam credidit, cuique, praeter ſeniores ad id creatos, interſunt, qui magiſtratuum optime geſtorum laudem meruerunt, qui multas peragrando urbes rerum civilium magnam ſibi prudentiam comparaverunt, qui denique iuniores, trigeſimo nondum ſuperato aetatis anno, ab his, ut optimarum rerum cognitione animi imbuerentur, ſunt adſciti. Hoc conſilium, praeter rerum civilium notitiam omni quoque eſſe ornatum virtute debere, poſtquam adiecerat; qua re animi maxime ad hanc tantam curam formarentur, quibuſque literis & ſcientiis erudirentur, in aliud tempus reiecerat definiendum. Id hoc dialogo ſibi proponit exſequendum, qui philoſophus etiam inſcribitur, quod quae legum cuſtodibus diſcenda praeſcribuntur, eadem philoſophum etiam efficiunt, ſecundum praeceptum in libris de republica traditum, tum demum beatas fore civitates, ubi aut philoſophi praeſint, aut, qui praeſunt, philoſophentur. Hanc ob cauſam eadem quoque cuſtodes legum nunc diſcere iubentur, quae in republica cuſtodibus civitatis, militaribus viris, & ad gubernacula reipublicae ſedentibus, ſunt praeſcripta. Sapientiae nomine haec omnia appellans, qua ratione ad hanc perveniatur, quaerit.

Quamquam multi ſint, qui beatum fieri & felix hominum genus negent poſſe; pauci tamen mihi videntur adipiſci in hac vita felicitatem poſſe, poſt obitum autem facilius homines eius participes futuri: multa enim, quo minus ad ſapientiam perveniamus, obſtant, tum quod in utero degentes multa a matribus prava accipimus, tum quod laboribus multis & difficultatibus nutrimur, deinde & erudimur, tum denique quod tempus, quo ad ratiocinandum & prudentia utendum maxime ſumus idonei, eſt breviſſimum. Eſſe tamen nos ad ſuſcipiendam ſapientiam aptos, cum magno ad eam ſtudio feramur, & artes aliae, ſpeciem eius prae ſe ferentes, priuſquam ſatis eam diſcernere didicerimus, ab ea nos abſtrahant, ſatis intelligimus.

Quam, qua ratione fit paranda, ut percipiamus, quaque via ad eam accedendum; artes, quae ſapientem non reddunt, conſideremus: quibus remotis, neceſſe eſt, quae ſapientiam parant, reſtare. Ac principio quidem qui ab humanis abſtinere carnibus, qui frumento ad cibum parato uti, agrum colere, domos exſtruere, veſtimenta e lana aut alia quavis materia fabricare, venari nos docuerunt, quique artes has omnes hominum generi tradiderunt maxime neceſſarias; etſi primis temporibus rudique illo ſeculo ſapientes haberentur, ſintque revera optime de genere noſtro meriti: nunc tamen ſapientiae laude non ornantur, arteſque ipſae ad ſapientiam nihil exiſtimantur valere. Deinde quaecunque artes in imitandis verſantur rerum naturis, & moribus, in pingendo, fingendo, canendo, ſaltando, ad ſapientiam quoque nihil iudicantur adiumenti afferre. Ars autem imperatorum, id eſt, belli gerendi, fortunae magis ac fortitudini a natura datae, quam ſapientiae aut ſcientiae, debetur: medicorum autem ars, etſi valde utilis ac neceſſaria, coniecturis maximam partem nititur, nec inter eas, quae ſapientia nos ornant, numeratur. Animi denique & ingenii dotes, memoria felix, ingenii acumen, aliaque, quorum ope in diſcendis ac percipiendis rebus brevi proficimus, praeter quod naturae ſunt dona, ſapientiae nomine non inſigniuntur.

Artem quaerimus, qua vere ſapientes, & boni cives, tum in magiſtratibus gerendis, tum in privatorum officiis fungendis, reddamur: quam ut inveniamus, primo loco eam contemplemur, qua demta ſtultiſſimi eſſemus futuri, omniſque prudentiae ac ſapientiae prorſus expertes. Nulla eſt haec alia, quam computandi ars: numerus enim ſapientiae omnis eſt principium ac fons, artemque, circa hunc verſantem, non caſum, ſed Deum, nobis exiſtimo tradidiſſe. Coelum, quod Dii omnes ac Daemones venerantur, omniumque nobis bonorum cauſa exſiſtit, numerum nobis eſt largitum, omnis prudentiae ac rationis fontem: quod enim animal numerare unum, duo, tria nequiverit, numerique

omnis fuerit ignarum, ne quidem quae in ſenſus incurrunt mente poterit percipere; quo ſublato, prudentia omnis, arteſque cunctae pereunt. Numero porro quod deſtituitur, ordine etiam, menſura ac modo carens, confuſe agitatur, bonique nullius eſt particeps: quare boni omnis, mali vero nullius cauſa numerus eſt habendus. Hunc Deus docuit nos hac ratione: poſtquam eam animo vim indidit, qua, quod oſtenditur, animadvertamus; diem a nocte ſegregando curavit, ut haec diſtingueremus, in iiſque unum & duo intelligeremus; lunae deinde ope menſium viciſſitudines efficiendo, numerum nobis maiorem ob oculos poſuit. Hinc, quare Pythagorei eorumque ſequaces tantopere numerum praedicent, maximamque ei ad omnia ineſſe vim ſibi perſuadeant, aliquo licet modo intelligere: in omni enim pulchro, ordinato, & ad certum quendam finem facto cum ineſſe numerum animadverterent, confuſum contra omne, ac pulchritudinis expers, numero carere; numero ipſi perperam miram eam tribuerunt vim in ordinem omnia cogendi, & ornandi, quam non a numero, ſed ab ratione ac mente ſingula diſtinguente, & ſeparatim conſiderante proficiſci, eos latebat. Numerus enim per ſe ſolus, ut pulchrae ſint & menſuris definitae res, non efficit, ſed contra pulchritudo, ordo, & menſura, ut numerus cernatur & intelligatur, ſunt in cauſa. Accedebat, quod exerceri ratio & mens ſine rerum diſcrimine, id eſt, numero, nequit: unde rationis etiam, & omnis in univerſum boni numerum eſſe fontem ſibi perſuadebant, eundem, quem in ſuperioribus, errorem errantes; numerus enim cauſa non eſt rationis, ſed primum potius eius initium, primum eius exercitium, unde ad cetera progreditur, & ſine quo peragere reliqua non poſſet. In omni quippe re diiudicanda diſtingui res, & ſeorſim menti obverſari debent, id eſt, numerari quodammodo: ubicunque eſt diſtinctionis rerum animadverſio, ibi numerus; primam itaque rationis operationem cum prima eius cauſa & fonte confundentes, numerum rationis principium putave-

runt. In his omnibus magna notionum abſtractarum regnat confuſio: quod eo minus mirum, quo eſt obſcurior numeri notio, quae noſtra vix demum aetate aliqua luce eſt perfuſa. Manifeſtiſſime id apparet e ratione, qua originem numeri Plato ſtudet explicare, ad vim animi oſtenſa animadvertendi provocans, quae, dierum noctiumque viciſſitudine excitata, numeros primos detexerit: haec enim vis, cum animalibus etiam reliquis nequeat denegari, nihil huc facit, certe accurate, ut decet, non eſt definita; noctes autem ac dies primam numero animadvertendo occaſionem vix praebuerunt, cum alia ſint nobiſque propiora, quibus iudicium exerceatur. Quae ſit numeri natura, & quibus egeamus ad numerandum animi facultatibus & praeviis notionibus, Plato perſpectum nondum habebat.

Cum autem legum finem hunc poſuerimus, Dei cultu & vitae integritate, ut optime pulcherrimeque moriamur, conſequi; numerorum ſcientiae ſuccedere eam oportet, quae de natura Deorum differit. Animal omne, anima & corpore in unam aliquam copulatis formam, gignitur, &, ut demonſtratum ſupra, anima materiam fingente. Sunt autem quinque corporum genera, aër, aqua, terra, ignis & aether; animae & incorporei contra genus unum, oculis reliquiſque ſenſibus non obvium, memoriae, rationis, aliarumque ad intelligendum neceſſariarum virium particeps; atque e quinque corporum generibus, miſcendo ea inter ſe varie, prout huic vel illi praecipuus in mixtis competit locus, varia animalium genera procreans. Quorum praecipua ſunt, animal e terra maximam partem formatum, homines nempe, animalia pedibus inſtructa, aut carentia, quaeque radicibus affiguntur terrae; animal igneum, ex igne maximam partem factum, aſtrorum ſcilicet omne genus, diviniſſimum, optimo quippe corpore, praeſtantiſſimaque anima praeditum, adeoque aut immortale omnino, aut vita maxime diuturna gaudens. Horum illud ſine ordine & conſtantia, hoc conſtantiſſime optimoque ordine movetur: unde, aſtra eſſe divina, & mente ani-

maque praedita, satis intelligitur, ut mirari multorum stupiditatem, anima carere astra affirmantium, vix satis queamus; ordo enim & constantia ubicunque cernuntur, ibi praeesse & adesse Deum, necesse est. Animae genus quod unum tantum Plato admittit, haud satis eum rerum incorporearum naturam esse scrutatum, est argumento: quod enim nostras inter & bestiarum animas intercedit discrimen, non esse animas omnes unius generis, saltem esse plura animarum genera posse, satis docet. Hinc porro absurdum illud sequitur, animas omnes divinae esse naturae, ac Dei ipsius particulas, cum non unius tantum omnes sint generis, sed ex una etiam eademque anima manent: cuius erroris fons est, quod supra iam monuimus perperam asseri a Platone, esse unum motus principium, idque esse animam, non animadverso discrimine, quod inter unum numero, & unum genere intercedit. Astra autem esse animata & divinioris naturae, nihil equidem miror, praeter plebem philosophos etiam apud antiquos sibi persuasisse: qua enim ratione tam constanter, tantoque ordine moverentur, explicare aliter vix licebat.

Tertium animalium genus est aethereum, quartum aëreum, quintum denique aqueum. Horum praecipuum est ac maxime venerandum, Deorum, quos oculis cernimus, id est, astrorum genus: quod ordine excipit ac dignitate animalium aethereorum & aëreorum genus, inter Deos ac homines medium, Deorum voluntati ad nos perferendae destinatum, bonos ac probos mire diligens, malos odio habens, voluptatis ac doloris capax, quorum expertes sunt Dii, per mundum omnem sparsum, commercium cum Diis habens, ut omnia sibi invicem communicent, oculis denique nostris haud obvium, quod uno etiam Daemonum nomine insignitur. Aqueum animalium genus, semideorum nomine vocatur, idque nonnunquam ab hominibus cernitur, cum pro lubitu exhibere sese nobis videndum, aut oculis sese nostris queat subducere. Tria haec animalium genera per somnium, aut in ecstasi prophetica, aut alio

saepe modo, ubi aegroti aut sani voces audiunt, in animis nostris solent multa efficere; unde sacrificiis aliisque modis saepissime coluntur. Hic locus ex eorum est numero, in quibus apertissime de Diis ac Daemonibus sententiam dicit; ideoque pluribus discutiendus. Ac principio quidem mirum forte multis videatur, quod astra summos esse Deos, maxime colendos, affirmat, nullius superioris, aut unius omnium auctoris facta mentione, quem in Timaeo tamen disertis verbis agnoscit. Quae repugnantia ut tollatur, haec observanda: ante mundum conditum, cum materia adhuc esset confusa, divinoque spiritu nondum afflata; anima omnis, & divina natura, una tantum erat, nec multis adhuc corporibus infusa; eaque omnis simul sumta unum illum omnium auctorem, Deorumque patrem Platoni significat. Condito autem mundo, divina haec natura per astra, aliaque animalium genera sparsa, una amplius non est: cumque astra maximam eius ac praestantissimam in praestantissimo corpore acceperint partem; haec, mundo condito, Deorum praecipuorum ac summorum obtinent locum. Idem hac de re Plato, quod Heraclitus ac Stoici, nunc videtur sentire, etsi alibi, extra mundum esse, condito etiam mundo, eius opificem, saepius affirmet; quem forte, quod nullis tum temporis religionibus coleretur, esset vulgo ignotus, silentio nunc iudicavit praetereundum. Deinde, quod ad Daemones attinet, natura eorum qualis sit, aperte satis, ac sine ambiguitate ulla docet; unde elementa eum omnia animalibus esse referta putasse, liquido constat. Huius opinionis ante Platonem apud Graecos vestigia invenio nulla: poëtae enim, Hesiodus maxime, de Daemonibus & heroibus multa canens, e quanam re constent, silentio praetermittunt; Pythagorei autem quid de Daemonum senserint natura, in incerto est, neque enim quae iuniores narrant Platonici, vera certaque sunt omnia habenda. Adduxit tamen eum, quicunque fuerit primus huius sententiae auctor, in hanc opinionem, quod antiquissimi iam Graecorum, teste Home-

ro, defunctorum animis, heroibus, ac Diis ipsis, aëream quandam subtilitatem ac levitatem tribuebant; unde, adiectis reliquis subtiliorum elementorum generibus, facile erat hanc doctrinam elicere. Ministeria eadem fere a nostro his animalibus, quae a vulgo, tribuuntur: quod autem maximum est ac praecipuum hac in re, esse daemonas ac semideos demonstrare negligit philosophus; qua in re imitati sunt eum, quicunque postea, ad recentiora usque tempora, de spiritibus, aërem, aquam, aetherem incolentibus scripsere, aut, spirituum ope mira multa posse patrari, contenderunt, persuasionem vulgi & consensum hominum ab eo sese labore liberare existimantes. Quanto haec opinio plausu ab Arabibus deinde, Paracelsistis postea, ac Theosophis sit excepta, dici vix potest, apud quos, animi simplicitate haec accipientes, demonstrationes & argumenta frustra etiam quaeras; aut si quid ad faciendam fidem a recentioribus affertur, esse id de genere eorum, quibus illudi sensibus philosophi accuratiores docent, facile intelligas. Quae de daemonum & semideorum officio noster affert, eadem a Theosophis etiam repetuntur, suntque ita comparata omnia, ut qui experientiam sequitur, & praecepta in philosophia rationali de auctoritate sensuum & testium tradita, haud facile calculum iis adiiciat.

Quicunque Deorum naturam, quaque sunt ratione colendi, recte perceperit, viaque optima hanc scientiam fuerit adeptus, is beatus sit ac sapiens necesse est, adeoque haec est illa sapientia, quam olim iam quaesivimus. Cuius ut fiant legum custodes participes, discant, quae in libris de republica diximus discenda. A Pythagoreis haec accepisse Plato videtur, ut qui in rebus sacris multum versantes, a mysteriis etiam tam Graecorum, quam Aegyptiorum, maximam sapientiae partem petentes, cultum Deorum unicum fere prudentiae ac beatae vitae fontem existimabant. Qua in re praeter Platonem secuti sunt eos Alexandrini, horumque affeclae Theosophi recentiores; non animadvertentes, experientiae ac rationis ope rerum

naturam esse cognoscendam, eoque ex fonte vitae sapienter ac beate degendae praecepta esse haurienda. Etsi autem noster, a Diis peti felicitatem nostram debere, affirmet; rationibus tamen id idoneis firmat nullis, nec quo modo prudentia, sapientia, ceteraeque virtutes sequantur e scientia de natura Deorum, explanat.

TIMAEUS.

Inter praecipua sine dubio Platonis scripta hic dialogus est referendus, in quo accuratissime argumentisque maxime firmis de Deo, mundi natura, & origine, de hominum animaliumque constitutione, tractat, ut iure totius fere philosophiae theoreticae compendium habeatur. Exstat alius Timaei Locri nomine inscriptus liber, in quo eadem fere docentur, undeque sua hausisse Plato non sine veri quadam specie insimulatur: qua in opinione cum ante annos aliquot essem, revocavit me probabilior eorum sententia, qui post Platonem hunc librum a Pythagoreo quodam sive Platonico, auctoritatem Platoni maiorem conciliaturo, suppositum affirmant. Quamquam enim a Timaeo Locro, teste Timone, quem laudat Plutarchus, quaedam sine dubio noster acceperit; omnia tamen inde hausisse dici vix potest, cum antiquitas omnis Platoni tribuat, quae in hoc Timaeo docentur, quam fugere tam insigne plagium, adversarios maxime, quos multos Plato est expertus, vix potuit.

Est autem ordo tractandi hic: Socrates cum pridie coram Timaeo, Critia & Hermocrate, de republica disseruisset, praecipua quaedam eius sermonis capita repetit, quae quod similia sunt iis, quae in libris de republica & legibus traduntur, nihil attinet in praesentia recensere; Timaeum

rogat & Critiam, ut quae reliqua sint, quaeque ipsi in se recepissent, absolvant: sese enim civibus, quomodo sese gerere erga se invicem debeant, praescripsisse; restare autem, ut quales sint futuri erga exteros, differatur. Promtum sese Critias ad satisfaciendum promisso demonstrans, refert, quae a Solone se audisse avus commemorare solitus sit: quo facto rem ita inter sese partiuntur, ut Timaeus de generis humani origine, Critias deinde de rerumpublicarum ortu ac disciplina differat. Est autem, quod narrasse ferunt Solonem, huiusmodi: eum in Aegypti urbe Sai, Athenienses, quod eandem colerent, quam & ipsa, Deam, prae ceteris diligente, cum sacerdotibus multa de antiquissimis Athenienſium rebus locutum, inter alia haec ex sacerdote quodam audisse: O Solon, pueri semper sunt Graeci, nulla scientia cana imbuti, vetustatisque plane ignari. Inundationibus enim aut igni cum multae orbis terrarum partes saepe sint vastatae, interque eas Athenarum ager, rerum gestarum memoria apud vos est deleta: apud nos contra, ab his calamitatibus immunes, quod Nilus ab ignis vi, regio autem ceteris editior ab aquarum irruptione nos defendit, quaecunque memoratu digna acciderunt, ab antiquissimis inde temporibus, literis mandata servantur. Vobis igitur, cum artes, literae, & antiquitatis monumenta saepe pereant, rudes contra omniumque ignari pastores sint superstites, denuo omnia saepe sunt inchoanda: quo fit, ut ad pueritiam saepe redeatis, nec ad senectutem gens vestra ac doctrina perveniat. Rem itaque memoratu digniſſimam prorsus ignoratis: urbs vestra pariter ac nostra condita est a Minerva, ante octo annorum millia nostra, ante novem vero vestra, cuius spatii res annalibus nostris, quos servare in templis mos est, sunt perscriptae. Leges eo tempore vestrae a nostris non abhorrebant, multaque praeclare urbs vestra gessit, inter quae hoc memoria maxime dignum: in mari Atlantico e regione freti Gaditani insula erat maxima, Asia quippe & Africa simul sumtis maior, quam Atlantidem vocabant.

Ibi reges erant opulentiſſimi, maximae continentis parti imperantes, Africae ad Aegyptum uſque, Europae ad Tyrrhenum uſque mare: qui comparatis maximis exercitibus, ſubigere quod intra Herculis columnas erat ſitum, aggrediebantur; a veſtra autem civitate repulſi, ſuis ſe tenere finibus cogebantur. Poſt haec, interiecto ſat longo temporis ſpatio, terrae motibus & inundationibus funditus haec inſula periit. Hinc quanta fuerit ſacerdotum in Aegypto iactantia, quamque facile haec praeſtantiſſimis etiam Graecorum perſuaſerint, manifeſto intelligitur: ficta haec eſſe cuncta, nec ullam in Aegypto exſtitiſſe adeo antiquam rerum geſtarum memoriam, multis non eſt neceſſe nunc demonſtrare; quae igitur de literarum iactant antiquitate, fabulae ſunt merae. Graecos antiquiores, Pythagoram, Thaletem, Solonem, Democritum, ipſum etiam adhuc Platonem, vehementer Aegyptios laudaſſe, ac magnifice de iis ſenſiſſe, nihil mirum: multis enim modis Graecos tum temporis ſuperantes, multaque illos docentes, maximi ab iis fiebant; quae ignorabant praeterea, aperire ſibi non licere callide fingentes, ingentem ſapientiae opinionem de ſe fecerunt. Quae quam fuerit inanis, facile cuilibet curioſe rem adſpicienti in oculos incurrit: nullus enim exſtat, quin nullus exſtitit unquam, ne apud Graecos quidem, Aegyptiorum liber, unde ſcientiae, aut res geſtae alias ignotae haurirentur; Hermetis ſuppoſitos a Graecis, & iis quidem ſerioribus, libros, neminem puto mihi laudaturum. Quod ſi habuiſſent Aegyptii magnam apud ſe conditam ſapientiam, aut libros praeclara docentes; latere ii ſemper, & ab exterorum regum perquiſitione eſſe tuti nullo modo potuiſſent: ut enim taceam Cambyſis, nulli rei parcentis, dominationem; Ptolemaeorum certe erudita curioſitas, ac immenſum fere libros toto terrarum orbe conquirendi ſtudium, nulli nec pecuniae parcens, nec operae, profecto in lucem hos protraxiſſet. Accedit, quod nullus ad hunc uſque diem liber, aliqua laude commendatus, vel ſecretus ob aliquam cauſam habitus, effugere

hominum curiositatem potuit, quin, si operae esset pretium, tandem vulgaretur. Quae autem de Atlantide Plato narrat, a recentioribus haud paucis ad Americam perperam tracta, traditione forte accepit, suntque eadem ferme, quae a Strabone de inundatione quadam nigri maris, unde ortum sit mare mediterraneum, referuntur.

His expositis, ad mundi ortum explicandum Timaeus accedit, cui rei geometrarum more initia substernit haec: Duo sunt rerum genera, quorum alterum sempiterna, ortus & mutationis expertia; alterum generationi & mutationi obnoxia complectitur. Horum illud ratione ac mente; hoc sensu & opinione percipitur. Quodcunque fit, a causa aliqua fiat necesse est. Opifex denique aut conditor alicuius rei, si exemplar aeternum & mutationis expers respexerit, pulchram omnibusque numeris absolutam; sin generationis & corruptionis particeps exemplar fuerit intuitus, vilem mancamque rem non elaborare non potest. Haec omnia, in superioribus commemorata saepius, quid sibi velint, obscurum esse nequit; unde fundamentorum esse instar, cum nec satis per se sint manifesta, nec etiam omni ex parte vera, non posse, satis, mea quidem sententia, apparet.

Universum, quod coelum etiam, mundum, aut alio quovis vocabulo vocamus, cum cerni tangique possit, e corpore constet, ac sensu & opinione cognoscatur; de genere eorum est, quae mutationi esse obnoxia modo diximus, adeoque non omnis expers initii, factum aliquando est, & a causa aliqua fabricatum. Cuius auctorem cum sit difficile invenire, & inventum in vulgus efferre nequeamus; ad exemplar, quo est usus, orationem convertamus, idque sempiternum esse ac mutationis expers affirmemus: mundi enim pulchritudo, ordo, ac motuum omniumque vicissitudinum constantia, perpetuum ac extra mutationem constitutum exemplar adhibuisse conditorem, satis demonstrant; cui accedit, quod mundi opifex, omnium naturarum efficiendi vi praeditarum praestantissima, nullum aliud, quam

praestantissimum, respicere exemplar potuit. Disertis hic verbis, mundum non esse initii expertem, docetur; idque accipi ita non potest, ut sempiternas quasdam mundi vicissitudines Plato intelligat, sed ut, quae antea nunquam fuerant, animalium, astrorum, aliarumque rerum genera, condita a Deo affirmet. Cui non repugnat, quod succedere sibi magnas mundi conversiones, mundumque a Deo sibi relictum in confusionem abire, donec in ordinem rursus cogatur, in Politico narrat: hoc enim ipso, a Deo ordinem ac pulchritudinem manare, huncque esse primum eorum auctorem, conceditur. Nec repugnat etiam, quod in libris de legibus, de generis humani aeternitate quaedam commemorat; ibi enim nihil affirmat, &, genus nostrum sitne sempiternum, necne, dubium relinquit: quid quod? si diserte generis nostri aeternitatem affirmasset, ne id quidem his repugnaret. Quod si in memoriam revocemus, quae de mundi vicissitudinibus, deque hominibus e terra genitis, & per generationem propagatis, afferuntur, genus humanum aeternum satis commode dici a Platone posse, facile intelligemus: quo tempore Dii ipsi mundo praesidebant, e terra homines edebantur; mundo autem sibi relicto, & a Diis deserto, per generationem propagantur; quae periodi si sibi semper succedunt, genus humanum est aeternum, nec tamen initii alicuius plane expers, cum, Deo materiam in ordinem redigente, coeperit. Fac itaque, mundum esse aeternum posse, quod multi contendunt, idque Platonem etiam existimasse; tunc facile haec omnia expediuntur: succedentibus enim sibi absque ullo initio his universi periodis, Deus auctor est ordinis, formaeque eius, qua mundus, quamdiu ab eo gubernatur, est praeditus; destitutus ab eo, in confusionem paulatim abit, rerumque omnium perturbationem, donec denuo formetur. Haec autem mundi aeternitas ab Aristotelica longe differt, vicissitudines ac periodos plane negante, eodemque semper statu mundum fuisse, & per generationem semper animalia esse propagata, affirmante. Qui itaque

hanc Platoni ſententiam tribuunt, a vero plane aberrant, nihilque ex ipſo Platone, quo interpretationem hanc fulciant, poſſunt afferre: ſunt autem in hac ſententia Alexandrini omnes, nimio Platonem Ariſtoteli conciliandi ſtudio in errorem praecipitati; quibus & Plutarchus accedit, argute magis, quam vere, Platonem ſeniorem mutaſſe ſententiam, & in politicis libris mundi favere aeternitati, narrans. Quod quamquam a fide non omnino ſit alienum, cum in aliis etiam, ut infra patebit, Timaeus ab aliis Platonis libris diſſentiat, cumque Timaeus mundi ortui magis faveat; re tamen ipſa cauſam Plutarchi & Eclecticorum parum iuvat. Hac igitur de re quid Plato ſenſerit, & utram praetulerit ſententiam, definiri liquido vix poteſt; Ariſtotelicam non eſſe amplexum mundi aeternitatem, ſatis arbitror conſtare. Reliqua, quae de mundo hic docentur, aut nova plane ſunt, aut, ſi e Pythagoreorum diſciplina forte hauſta, multis tamen modis aucta, & clariore luce perfuſa: quae nempe de mundo ad exemplar aliquod condito, praeclare docentur, hodieque ab omnibus fere, qui rectiſſime hac de re putantur ſentire, probantur. Praetermiſit tamen unum, idque maximi momenti, argumenta dico, unde indigere mundum exemplari conſtet; hoc enim ſumitur magis a Platone, quam demonſtratur. De ipſa autem exemplaris natura obſcurius, quam par eſt, loquitur, nec alibi etiam, unde haec dilucidentur, affert: quod quo pateat magis, conferamus inter ſe, quae ſparſim de exemplari hoc leguntur. Ideas, ſeu mundi ideam, eſſe exemplar, ſatis inter omnes conſtat; praeterea eius eſſe naturam aeternam, mutationis omnis & motus expertem, conſtanter Plato aſſirmat: utrum autem ideae ſint in Deo, ut notiones inſunt animae noſtrae, id eſt, utrum ideae ſint cogitandi quidam modi, ſeu mentis modificationes merae, an ſubſtantiae potius quaedam in Deo ſubſiſtentes; aut ſi non ſunt in Deo, utrum ſint res extra Deum exſiſtentes, non definitur, idque diſputandi interpretibus anſam dedit. Mihi, quaecunque ea de re apud Platonem leguntur, mecum reputanti,

haud satis eum secum consentire, videtur probabile. Ideas namque etsi aeternas saepissime, nec generationi aut corruptioni obnoxias velit esse; tamen supra a Deo rerum exemplaria affirmabat facta: quamquam nos etiam dicat idearum esse participes, easque mente intelligere, unde esse eas in animo nostro, adeoque & in intellectu divino sequitur; tamen in superiori mundi parte res veras, puras, aeternas esse docet, a Deo distinctas, & extra Deum constitutas. Quod si tamen, quod propius accedit ad fidem, quodque post Platonem omnes sunt amplexi, sequamur; ideas in mente divina, & genitas nunquam esse, affirmabimus, easque praeterea ad substantiae quoddam genus subtilissimum, & a corporea natura maxime remotum, referri. Deum enim Plato naturam sese moventem, ideas contra motus omnis expertes dicit: harum participatione & in materiam infusione quadam formari materiam, & in ordinem cogi, constanter docet; quae fieri, nisi substantiae sint ideae, vix possunt. Quae quam sint a vero aliena, multis Aristoteles modis demonstrat, ex ipsaque notionum nostrarum, unde omnia haec ducuntur, natura satis patet: peperit autem errorem ignorata vera intellectionis & idearum nostrarum indoles; quam visui comparans Plato, & per omnia similem ei iudicans, ut exsistunt res visu perceptae, & oculo obiiciuntur, ita exsistere etiam & menti obiici res contemplatas, sibi persuasit. Prima horum semina, a Pythagoreis accepta, quatenus auxerit noster & aluerit, definiri accurate nequit. Hinc igitur, quantum distet Platonis sententia, Deum, exemplaribus usum, condidisse mundum, a sententia scholasticorum, & recentiorum, idem affirmantium, satis puto patere.

Ad condendum hunc mundum Deum impulit bonitas: bonus enim cum sit Deus, omnisque adeo invidiae expers; male nihil, quoad eius posset fieri, bona vero omnia voluit efficere, mundumque sibi reddere quam simillimum. Hac de causa quodcunque sub sensum cernendi cadit, non quietum illud, sed confuse ac sine certa lege motum, in

ordinem redegit. Cum autem intelligeret, rem nullam mente carentem esse praestantiorem mente praedita, mentemque indi nulli absque anima posse; mentem animae, animam corpori indens, praestantissimum opus absolvit. Mundus ergo est animal mente praeditum. Nullum vero animalis genus, praeter id, quod omnia complectitur animalia, cum sit perfectum; similem Deus mundum reddidit animali reliqua omnia animantium genera mente percipienda continenti: quare cum unum modo sit mundi exemplar, unum quoque esse mundum, necesse est. Bonitatem, mundi finem optime, primus, ni fallor, Plato posuit, indeque, optimum esse, qui condi poterat, mundum, efficacissime demonstrat: quod ab eo accipientes Stoici, Alexandrini, Leibnitius denique, ad defendendum ab impiorum impetu Deum, summa cum laude adhibuerunt. Hinc non sine magna veri specie, mundum esse animal mente praeditum, infert: quod antiqui sumserant magis, quam probaverant; recentiores, Augustinum aliosque scriptores ecclesiasticos sequentes, haud satis tamen demonstratum existimantes, spreverunt. Quamquam enim mente praeditum praestet mente carenti, adeoque, mundo praestantissimo inesse animalia intelligentia debere, recte sequatur: totum tamen mundum anima ac mente debere praeditum esse, non efficitur; eadem enim ratione, nullam plane rem inanimatam esse a Deo creandam, sequeretur: nec verum est, quod per se sumtum praestat alteri, ut condatur divinam sapientiam ac bonitatem postulare; sed potius quod per se, & ad alia, quibuscum exsistere simul debet, relatum praestat, id debere a Deo condi, recte concluditur. Accedit, quod rerum cunctarum nexum, rationem, qua singula ad finem, quem sibi proposuit Deus, faciunt, ignorantes, in definiendo optimo saepissime erramus, unde factum, ut multi, e principio isto alia concludentes, gravissime saepe errarint; & quod maximum est, quod ipsius principii accuratam plane notionem non habemus. Optimum namque alterius respectu dicitur optimum, adeoque, Deum condere optimum debuisse mundum, nihil vult

aliud, quam condendum esse, qui sapientiae ac bonitati divinae, unique, quem sibi Deus proposuit, optimo, maxime congruit mundus: huic an ineſſe anima debeat, definiri a nobis nulla ratione potest. Quid autem sibi velit noster, mentem animae inditam, nec esse sine anima posse, dicens, id nusquam planum facit; Platonici iuniores probabilem afferunt rationem hanc: mentem, quae est divinae purissimaeque naturae, non posse sine medio aut vinculo materiae iungi crassitudini, id est, terrae, adeoque, quo corpori copularetur, indendam eam fuisse subtilioribus corporum generi, igni ac aëri, quibus sentiendi inest & concupiscendi vis. Mundi exemplar esse animal Plato dicit νοητὸν, animalia cuncta, quae mente cognoscuntur, comprehendens, ut mundus noster continet animalia, quae oculis cernuntur; adeoque hic est mundus ille intelligibilis, de quo toties Alexandrini, eorumque asseclae loquuntur; quem tamen alio sensu recentiores nonnulli accipiunt, complexum omnium, quae intellectu percipiuntur, seu veritatum aeternarum, rebus sensu cognitis oppositarum, hisque saepissime repugnantium, intelligentes. Hunc Platonici iuniores a Deo ipso distinguentes, & mentem divinam appellantes, Dei etiam filium vocare consueverunt; eique addendo mundi animam, divinae & ipsam naturae, trinitatem quandam in Deo excogitarunt, ea maxime de causa, quod ternarius ex antiqua Pythagorae disciplina ac traditione numerus maxime perfectus, rebusque praestantissimis inhaerens, existimabatur. Ab hac Platonicorum trinitate Patrum ecclesiae trinitas haud multum discrepat: Augustino enim, & hunc sequentibus scholasticis omnibus, Dei filius idem est prorsus, qui Alexandrinorum mens, ratio, sapientia, mundus archetypus. Hi omnes, quo maiorem huic opinioni conciliarent auctoritatem, in partes Platonem quoque vocarunt, re ipsa ab eis non admodum dissentientem; verbis tamen disertis nusquam exemplar mundi, Dei filium vocantem, aut sapientiam ac λόγον a Deo ipso emanasse dicentem, sed aliud trinitatis genus, de quo mox, animo fingentem. Unum

esse mundum, ex unitate exemplaris ratione non optima noster demonstrat: quid enim, si exemplar plures complectatur mundos? At animal cum sit mundus, non potest non esse unicus! Hoc ipsum eorum obversabatur animo, qui mundum cum existimarent animatum, unum propterea esse, omnes affirmarunt; non attendentes animum ad animantis naturam, quae esse plura unius speciei individua patitur. Ceterum quid importaret mundi unitas, quibusque ex rebus ea esset aut stabilienda, aut refellenda, perspectum antiqui nondum habebant.

Cum autem corporeus esset mundus condendus, qui cerni tangique posset; e terra & igne eum Deus est fabricatus: e terra quidem, ut solidus esset & tangeretur, ex igne vero, ut sub sensum cernendi caderet. Quae elementa quod copulari & in unum redigi corpus sine medio aliquo, quod vinculi instar ea contineret, nullo modo possunt; ideo Deus aërem & aquam adiecit, media proportione extrema copulantes. Quatuor haec elementa ad condendum mundum, ut nihil relinqueretur extra eum, Deus adhibuit, ne a causa externa mundus corrumperetur, essetque senectutis expers ac corruptionis. In omni hac condendi mundi ratione ab antiquitate cuncta longissime Plato discedit: omnes namque ante eum philosophi, qui ad fabricandum mundum adhibebant Deum, praeter motum primum nihil fere Deo tribuebant, reliqua sese e causis physicis, corporumque viribus posse explicare, confidentes, ac ob id ipsum a Platone & Aristotele reprehensi. Quae ratio quam sit manca acutissime intelligens noster, ultimam semper causam a Dei repetit consilio: qua in re secuti sunt eum omnes, qui sobrie deinde & accuratissime sunt philosophati; ut adeo iure sanioris theologiae & cosmogoniae auctor habeatur Plato. Qua in re multum eum sine dubio iuvit Socratis, mundum cum re arte facta, Deum cum artifice comparantis philosophia. Modum tamen & hac in re videtur excedere, omnium & singulorum quaerens fines, quorum intelligi a nobis causae non possunt; quot enim sint genera

simplicium corporum, unde reliqua conflantur, ignoramus: quod etiamsi vel maxime nobis pateret; cum compositorum omnium genera haud norimus, nec praeterea, quare plura aut pauciora, & talia modo corporum genera mundus habeat, aut habere debeat, intelligamus; causa a nobis, cur aëre, aqua, igne, & terra opus sit mundo, afferri nulla potest. Quae de elementorum inter se proportione noster differit, confusis quibusdam arithmetices & geometriae notionibus nituntur: etsi enim proportio, numerorum efficiat seriem, & ut ab altero ad alterum animus progrediatur; id tamen vinculum est metaphoricum tantum, unde vim quandam copulandi physicam elicere nullo licet modo. Parum denique constanter hoc loco mundum senectutis & corruptionis dicit expertem, quem supra sibi relictum penitus turbari affirmaverat, quemque, de astris loquens, an sit sempiternus, dubitaverat.

Eiusdem sunt etiam farinae, quae de mundi figura noster differit. Mundus, cum omnia complecti animalia, figurasque rerum omnis generis deberet, ea erat figura includendus, cuius ambitu reliquae omnes facillime continerentur: cumque praeterea optima ac pulcherrima esset figura ornandus; nulla potuit alia, praeter sphaericam, figura concludi. Accedebat, quod manibus, pedibus, aliisque organis ad sese sustentandum & alendum mundus non egebat. Huic corpori motum conditor indidit, menti ac intelligentiae aptissimum, id est, circa centrum sese volventem. Animam autem in medio mundi collocavit, per omnem mundum eam extendens, corporique eam circumdans extrinsecus, & hac ratione beatum Deum genuit. Hinc itaque apparet, mundi animam per omnem mundum esse fusam, eumque extrinsecus etiam circumdare; quod ideo videtur a Platone doceri, ne mundus, continente nullo, dilabatur, cum anima formae instar eum ab interitu vindicet: apparet porro, mundum a Platone Deum etiam vocari; quem cum a Deo dicat genitum, Dei esse filium cogitur concedere. Secutus est hac in re Heraclitum maxime, cui mundus, ex

igne, in elementa reliqua verſo, procreatus, Deus eſt: ſed quantopere hac opinione in naturam Dei, quam eſſe praeſtantiſſimam ſaepius fatetur, quamque adeo materiae neceſſe eſt contagione corrumpi, & reddi quodammodo mutabilem, peccetur, non animadvertit. Iam quaenam ſit Platonis trinitas patet: Deus, rerum omnium conditor, primo loco mundi procreavit animam, (hanc enim ante corpora formaſſe Deum, mox clarebit); qua deinde corporeae naturae infuſa, mundum genuit ipſum; quare Deus, anima mundi, & mundus, tria ſunt rerum divinarum genera ſumma, ambitu ſuo reliqua complectentia. Generandi autem vocabulo metaphorice hoc loco utitur Plato, effectionem & cauſam modo ſignificans, non omni tamen, ut ſtatim videbimus, emanatione excluſa; Alexandrini contra, hoc ipſum proprie magis accipientes, generationemque ad emanationem trahentes, alio longe ſenſu haec omnia interpretantur, quam quo a philoſopho intelliguntur. Quamquam autem, ut ex Ariſtotele liquet, non omnem Plato emanationem reſpuerit, & in deperditis quibuſdam libris propius ad Eclecticos acceſſerit: ad mundi tamen fabricam & creationem eam ſenſu eodem non adhibuit; nec ullum apud auctores fide dignos legitur teſtimonium, quo tueri ſeſe Eclecticorum interpretatio queat.

His in univerſum de mundo dictis, partes qua ratione ſint conditae, explanandum ſumit, ut de anima primo, de corporibus deinde agat. Animam, quod imperare corpori debebat, primam Deus procreavit hac ratione: e natura ſemper eadem, ac diviſionis experte, eaque, quae corporibus ineſt, diviſioni obnoxia, tertium ſubſtantiae genus, in medio amborum ſitum, miſcendo fabricatus, e tribus deinde his unam rurſus ſubſtantiam compoſuit. Hanc in ſeptem partes harmonica quadam proportione ſecatam, & ſuo cuique loco, ſecundum muſices rationes aſſignato, lineis per centrum commune duabus inſtar X literae Graecae ductis, in partes quatuor diviſit: quas lineas flectendo ita deinde copulavit, ut circulum efficerent, partes ſeptem,

modo memoratas, ambitu suo complectentem, septemque pariter circulos minores continentem. Huic circulo circumdedit octavum, e natura mutationis experte factum, cum interiores mixti naturam habeant. Motis deinde his circulis ratione eadem, qua moveri astra cernimus, naturam corpoream animae inclusam coepit formare. Hanc autem esse animae naturam, satis constat reputanti, eam ex omni rerum genere mixtam, motibusque diversis instructam, intelligere omnia: motus enim naturae mutabilis opiniones veras; naturae vero perpetuae & mutationis expertis, scientiam gignit. Obscurior in his est philosophus, ob eam forte causam, quod notiora tum temporis haec erant, quae, cum a nostris valde abhorreant opinionibus, intellectu sunt difficiliora. Praemittamus, quod totam rem magis aperit: animae mundi nomine orbes planetarum praecipue intelligit, quibus alligatae moventur; altera autem literae X pars, axis est mundi planetarum, cuius mentionem supra fecit. Cum autem septem antiqui numerarent planetas, fixas autem stellas omnes in una eademque esse regione sibi persuaderent, his unum, planetisque singulis orbem assignantes; octo tantum esse stellarum orbes existimabant. Fixarum stellarum orbis, cum esset omnium summus, nec motus in eo appareret, Dei maxime sedes, aut Deus ipse habebatur a Platone, nescio an primo: (de Pythagoreis enim haud satis constat) quem secutus deinde est Aristoteles. Quare hunc orbem e natura mutationis experte constare, hoc loco docetur; reliqui autem septem orbes, animae mundi sunt partes, mixtaeque naturae. Res itaque vere divinae, summusque omnium Deus sphaeram octavam occupans, totum cingit mundum: quae eadem Aristotelis quoque est fere sententia. Planetarum orbibus fingendis compositum naturae genus Deus adhibuit, cui praeter substantiam mutationis expertem, inesset etiam substantia mutabilis, praeter naturam divinam, materia; unde substantiae divinae genus, quamquam semper a Platone, nullas habere partes, nec pati divisionem, dicatur, esse ta-

men revera extenſum, & poſſe dividi, ſatis conſtat. Qua in re ab omni ſibi haud ſatis cavit repugnantia; & partibus carere, diviſionis non eſſe capax, non omni verborum latitudine accepit, ſed corporis reſpectu intelligens, quod partibus heterogeneis non conſtat, & in partes non dilabitur, ut corpora. Quod ſi cum his conferamus, quae de Ere Armenio in libris de republica referuntur, ſubſtantiam hanc divinam, eſſe lumen aliquod puriſſimum & ſplendidiſſimum, intelligemus: nec movebit nos, quod, animam mundi cerni nullo modo poſſe, Plato affirmat; forte enim id lumen percipere oculi corporei nequeunt. Rationem, qua mixta haec anima eſt e naturis diverſis, obſcurius noſter proponit; ſenſus tamen huc videtur redire: primo e natura perenni & mutabili inter ſe mixtis, novum ſubſtantiae genus formavit Deus; adeoque tria iam ſunt rerum genera, mutabile, immutabile, mixtum: ex his tribus denuo quartum ſubſtantiae genus conflavit mundi conditor, idque animae mundi nomine inſignitur. Quamquam autem huic enarrationi inſint difficilia quaedam intellectu, nec a Platone ulterius declarata, cum nulla appareat cauſa, ob quam bis Deus haec miſcuit; nulla tamen alia iniri ratio poteſt, & ideo forte bis haec philoſophus putavit miſcenda, quod materia copulari ſeſe naturae ſimplici, niſi accuratiſſime miſceatur, & proportio adhibeatur optima, non patitur. Eſſe autem talem animae naturam debere, inde apparet maxime, quod hac ratione ad intelligenda omnia redditur aptiſſimum, quod ita ex omnibus miſcetur: in ea enim ante Platonem omnes erant opinione, ſimile ſimili cognoſci, animamque adeo omnia intelligentem ex omni elementorum genere conflari. His nova quaedam Plato de animae motu adiecit, quorum apud antiquiores veſtigium invenitur nullum: animam moveri in orbem, motuque naturae immutabilis abſolvi ratiocinium & intelligendi actum, motu autem naturae mutabilis coniecturam, & probabilem cognitionem, ſeu opinionem; quod ſubtiliſſime ſane eſt excogitatum: in omni enim intelligendi actu anima

reflexione, fit venia verbo, utens, ad se ipsam quasi revolvitur, quod motui in orbem est quodammodo simile. Anima denique materiam habet adiunctam, cui motum natura inesse, vireſque, quas dicere consuevimus inferiores, sensum, cupiditatem, phantasiam, quae rationem adiutricem non habent, Plato existimat. Haec omnia si notionibus, quales ea tempestate erant, metiamur, subtilissima sunt, magnaque laude digna; etsi accuratioribus & verioribus collata notionibus nostris, in multam incurrant reprehensionem. Ut enim taceam, naturam mutationis expertem, & semper eandem moveri nihilominus, dividi, in multas discerpi partes, id est, mutari; materiae vitae quoddam genus tribuitur, quam esse inertem debere, multis gravissimisque rationibus evincitur; corporibusque adeo cunctis sensum inesse & vitam, necesse est. Hanc nihilo secius sententiam theosophi, multique hodie alii amplectuntur: inter quos Glisson subtilissime omnium, argumentisque metaphysicis, libro de natura substantiae energetica, vitam omni substantiae conatur tribuere; vitam a vi viva, id est, conatu agendi perpetuo non distinguens, quo omnia, quae hucusque vidi, horum hominum argumenta redeunt. Hinc colligitur etiam, ideas seu mundum archetypum a Deo Platonem non distinguere, sed naturae immutabili inesse eas existimare: ea enim animi parte, quae hinc decerpitur, intelligimus; huic ideae, & notiones insunt, quod infra de anima etiam humana patebit: quare ad ipsam Dei naturam ideae pertinent; quo admisso, quot sunt Dei particulae, tot etiam esse idearum systemata, sequitur, nisi forte, particulas Deo unitas non cogitare singulas, dicas, unumque absurdum altero eludas.

Cum autem aeternorum Deorum hoc simulacrum moveri cerneret & vivere pater, qui genuit; gavisus est, & simile magis adhuc reddere exemplari studuit. Hunc in finem tempus procreavit; exemplar enim est aeternum, absque mutationum successione ulla semper exsistens: aeternitas autem inesse rei mobili nulla ratione potest; quare

imaginem eius, perpetuam rerum succeſſionem, quae tempore definitur, ineſſe mundo voluit. Quod vere eſt, nec fuit unquam, nec futurum eſt, ſed ſemper eſt; quod autem mutatur, fuit ſemper, aut futurum eſt, nunquam eſt: illud antiquius, aut iunius nunquam fit; hoc ſemper aut feneſcit, aut iuveneſcit; quam ob cauſam perperam ſaepiſſime eſſe factum, eſſe futurum, eſſe in generatione, dicitur, cum eſſe nunquam dici vere poſſit. Tempus autem cum ante non eſſet, una cum coeli motu eſt procreatum, ut cui menſes, dies, noctes, anni, debent originem, a ſolis, lunae, ſtellarumque motibus effecti. Aeternitatem ergo, quam aevum vocant philoſophi Latinorum, & de quo multa ſcholaſtici diſputant, durationem abſque ſucceſſione Plato ſtatuit; ſucceſſionem namque a rebus motus & mutationis expertibus, id eſt, vere divinis, longe abeſſe. Quod etſi demonſtratione nulla munierit, veriſſime tamen pronuntiavit, primuſque veram & accuratam aeternitatis notionem in philoſophiam invexit; ut primus etiam veriſſime docuit, tempus eſſe una cum rebus ſucceſſivis & motu ortum, etſi naturam temporis non omni ex parte perſpexerit, motum modo aſtrorum reſpiciens, ſucceſſionem idearum in anima, quam deinde Ariſtoteles animadvertit eſſe addendam, praeteriens, & ſucceſſionem quamlibet, cui certus ineſt ordo, ad conſtituendam temporis notionem ſufficere, nondum perſpiciens. Quoſnam Deos intelligat aeternos, quorum mundus ſit ſimulacrum, dubium eſt: vix tamen relinquitur aliud, praeter ideas Deorum in oculos incurrentium, id eſt, aſtrorum, menti divinae in condendo mundo obverſantes.

Solis lunaeque circuitus cum annum procreent ac menſem; reliquorum motibus certam temporis partem definiri etiam neceſſe eſt: hae periodi quamquam vulgo negliguntur, curioſius tamen rem adſpicienti eſt manifeſtum, perfectiſſimum eſſe temporis numerum, & annum, ubi planetae omnes in eodem coeli loco ſimul conveniunt. Anima mundi procreata, motuque eius tempore inchoato, cum animalia nondum eſſent, (neque enim ſtellarum globi ad-

huc sunt facti, quaeque de sole, luna, ac reliquis sunt dicta, perspicuitatis causa afferebantur); haec procreare, ad sempiterni illius mundi exemplar Deus est aggressus, totque eorum mundum ornare speciebus, quot inesse animalis ideae ac naturae cernebat. Sunt autem hae quatuor: coelestium Deorum, prima; in aëre degentium & alatorum animalium, altera; in aqua viventium tertia; terrestrium quarta. Ad primi generis fabricam ignem praecipue adhibuit, ut splendidissimum esset & adspectu pulcherrimum: ei, ut universo esset simillimum, figuram rotundam dedit, & sequi motum ac pruʃentiam naturae praestantioris iussit. Quod ad reliquos attinet Daemones, origo eorum nostram superat intelligentiam; quocirca Deorum filiis, quae de coeli terraeque infantibus, Oceano, Thety, Saturno, Rhea, aliisque feruntur, credamus. Hinc dirimi de magno Platonis anno, quem varie auctores exponunt, lis potest, cuius magnitudinem numeris nunc accurate non definit. Porro, stellarum globos post orbes esse factos, hinc constat. Denique, quod Epinomidem inter & Timaeum intercedit dissidium, silentio non est praetereundum, quo, Platonem semper secum non consentire, extra omnem dubitationis aleam collocatur. Hoc loco quatuor animalium genera numerantur, praetermisso, quod ibi erat adiectum, quinto aethereorum genere. De Daemonum natura ex philosophiae principiis nihil hic definitur, quos illic ex aethere, aëre & aqua factos asseruit: unde, quo tempore Timaeum scribebat Plato, eum, de Daemonibus quid esset sentiendum, nondum satis secum constituisse, non sine probabilitate colligitur.

Conditis astris, talem opifex habuit orationem: Dii Deorum, quae hucusque condita a me sunt, interitui etsi sint obnoxia, me tamen volente nunquam interibunt, conditum enim bene, perdere pravitatis est; quare nunquam vos interitum subibitis. Restant autem adhuc mortalia animantium genera procreanda; omnia namque mundo inesse animalia debent: quae si a me crearentur, Diis

aequalia, nunquam morerentur; vobis itaque horum relinquo generationem, accipite a me semina animalis eius, quod immortale quodammodo, rationis ac iuris particeps est futurum, & nutrimenta ei parate. His dictis, miscuit, quae formandis astris, & animae mundi nondum erant insumta, eodem fere modo, ita tamen, ut ad horum perfectionem & puritatem non accederent. Stellis deinde eundem singulis animarum numerum distribuit, fatique leges promulgavit has: principio uno omnes eodemque modo corpora accipiendo in vitam prodeant; quaecunque deinde iram, voluptatem & cupiditatem superaverint, iusteque vixerint, beatae post obitum sunto; quae contra improbe vixerint, in generatione secunda mulieres fiant, & si ab improbitate non discesserint, bestiarum corpora induant, nec vagari per brutorum corpora ante desinant, quam subigere motus omnes rationi adversos didicerint. Medius in hac animalium generatione inter antiquiores ac recentiores Plato incedit: quorum illi hominum bestiarumque animas ex anima mundi decerptas, & animalia astrorum vi gigni, sibi persuadebant; hi omnia Deo tribuunt. Quod ab illis discedit, recte omnino facit, primusque simul sententiae recentiorum viam munit, animas nostras non ex anima mundi haustas, sed a Deo ipso formatas, astris deinde distributas, docens. Unde simul, astra eum ab animalibus habitari, quae est recentiorum fere omnium probabiliorque opinio, existimasse liquet. Quod autem corporum formationem astris relinquit, sequens antiquos, reprehensione omni non caret, etsi multis modis rectius antiquis sentit, casui, fortunae, aut physicis necessitatibus omnia tribuentibus, nec sapientiae aut consilio locum relinquentibus. Laudandum denique & hoc, quod peccati omnis, seu mali moralis, exsortem studet mundi opificem quovis modo demonstrare: in quo tamen assecutus, quod sibi proponebat, non videtur. Deus enim quare tam imbecilles creavit, pravarumque cupiditatum imperio tam facile cedentes hominum animas?

Omnia, respondet noster, animalium genera inesse mundo oportebat: qua in re sequuntur eum recentiores haud pauci. At quare oportebat? Propter exemplar? Ergone discedere hinc Deo licebat? Quae necessitas eum ad procreanda omnia, quae possunt esse, animalium genera adigit? Si hominis natura melior fuisset, Deo similis fuisset futurus! Ideone statim similis Deo, quod quidam ab eo imbecillitatis gradus abfuisset? quod plus virium ad vincendas pravas cupiditates habuisset?

His dictis, mundi opifex ab opere cessavit: filii autem, cognita patris voluntate, ex aëre, aqua, igne, & terra, inter se copulatis, mortale corpus finxerunt; cum enim vincula ab iis non adhiberentur indissolubilia, non potuit non corpus mortale ab iis formari. Quod corpus, cum accedentibus & decedentibus semper particulis novis, fluxioni perpetuae esset obnoxium; anima hoc flumine acta, sine ratione ac constantia huc illuc tracta, varie quoque corpus movere, omnibusque modis, antrorsum, retrorsum, sinistrorsum, dextrorsum vertere coepit: eaque causa est, ob quam mortale animal pluribus modis, contra quam astra, movetur. Hanc animae agitationem sensus augent: quibus prima aetate accedunt alimenta copiose affluentia; quo fit, ut primis annis motus animi vehementer turbatus, prudentiam ac sapientiam nos adhibere non patiatur; quae, sedato deinde corporis motu, annorum progressu incrementa capiunt. Tota orationis series, Deum summum mundi opificem a mundo esse diversum, nec condito mundo, ut putant Stoici, & ante hos Heraclitici aliique antiquiorum, totum mundo inesse, ac in mundi animam verti, satis declarat: nihil adeo relinquitur aliud, quam naturam divinam secundum Platonem, mundum in sinu suo gerere, eodem plane modo, quo Cabbalistae, mundum esse in Deo, ac divino cingi lumine, scribunt; quibus dubio procul accedunt & Alexandrini, etsi nuspiam aperte ita doceant, metaphysicis rerum emanationibus maxime intenti, & hoc tanquam satis notum silentio prae-

tereuntes. Ingens tamen hos inter & Platonem intercedit discrimen: Cabbalistae enim, materiam e Deo emanasse, & luminis divini super semetipsum replicatione, vacuum gignente spatium, quod materiae gerit vicem, esse factam volunt; Alexandrini, semotis imaginibus corporeis, materiam esse non ens, affirmant, formas autem omnes, unde materia habet τὸ esse, e Deo eodem fere modo manare, quo ex anima nostra notiones, aut ex initiis conclusiones. Quae etsi longe videntur diversa, sunt tamen re fere eadem: cui accedit, quod & Platonici iuniores, Deum esse lumen, autumant, adeoque dicere eadem, simul a metaphysico discesserint loquendi genere, coguntur, ut videre est in libro, quem scripsit, & Portae coelorum nomine inscripsit, Rabbi Cohen Irira, Cabbalae denudatae inserto. Plato contra, materiam solidam ac crassam ab aeterno exstitisse, in ordinem modo a Deo redactam, constanter docet. Quamquam autem in eo omnes consentiunt, quod materia est non ens; eodem tamen hoc sensu non accipiunt: Platone non ens sempiterno & mutationis experti tantum opponente, cetera materiam exsistere, non negante; Alexandrinis contra & Cabbalistis materiam pro mera privatione, seu negatione, accipientibus, eique, quod ulla ratione exsistit, eam opponentibus. Emanationi tamen eatenus favet Plato, quatenus praestantissimam animae mundi, ceterorumque animalium partem e Dei natura esse decerptam docet. Causam, quare statim post nativitatem homines prudentia carent & ratione, novam, ni fallor, & magna ex parte veram, affert; praecipuam tamen, etsi satis obviam, cernere eum philosophiae ipsius indoles prohibebat: ideas namque exsistimans nobiscum nasci, ad usum, experientiam, ac disciplinam nequibat provocare. De notionibus autem, utrum insint animae statim post creationem, an creatis, & antequam corporibus indantur, adveniant, nihil nunc definit.

Corpori humano formam hanc Dii dederunt: divinos animae circuitus duos, universi figuram imitati, corpori

rotundo, quod vocamus caput, indiderunt, corpori reliquo ut imperaret: quod ne terrae inaequalitatibus offenderetur, aut locis excelsis detineretur, instrumenta ei ad gradiendum, pedes, subiecerunt; quo factum est, ut formam corpus proceram nanciscereturque, manusque, quibus in scandendo aut sustinendo sese iuvaretur, insuper adderentur. Faciem ornarunt instrumentis, quibus ad providendum sibi indiget corpus, in quibus primum dubio procul oculi locum tenent. Hos ita sunt fabricati, ut ignis sincerus, non urens, sed placidum modo lumen praebens, qui in nobis est, per eos penetraret, iungensque sese simili diei luci, visionem efficeret: quod sensum ac motum, ab alio corpore tactum, aut aliud tangens, animae impertit; quo fit etiam, ut nocte nihil cernamus, cognato quippe lumine in aëre non exsistente, radius statim exstinguitur. Divini circuitus duo ad superiorem animae partem, rationem nempe & intellectum, pertinent: unde simul, quae supra iam monui, confirmantur, animam nostram e pluribus constare partibus, quas locis etiam Plato distinguit, alium alii locum assignans. E quorum motu in orbem etsi probabilem, cur rotundum sit caput, causam eliciat; tamen, cum is motus re nulla animae inesse demonstretur, fictam magis, quam veram, attigit causam. In explicanda videndi ratione antiquiores noster, Empedoclem maxime, sequitur; non animadvertens, radium ex oculo emissum remeare ad eundem vix posse. Duo autem ignis genera diserte hic distinguit, luminisque ab igne discrimen agnoscit: quorum cum alterum nobis capitique inesse affirmet; animam e luce constare, adeoque & Dei naturam esse lucem, summa probabilitate colligitur.

Palpebris, quas ad tuendos oculos Deus nobis dedit, clausis, somnus inducitur; cohibita namque ignis interni vi, motus sedantur: quies hinc orta si fuerit profunda, insomniis caremus; sin motus in aliquibus locis vehementiores relinquantur, variae nobis per somnum imagines obversantur. Speculorum imagines hinc nullo negotio explicantur, in quibus quae sinistra sunt, dextra apparent,

quod contrariis oculorum partibus contraria attingimus. Oculos autem nobis dedit Deus, ut maximarum rerum adipiſceremur cognitionem: quippe quorum ope ſidera coelumque contemplamur, diem noctemque diſcernimus, & menſium annorumque ambitu dimetiendo numerum percipimus, unde omnis denique philoſophia, qua maius nihil hominibus Dii ſunt largiti, manavit; minores alias utilitates ut taceamus. Ut cognitis aſtrorum motibus animae noſtrae circuitus ſimiles reddendo, prudentiam rationemque adipiſceremur, Deoque ſimiles fieremus, oculos nobis Deus eſt largitus: quam eandem ob cauſam auribus etiam nos inſtruxit, ut, ſonorum intellecta harmonia, eandem ad compeſcendos vehementiores rationi adverſos animorum motus adhiberemus. Somni quae ſit in univerſum cauſa, recte Plato perſpexit, quietem nempe internam; quam tamen ab igne, oculis clauſis haud amplius moto, perperam repetit. Multa, quae de imaginibus & videndi ratione hodie diſputantur praeterea, quibuſque accuratiſſime omnia explicantur, tum temporis cognita nondum erant, unde iuſto in his brevior eſt philoſophus Athenienſis; ſpeculorumque imagines nihil admodum habere, quod moretur curioſum ſenſuum indagatorem, perperam ſibi perſuadet: qui ne quidem, quare & quo modo fiant in ſpeculis imagines, quare alia corpora nullas reflectant imagines, expedit, & in reddenda ratione, quare ſiniſtra in ſpeculis videantur dextra, iuſto eſt obſcurior.

De igne, aëre, reliquiſque elementis cum ſaepius iam nonnulla attulerit, natura eorum ac ortu nondum declaratis; differri ultra hoc non poſſe intelligens, ad contemplandam materiam, & elementorum inde procreationem ſeſe accingit. Quae mentis vi ſunt effecta iam vidimus, inquit; tempus eſt ad ea accedere, quae neceſſitatem habent cauſam: mundus enim hic e mente ac neceſſitate mixtus, mentis neceſſitatem ſubigentis, & ad accipiendum ſapientiae imperium perſuadendo inducentis, poteſtate eſt procreatus. De hac itaque neceſſitate, id eſt, de cauſae brutae ac te-

mere agitatae genere, de elementorum ante conditum mundum natura, ac ortu, quem nemo hucusque satis aperuit, iam differamus. Ordine haud optimo in his usum Platonem, in oculos facile incurrit; quo enim singula ordine sunt facta, eodem etiam fuissent commemoranda: videtur tamen non sine causa hunc philosophus deserere, ac de Dei, id est, mentis operibus fusius principio loqui, quo magis hoc causae genus, a philosophis prioribus neglectum, inculcaret, & a materiae, quam maxime omnes respexerant, ad Dei contemplationem animos legentium avocaret. Quam materiam alias vocat, necessitatem hoc loco appellat, tum quod temerariis, & prudentia ac mente destitutis viribus caecis agitur, tum quod quandam ipsi etiam creatori necessitatem in condendis singulis mundi partibus imponit. Quem in fabricandis maioribus ac praecipuis mundi partibus ordinem Deus secundum Platonem sit secutus, haud satis constat; mihi, rationes sequenti probabiles, videtur esse talis: animam mundi primam, deinde elementa, tum globos coelestes, post animas hominum, tandem animalium plantarumque corpora, quaeque ex elementis fiunt, Deus procreavit; elementa namque fieri ante planetarum globos, utpote ex elementis compositos, oportebat.

De materiae natura ita differere noster pergit: duo rerum genera cum principio adhibuerimus, quorum alterum exemplar est mente sola percipiendum, alterum exemplaris imitatio, quod oculis cernitur, quibus solis tunc egebamus; tertium his nunc addendum obscurum, & explicatu difficillimum. Est autem hoc omnis generationis receptaculum, & quasi nutrix: aqua namque concreta, in terram & lapides; soluta, in aërem; exusta, in ignem; vice versa ignis exstinctus in aërem, aër densatus in nebulam, inde aquam, aqua in terram & lapides mutatur. Quae omnia cum continuo mutentur, nec eadem unquam maneant, nomine nullo constantem significante naturam insigniri, nec aër, qui nunc est, dici aër, aqua, quae iam cernitur, vocari aqua, & sic porro, iure possunt; sed talia quaedam potius

fiunt dicenda, ut hanc rem, quae aqua modo est, non aquam, sed tale quid, quod aquae similitudinem habet, vocemus. Rem autem, ex qua haec omnia fiunt, quaeque calida modo, mox frigida, deinde alba, mox nigra est, neque calidam nec frigidam, aut albam vel nigram, sed qualemcunque, id est, mutabilem, nulla qualitate constante praeditam appellare decet. Hinc itaque tria esse rerum genera intelligitur, quod fit, in quo fit, & ad cuius similitudinem fit: quorum ultimum patri, secundum matri, tertium proli est simile. Materia autem cum recipere formas omnes debeat, esse omnium exsortem, ac prorsus informem, & ad nullum rerum ex ea factarum genus referri necesse est, ut neque aqua sit, nec terra, nec aër, nec ignis, ut sensum cernendi plane effugiat, nec ipsa per se intelligatur. Huius de materia sententiae primus sine dubio auctor est Plato, omnibus ante eum, materiam forma quadam praeditam amplectentibus, nisi quod Empedocles propius ad hanc sententiam videtur accedere, ante quatuor elementa massam fuisse, unde fierent, docendo: quam tamen massam ita describit, ut atomistis magis videatur favere. Quare nihil mirum, in declaranda materiae natura Platonem laborare, nec, quibus eam modis aperte satis exponat, reperire: quo fit, ut, verborum utens ambagibus, magis fere obscuret, quam illustret animi sui sententiam. An autem satis sibi in his constiterit, mox videbimus: nunc aliud explicatu difficillimum attingamus. Duobus supra memoratis rerum generibus tertium nunc esse adiungendum disertis verbis monet, eoque ipso magnam lectori molestiam creat: generum enim horum alterum erat sempiternum, mutationis expers, sub sensum non cadens; alterum contra mutabile, generationis capax, & sensu percipiendum. Ac illud quidem Deum, hoc materiam esse, supra monuimus, nec, qua aliter accipiatur, ratio apparet ulla: nunc tertium addit informe, mutabile, generationis receptaculum, a materiae supra definitae natura nihil differens; ut adeo, si verba spectemus, non possimus, quin duo materiae genera

a Platone intelligi nobis persuadeamus; sin contra ad verborum sensum respiciamus, unam modo esse materiam cogamur fateri. Mihi, ad Phaedonis nonnulla & librorum de republica respicienti loca, commode satis haec expediri videntur ita: duo sunt materiae genera, subtilius alterum ac purius, alterum crassius & impurum; quorum illud animae mundi & astrorum globis, hoc globo terraqueo, & rebus sublunaribus formandis a Deo est adhibitum: in sedibus namque beatorum Socrates corpora cuncta esse sincera magis, splendida, corruptioni haud perinde, ac apud nos, obnoxia, ceteroquin eadem, quae hic cernuntur, docet in Phaedone; in libris autem de republica, veriora omnia ac sinceriora in mundo superiori cerni, idque e similitudine ab hominibus in spelunca degentibus, & umbras tantum rerum intuentibus, optime illustrari, idem demonstrat.

Esse autem praeter elementa, quae sensibus percipimus, sempiterna alia, horum exemplaria, seu ideas, demonstratur & inde, quod ratio & scientia discrepant ab opinione, id est, cognitione probabili: quae enim ratione & scientia novimus, aeterna sunt, nec ulli obnoxia mutationi. Cum itaque circa res aeternas semperque eaedem versetur ratio; esse res sempiternas, alias ab iis, quas sensibus percipimus, necesse est. Quare sic habendum: sunt ideae, id est, naturae mutationis expertes; sunt res generatae, adeoque materia fluxa semper & mutabilis; est denique, in quo omnia fiunt & mutantur, locus, corruptioni non obnoxius, cognitu difficillimus; ad quem respicientes per somnum quasi iudicamus, quodcunque est, esse alicubi debere, & quod nusquam est, plane non esse, aliaque his affinia, quae naturae verae & aeternae sunt propria, quaeque, qualia sint, propter hanc mentis caliginem, intelligere perspicue non valemus. Postquam his pauca quaedam subiecit, quae, quid sibi velint, assequi equidem nequeo, addit tandem, ante mundum conditum, tria haec fuisse, quod vere est, locum, & rem generationi obnoxiam (γένεσιν), id est, materiam. Novo hic argumento, esse ideas, demonstrat, e veritatum

aeternarum indole petito: quod accuratius deinde Platonici, & hos ſequens Mallebranchius praecipue, expoſuerunt, ut haud parva ei ineſſe vis videatur. Confundunt tamen omnes duo exſiſtentiae genera, quorum alterum rebus, quae animae inſunt & intellectui, alterum rebus ſenſu tum interno, tum externo extra nos, perceptis tribuitur; quae menti inſunt revera, & extra mentem exſiſtere, opinionis errore ſibi perſuadentes. Veritates porro dicuntur aeternae, non quod ſemper ab aliquo intelliguntur, ſemperque menti alicuius obverſantur, ſed quod ab intellectu quocunque eodem ſemper modo eas percipi neceſſe eſt, ut contrarium cogitari a nemine unquam queat: hi vero ideo veritates putant dici aeternas, quod ſemper alicubi ſint, ſemperque intellectui obverſentur. Loci vocabulo, quod rectius recentiores ſpatium vocant, a loco, ut par eſt, probe diſtinguentes, Plato intelligit: de quo, utpote ſuapte natura cognitu difficillimo, multiſque propterea philoſophorum diſputationibus agitato, obſcure noſtrum differere, nihil mirum. Principio enim, quod reprehendit iam Ariſtoteles, ſpatium, ſeu locum, a materia non ſatis diſcernit, materiam pro ſpatio interdum accipiens, dum formarum eam receptaculum appellat, & in tria rerum genera, modo ſpatium, modo rem oculis cernendam, ſed accuratius non definitam, refert, quam pro loco etiam poſſis accipere. Deinde locum a natura ſempiterna, quae vere eſt, non ſatis diſtinguit: quod animadvertens ipſe, ſpatii naturam eſſe cognitu difficillimam, nonnullaſque Dei proprietates ei tribui, adiicit; quae res recentiores etiam, eoſque ſummos philoſophos vehementer torſit, in eamque alios adduxit ſententiam, ut, ſpatium eſſe Dei attributum, alios, ut a materia non differre ſibi perſuaderent.

Ante igitur quam conderetur mundus, materia in aquam aut ignem verſa, terraeque ac aëris formam ſuſcipiens, omniformis videbatur: cum tamen viribus diverſis inter ſe non exaequatis eſſet praedita, temere ab his agitata, motuque ſuo has viciſſim turbans, omnifariam quatieba-

tur, discretis tamen suapte natura, & suo pondere levibus ac gravibus, & similibus inter se coëuntibus. Accedens autem Deus ad mundum condendum, haec omnia, elementorum vestigia quaedam gerentia, figuris ac numeris discrevit. Qualis sit informis Platoni materia hinc porro intelligitur, informis nempe suapte natura, id est, nullam semper ac per se formam habens, omni tamen forma nunquam destituta: unde fit, ut materia ipsi dicatur informis, si abstracte, id est, secundum suam consideretur naturam; concrete vero sumta, id est, ut revera exsistit, aliquam semper formam, licet ne per unum quidem temporis momentum eandem, habet. Quare ita sentiat, rationem quidem affert nullam, quid tamen eum moverit in promtu est: materia omni forma carens, cogitari nulla ratione potest, & ab eo, quod metaphysici vocant subiectum, nihil differt. Hinc intelligitur porro, praeter hoc formarum omnium subiectum, & praeter formas ipsas, seu ideas, id est, ignem, aquam, aërem, terram veram, ac sempiternam, tertium quoddam esse, Platonem existimare, quo materia ante mundum conditum formetur, quodque cum materia perpetuum gerat bellum. Hoc quale sit, aperte nuspiam docet; comparanti tamen cum his, quae Ocellus Lucanus clarius exponit, quaeque Aristoteles a Platone accepta philosophiae naturali substernit, haec eius videtur sententia fuisse: praeter subiectum quoddam sua natura informe, omnium tamen formarum capax, quod materia dicitur, sunt qualitates contrariae, calidum, frigidum, siccum, humidum, agendi viribus praeditae, quibus materiam semper adoriuntur, &, quamcunque subegerint eius particulam, elementi alicuius forma ornant, quae formae ab his maxime qualitatibus pendent; materia contra motu suo has qualitates semper impugnat, ac eiicere rursus studet. Hanc sententiam Plato ipse in Philebo satis aperte amplectitur, etsi accurate satis eam non definiat: quae enim docentur ibi de infinito, id est, non determinato rerum genere, quod calida, frigida, sicca,

humida complectitur, esse in rerum natura, antequam a Deo redigitur in ordinem, qualitates has contrarias, de subiecto in subiectum migrantes, adeoque ab ipso subiecto, seu materia diversas, palam faciunt. Amplexi sunt, ni fallor, quidam Pythagorei hanc sententiam, ab Aristotele indicatam, nec satis tamen dilucide propositam. Hae qualitates ad subtilius illud materiae genus, de quo supra dixi, referuntur, ut adeo apte satis, hac admissa interpretatione, omnia inter se consentiant. Rem omnem sic equidem animo concipio: Duo sunt summa rerum genera, sempiternum & mutabile; illud divinum, hoc materiei affine: haec ita rursus distinguuntur, ut res sempiternae in Deum & ideas, materia in qualitates, & crassam corpoream molem dispescatur. Anima mundi, ut & hominum, e subtili qualitatum genere; corpora e mole crassa, ordinatis & secundum ideas dispositis qualitatibus, Deus formavit. Duo autem hac in re reprehensione videntur digna: alterum, quod orationis obscuritate, accurate & ordine rerum genera non distinguens, Plato multas lectori molestias creat; id quod, qui abstractis & metaphysicis notionibus philosophiam tum temporis nondum fuisse assuetam, secum reputaverit, facile excusabit: alterum, quod qualitates substantiarum instar per se putat subsistere, & de subiecto migrare in subiectum: qui error cum pervadat omnes philosophorum scholas, intellectui plurimum tribuentes, & ducibus sensibus non esse philosophandum opinantes; cum praeterea vitari vix possit ab iis, qui ita sese putant habere res, ut intellectui notiones abstrahenti & separanti apparent; facile etiam ei ab aequo rerum iudice condonabitur.

Elementa Deus ex materia hac ratione formavit: cum elementa sint corpora, corpus omne sit crassum, ac superficiebus circumscriptum; superficies autem omnes e triangulis constent rectangulis, altero aequilatero, altero latera inaequalia habente: ex his elementa fieri necesse est. Habent autem ea figuras, cubicam terra, quod omnium

difficillime loco movetur, figuraſque omnes facillime induit; pyramidalem ignis, quod eſt maxime mobilis, omniaque nullo negotio penetrat; octaëdram aër, icoſaëdram aqua, quod ad terram proxime accedit, minori, quam terra, maiori, quam aër, facilitate, motui cedens, mediumque inter haec locum tenens. Qua ratione autem hae figurae e triangulis fiant, ſtereometria docet. Sunt haec elementa exigua adeo, ut ſola ſenſum omnem fugiant, coacervata demum ſentiantur. Hinc etiam, qua ratione alia in alia vertantur, facile apparet: ſolutis namque in particulas minutiſſimas, ac triangulos varii generis, alterum ab altero abſorbetur, & eiuſdem generis trianguli coëuntes, alius elementi naturam induunt, excepta terra, quae ſoluta aliis quidem miſcetur elementis, in naturam tamen eorum nunquam tranſit. Democritum in his & philoſophiam mechanicam ſequitur; alterum de elementorum figuris nonnulla iam differentem, &, qua ratione ex atomis fiant elementa, explicantem; alteram e figuris corporum, & particularum inter ſe copulatione formas eorum & vires derivantem, nihilque praeter figuras, ac motus, unde corporum manent vires, admittentem, quam poſt Leucippum Eleatici amplectebantur omnes. De elementorum figuris Democritus paulo rudius philoſophabatur, in geometria, tum temporis ſatis nondum exculta, minus verſatus: quare ſubtilius haec exſequendo multis eum modis Plato ſuperat. Quamquam autem ſunt ingenioſa haec; demonſtratione tamen carent, cum figuras nos elementorum experiendo non norimus, ſed ex eorum effectibus, quales ſint, coniectura aſſequamur. Sed quod maius eſt, & reprehenſione maiori dignum, in caſtra noſter hoſtium nulla cogente neceſſitate tranſit, ſuam ipſe diſciplinam prodens: quod ſi enim in particularum figuris elementorum ſita eſt natura, quid opus eſt ideis? quid qualitatibus materiam ſubeuntibus? Qui idearum & formarum abſtractarum ope omnia expedit, ſingulas in univerſo res, formae cuiuſdam parti-

cipatione esse, quales sunt, affirmans; eum fugere longe particularum materiae figuras & compositiones decet. Praeterea declarandis elementorum figuris unice intentus, superficies, unde acceperunt elementa figuras, triangulas, sintne in ipsa ante mundum conditum materia, an a creatore demum formentur, docere negligit. Esse eas ante conditum mundum in materiae massa, colligitur inde, quod elementa mundo antiquiora supra facit; quó ipso magnis sese inscius difficultatibus implicat: unde enim sint quaerenti, aut natura, est respondendum, aut qualitatum vi materiae inesse; quorum alterum materiae natura informi, alterum elementorum naturae repugnat, vim omnem a figuris accipienti. Accedit, quod qualitates formare tantum elementa dicuntur, id est, copulatis in certam figuram superficiebus, aquam, aërem, ignem, terram efficere; quodque adeo, superficies has inesse materiae, cogitur Plato largiri. Quo ipso ad atomistas propius accedit, nec materiam, ut putant Eclectici, esse prorsus informem, ac Aristotelicae materiae similem voluit. De elementorum quae afferuntur transformatione, ab antiquioribus sumta, subtilius traduntur; magna tamen adhuc egent demonstratione, cum physici accuratiores experimentis haec firmari, priusquam adhibeantur ad explicandum, qua ratione conditus sit mundus, postulent.

Postquam his subiunxit corpora elementorum mixtione procreata, metalla, lapides, humorum diversa genera, quibus immorari nihil necesse est, cum e sumtione modo demonstrentur, nec doceri accurate queant, nisi post corporum in sua elementa dissolutionem chymiae auxilio factam; ad reliquas elementorum qualitates progreditur, quas eadem prorsus, qua Democritus & Epicurus docent, ratione, e figuris elementorum putat oriri: quae, quoniam philosophiae plus habent, hoc loco non sunt praetereunda. Ac principio ignis dicitur calidus, quod subtilitate sua, velocitate ac figurae acumine carnis particulas disiungit, unde caloris sequitur sensus. Frigus contra percipimus, quo-

rieſcunque humida, particularum magnitudine humores corporis noſtri ſuperantia, corpus penetrant, expulſiſque minoribus humidi noſtri partibus, earum locum cum nequeant occupare, humores coagulant, quibus praeter naturam compreſſis ac renitentibus, tremor ille frigus comitans, ipſeque frigoris ſenſus oritur. Gravitas autem & levitas hinc facile intelliguntur: in univerſo ſphaerica praedito figura, nihil altero eſt ſuperius aut inferius, haec praeterea noſtri corporis poſitu metimur, ut eadem res, prout capiti aut pedibus eſt propior, mutato corporis ſitu, modo ſupra nos, modo infra nos eſſe dicatur: unde efficitur, definiri grave ac leve per ſuperiorem aut inferiorem, quem petat, locum nulla ratione poſſe. Ita potius exiſtimandum: in regione ignis ignem eſſe levem, & in ſuo loco elementum omne; hinc vi abreptum, & in locum alterius translatum, fieri grave; ſic terrae portio in aërem translata pondus habet; ſi terrae applicetur, pondus amittit: idque fieri, quod omne elementum natura ad ſui ſimile fertur, qui niſus gravitatem efficit. In his omnibus, quamquam acutiſſime diſputat, novaque omnia affert, non ſatisfacit tamen: frigoris enim caloriſque ſenſus, licet quae eum comitentur corporis affectiones queant enarrari, qua tamen ratione hinc oriatur, explicari nullo a nobis modo poteſt, cum quod anima ſentit, nihil ſit ſimile ei, quod accidere corpori videmus. Eadem fere eſt gravitatis ac ponderis ratio, cuius cauſam fruſtra hucuſque philoſophi quaeſivere, quamque eo minus attingere Plato poterat, quod de ſpecifica tantum gravitate differit, nec, quare elementum quodvis hunc vel illum locum natura occupat, rationem reddit. Ceterum hinc apparet, corporum qualitates eum a figuris, nulla formarum habita ratione, derivare, & mechanice, praeter ea, quae fundamenti loco ſubſtraverat, philoſophari.

Doloris autem & voluptatis quaenam ſit cauſa, intelligitur hinc: partes corporis noſtri aliae facile moventur, motumque propagant; aliae craſſioris naturae, & e

terra maximam partem factae, vix moventur, motumque non propagant: harum illae a rebus externis affectae motum eo usque continuant, donec ad partem animae prudentia instructam perveniat, sensumque hoc ipso creant; hae contra, motum non propagando, sensum efficiunt nullum. Sunt ergo partes aliae ad sensum efficiendum idoneae, visus v. g. auditus, & reliqua sensuum organa, utpote ex igne & aëre maximam partem factae; aliae stupidae & sensus expertes, velut ossa, crines, cetera plurimum terrae habentia. In partibus sensu praeditis voluptas efficitur, quotiescunque secundum naturam moventur, aut naturae restituuntur; dolor, quoties praeter naturam cientur. Aliquam, ob quae partes nonnullae sensus sunt expertes, causam Plato vidit, quod nempe propagare motum ad animam usque nequeunt; totam, cum anatomia haud satis adhuc esset exculta, non potuit videre. Dolorem autem & voluptatem quod explicare sese arbitratur, fallitur vehementer: quare enim haec corporis affectio hunc praecise sensum efficiat, demonstrandum restat. Sunt praeterea multa nobis adversa & ingrata, dolorem sensu strictissimo non efficientia, de quibus in genere, quare displiceant, erat quaerendum, &, causa universi generis inventa, ad dolorem, qui luctu sentitur, descendendum.

Expositis his, ad rationem, quare quilibet sensus certa quadam ratione animam afficit, unde dulcis, amari, gravis, acuti, albi, nigri, manat sensus, reddendam sese accingit: quam cum erui non posse, apud recentiores sit in confesso; sequi in singulis Platonem, sumtionibus faventem parum satisfacientibus, nihil attinet; de genere toto nonnulla sunt dicenda, ut, qualis veterum fuerit hac in re philosophia, intelligatur. Saporis causam humores existimat; odoris fumum, id est, exhalationem ex aëre & aqua solutis manantem; sonorum, aërem; colorum, flammam a corporibus surgentem. Quibus in rebus quam interdum longe, interdum prope absit a vero, nuspiam ta-

men, quod corporum genera accurate chymia nondum distinxisset, ipsum attingat, facile perspicitur.

Animam ipsam Dii hac formarunt ratione: acceptae a Deo immortali animae parti corpus mortale circumdederunt, mortaleque aliud animae genus adiecerunt, cui voluptas, dolor, & omne cupiditatum agmen, praeterea timor, audacia, & ira, seu affectuum omne genus inesset. Ne autem pars animae divina & immortalis alterius partis contagione contaminaretur; sedibus eas discreverunt, illam in capite, interiecto collo, hanc in pectore collocantes. Quae cum in duas rursus partes, meliorem alteram, alteram deteriorem, dispesceretur; has etiam locis a se invicem disiunxerunt, diaphragmate inter utramque interiecto: irascibilem animam, quo facilius obtemperaret rationi, eiusque adminiculo coërceret cupiditates, in superiori parte, in corde, septo, ad restinguendum nimium irae ardorem, pulmonibus; animam autem concupiscentem in inferiori inter diaphragma & umbilicum loco collocarunt, ut longissime ab anima rationis compote remota turbas excitaret quam minimas, adiecto etiam iecore, speculi instar rationis decreta ei repraesentante, impetusque eius cohibente. Quamquam autem rationis maxime expers est haec animae pars; ab omni tamen vero prorsus non seiungitur: cui argumento est, quod furori divinatio a Diis est tributa; nemo enim mentis compos, sed aut per somnum, aut mente de statu deiecta, omnes divinant. Hinc, quae de tribus animae partibus supra monuimus, perspicue intelliguntur; quas non sedibus modo, sed natura etiam, distare necesse est. Qua autem differant ratione, id est, e quanam singulae sint factae natura, silentio noster praetermittit: rationem, ut immortalem, esse Dei ipsius partem, iram & cupiditatem e materia sumtas constat; qualis earum sit materia, & unde petita, in incerto relinquitur. Haec suppleturi recentiores Platonici, ex astris eas desumi, animasque ab summo coelo, id est, sphaera octava, per sphaeras omnes descendentes, particu-

Iam uniuſcuiuſque ſibi aſciſcere, ſicque aſtrorum omnium & elementorum viribus ornatas, corpori ſeſe inſinuare, multo verborum apparatu docent. Quod autem attinet ad divinationem, ſententiam Plato vulgi, rudibus eandem ac literis nondum excultis gentibus communem, ſequitur, eſſe in furore divini aliquid, adeoque febrium etiam ardores, & deliria, divino quodam afflatu excitari; inſomnia porro, animae, corpus relinquentis, fieri deambulationibus, aut divini ſpiritus illapſu: quod eo minus mirum, quo magis cauſarum ignoratio, rerumque inſolentia ad Deum confugere, unicum in rebus anguſtis perfugium, homines cogit. Quare pulmones, iecur, bilem, aliaque his annexa acceperimus organa, ex hypotheſi probabiliter ſatis Plato explicat: phyſiologi noſtri, hac repudiata, laborare ſeſe in multis, &, quam ſingula afferant utilitatem, ſeſe ignorare ingenue fatentur. Sua tamen propterea laude non eſt fraudandus Platonis conatus, quo philoſophorum omnium primus, ad quaerendas singulorum corporis membrorum utilitates & fines, homines accendit: quo factum tandem eſt, ut, a ſapientiſſimo auctore corporis noſtri fabricam proficiſci, perſpicue intelligeremus.

In enarranda dehinc membrorum corporis noſtri utilitate pergit, iiſque morborum ſimul ac ſenectutis, mortis denique cauſas adiicit: quae omnia praeteriri a nobis commode poſſunt, tum quod omnia hypotheſi tribuens, veras utilitates & cauſas raro attingit, tum quod anatomia & medicina haec ſibi vindicant. De plantis modo nonnihil adiiciamus, quo magis, quid de rebus, quas inanimes nos ſolemus putare, Plato ſenſerit, quodque ſupra iam obſervatum eſt a me, aperiatur ſimul & confirmetur. Cum igne ac aëre maximam partem vita noſtra contineatur ac ſuſtentetur, aliud Dii nobis cognatum rerum genus, & vitae cuiuſdam particeps, arbores, ac plantas, procrearunt. His tertium animae genus, cui cupiditates inhaerent, & ſenſum quendam Dii indiderunt, ratione & ira adem-

tis. Quo ipso, plantas vitae participes Platonem existimare, satis declaratur; quam sententiam, ut communi vulgi opinioni consentaneam, munire argumentis non iudicat necessarium.

Animorum e corporis constitutione ortorum morbi sunt hi: amentia, in insaniam rursus & inscitiam divisa, quorum utrumque e nimio voluptatum ac dolorum oritur sensu, quibus affecti optima eligere, pessima fugere, impedita ratiocinandi facultate, homines nequeunt. Est autem voluptatum causa seminis copia nimia, e corporis, ossium maxime vitio profecta, qua ad libidines homines stimulantur. Doloris autem sensum maxime augent acris pituita & fel, animae sedem humore spurco inficientes, & iracundos ac vehementes nimium homines reddentes. Multi praeterea animi morbi e moribus civitatum, pravaque liberorum educatione proficiscuntur. Vitia animi multa e corpore originem trahere, Pythagorei, quin & sacerdotes iam videntur intellexisse, certa victus ratione formare animos & curare aggredientes; nemo tamen, quod sciam, ante Platonem in literas retulit, & explicare est conatus: qui locus quam late pateat, quantaeque sit ad animum accuratius noscendum utilitatis, nostro vix tandem seculo perspici coeptum est.

Quae cum ita sint, studendum maxime est, ut mens sana sit in corpore sano, ut nec corporis sine animo, nec animi sine corpore curam geramus. Anima enim excelsa, in corpore habitans imbecillo, nihil praeclari poterit efficere, cum corpus, quotiescunque collectis viribus rem aliquam anima aggreditur perscrutandam, deficiat; acer praeterea istiusmodi animus, vi sua corpus concutiens & agitans, morbos corpori importat. Corpori contra robusto si anima iungatur debilis ac parva; opprimitur, ac prosternitur, cibi, potus, aliisque corporis cupiditatibus mentem penitus obruentibus. Qui itaque rebus mathematicis aut aliis literarum studiis dat operam, corpus movere & exercere; qui contra corpori formando studet, animam

philosophia literisque simul imbuere non negligat. Haec qui fecerit, corpus animamque amicos semper experietur, quaeque ex iis inter se dissidentibus manant incommoda, non sentiet. De tribus autem, unde animum constare diximus, partibus, sic existimandum: robustissimam reddi, quae semper exercetur, infirmissimam, quae semper feriatur; in singulis itaque exercendis ea est cautio adhibenda, ut optima & praestantissima reliquis semper sit superior. Est autem ea, ratio, seu mens, quam Deus animae Daemonis instar indidit, ac summa in arce locavit, ut ad coelum nos tolleret. Praeclare haec de animi corporisque exercitiis monentur: quorum etsi semina quaedam a Pythagoreis acceperit Plato, plurima tamen ipsius debentur ingenio, ad distinctas haec notiones revocanti. Hinc intelligitur etiam, quid sibi velit noster, quando debere nos, in superiorem animae locum ascendentes, ideas veritatesque sempiternas contemplari, nonnunquam docet; & quisnam sit Deus, in anima humana habitans. Hanc de suo cuiusque Daemone sententiam Stoici deinde & Alexandrini a Platone acceperunt, e Pythagorae & Empedoclis maxime disciplina derivatam.

Reliquorum animalium origo e genere humano metempsychoseos beneficio repetitur ita: cum principio homines omnes mares essent creati, praeter homines animalia nulla; quicunque iniusti ac timidi fuerant, in secunda generationis periodo in feminas sunt versi, adaptato a Diis corpore tum marium, tum feminarum, ad generationis munia obeunda, & infuso utrisque vehementi, rationisque imperio non parente ad Venerem stimulo. Avium genus ex iis factum est viris, qui nocentes nemini, animum habuerunt levem, & rerum sublimium cognitioni studentes, sensuum ope firmissimas de iis posse se demonstrationes adipisci, sibi persuaserunt. Qui, neglecta prorsus philosophia & rerum coelestium contemplatione, cupiditates in pectore sedem habentes sunt secuti, in quadrupedum genus sunt versi, quod terrae & rebus terrestribus animum applica-

verunt: horum qui maxime fuerunt excordes, in reptilia ſunt mutati. Quartum autem & ultimum aquaticorum animalium genus, ex omnium ſtolidiſſimis & ignariſſimis, a Diis, ne reſpiratione quidem pura dignos exiſtimantibus, eſt factum. Hunc eundem in modum animalia etiam nunc, prout mentem aut abiecerint, aut exercuerint, in ſe invicem mutantur. Manifeſtum eſt hinc, quod ſupra iam innuimus, unum eſſe modo animarum genus omni animantium generi commune, nec ſpecie aut gradu diſtinctum: quae omnia a Pythagoreis Plato accepit.

CRITIAS.

NARRANTUR in hoc dialogo a Critia vetuſtiſſimae Athenienſium res, tempore eo geſtae, quo Atlantis inſula adhuc exſtabat; adeoque continuatur, quae a Solone ex Aegypto dicebatur in Timaeo advecta, ſummae antiquitatis traditio. Expoſitis principio Athenienſium rebus, brevique de eorum republica narratis nonnullis, ad ſimilitudinem reipublicae a Platone delineatae, & legum ab eo latarum proxime accedentibus; ad Atlantidis incolas tranſit Critias, ab eorum origine & vivendi ratione rem repetens, quo ad narrandum bellum, hos inter & Athenienſes geſtum, ſeſe accingeret: id priuſquam attingit dialogus, iniuria temporis intercepto fine, concluditur. Qui autem eius ſit ſcopus, e Timaeo liquet, ubi ita inter ſe rem Timaeus & Critias partiuntur, ut Timaeus de generis humani prima origine & creatione, Critias de hominibus, legum ope formatis, differat, & priſcorum Athenienſium rempublicam qualis fuiſſet narrando, beatae alicuius ac optimae reipublicae exemplar proponat. Qua in re Platonis videtur ſcopus fuiſſe, ſuas leges ſuamque rempublicam magis commendare, & fieri poſſe, quae optima exiſtimaſſet, quaſi fa-

cta iam olim essent, evidentius demonstrare. In eo autem, quod supereſt, huius dialogi fragmento legitur nihil, quod in libris de republica ac legibus non contineatur: reliqua ab auctore finguntur, quibus adeo immorari nihil est necesse. Iure hic dialogus inter fabulas Romanenses, & politicum quidem earum genus refertur.

PARMENIDES.

OMNIUM Platonis dialogorum obscuriſſimus dubio procul eſt hic, tum argumenti natura, tum ſermonis philoſophici inopia; altera, quod res omnium abſtruſiſſimas, tum temporis novas adhuc & inſolitas tractat, quae ne ſatis clare quidem adhuc intelligebantur; altera, quod inventa nondum erant his notionibus accurate diſtinguendis vocabula, adeoque inſolito orationis genere philoſophus cogebatur uti: accedebat, quod vocabula, quorum frequentiſſimus eſt in hac diſputatione uſus, ambigua ſunt non in Graecorum modo, ſed in omni ſermone, priuſquam ab accurate philoſophantibus ſignificationes diſtinguantur & conſtituantur, quodque in priſca Graecorum lingua pluribus ea laborant ambiguitatibus, quam in recentiorum ulla; quod his ambiguitatibus omnes ferme nituntur concluſiones, & ſophiſmata, quorum quaſi nubem hic dialogus continet. Quo fit, ut ratiociniorum maior pars ne in alium quidem ſermonem verti queat, ita ut concludere aliquid videantur. Eſt itaque hanc ipſam ob cauſam Parmenides hic pretioſiſſimum omnino antiquitatis philoſophicae monumentum, quod perſpicue hinc intelligitur, quot quantaeque ingenio humano fuerint ſuperandae difficultates, antequam aliqua ſaltem perfundere luce abſtruſiſſimas has metaphyſices notiones poſſet. Argumenti autem obſcuritas

fecit, ut a Platonicis recentioribus, Proclo praecipue, scripto huic fini libro, mire hic dialogus tortus, alio longe, quam quo tendebat Plato, detorqueretur, omnisque theologiae putaretur mysteria exhibere: unde Ficinus, in eodem haerens luto, In Parmenide, inquit, omnem Plato complexus est theologiam, — ad cuius sacram lectionem quisquis accedet, prius sobrietate animi, mentisque libertate sese praeparet, quam attrectare mysteria coelestis operis audeat. Equidem, si mentem mihi non purgatam, opinionibusque profanis offuscatam, obiici, nihil hic mysterii, aut divini, sed sophismatum satis obscurorum cernenti acervum, audiam, nihil mirer: est enim is horum hominum, fuitque semper mos, omnes non intelligere sese eorum mysteria fatentes, aut sensus parum iis subesse contendentes, quasi profanos ac mente caecos calumniari. Induxit autem eos in errorem Zeno Eleates, de uno ex sententia Parmenidis disputans: quod unum cum ipsi existimarent esse Deum, cumque Parmenides ipse unum hoc esse Deum docuisset; de Deo differere Platonem sibi persuaserunt.

Ut autem, quem sibi proposuerit finem Plato, & quidnam sit, de quo disputatur, appareat magis; de origine quaestionis pauca sunt praemittenda. Zeno Eleates, cum magistro Parmenide, sequentes Xenophanem, unum esse omnia docebant, verbis consentientes, re, auctore Aristotele, dissidentes. Quae omnibus erant communia, huc redibant: esse unam modo rem, multitudine omni ac numero sublato, hanc esse Deum, a quo multitudo omnis absit. Quo sensu unum esset accipiendum, Xenophanes non definiebat, ambiguam esse hanc enuntiationem nondum animadvertens, iure ideo reprehensus ab Aristotele, unum posse diverso sensu sumi, ut unum dicimus hominem, affectionum & qualitatum multitudinem non excludentes; unum extensum, partium multitudine non negata; unum denique sensu strictissimo, partium & qualitatum multitudine omni remota. Parmenides accura-

tius paulo unum eo accipiebat ſenſu, quo extenſum dicimus unum, quod e partibus continuis quidem, actu tamen non diſcretis, conſtat. Hoc unum veram eſſe rem, vere exſiſtere, reliqua videri modo, eſſe ſimul univerſum & Deum ſtatuebant; adeoque ad ſubſtantiae genus referebant. Quod cum ſuperiori ſeculo verbis iiſdem aſſereret Spinoza; ab Eleaticis ſumſiſſe, eandemque fovere ſententiam multis videbatur, ad verba potius, quam res reſpicientibus. Unam enim dum Spinoza eſſe contendit ſubſtantiam, quae Deus ſit, unum omnium intelligit ſubſtratum, ſeu unam omnium materiam primam, modificationibus variis diſtinctam, quibus rerum multitudo efficiatur, eodem prorſus modo, quo David de Dinanto materiam primam eſſe Deum, aevo medio docuerat: ut enim in rebus intellectu perceptis una eſt tantum generis notio ſpeciebus omnibus ſubiecta, & differentiis ſpecificis ad varias conſtituendas ſpecies contracta; ita in rebus ſub ſenſum cadentibus unum eſt omnium ſubſtratum, una modo ſubſtantia, qualitatibus varie modificata. Eleatici contra in rebus methaphyſicis non eo uſque verſati, ſenſu magis obvio, & ad communem hominum perſuaſionem propius accedente, unam ſubſtantiam accipiebant, numero eſſe unam, ut unum dicimus hominem, unum animal, partes a ſe diſcretas non agnoſcens, etſi accurate haec verbiſque diſertis non traderent, docentes. Ut ergo genere unum & numero unum inter ſe diſtant; ita Spinozae etiam ab Eleaticorum diſcrepat ſententia. Alii contra ex eadem ſchola philoſophi, quorum princeps erat Leucippus, atomorum auctores & patroni, multa eſſe tantum, unum nullum, volebant. His inter ſe pugnantibus, quidnam de rerum natura ſit exiſtimandum quaeritur; ſitne unum modo, an multa, excluſo uno: idque diſcutiendum hoc dialogo philoſophus ſibi proponit. Quamquam autem pugnare haec inter ſe videantur, & inde Plato conciliandi has philoſophorum familias occaſionem ſumat: re tamen ipſa nulla inter eas

est pugna; multa enim non excludunt unum, quin multitudini omni necessario inest unum. Fecit tamen vocabulorum ambiguitas, ut pugnare secum viderentur: unum namque apud Graecos sumitur & pro eodem; quo sensu adversi sunt sibi omnino, qui esse unum, id est, semper idem & sibi simile, & qui esse multa, id est, nihil semper idem affirmat. Haec ipsa huius vocabuli ambiguitas, cui accedit alterum in hac disputatione maxime frequentatum entis, seu eius, quod est, vocabulum, modo pro eo, quod est in animo, modo pro eo, quod est extra animum, modo tandem pro eo, quod semper est idem, ac mutationis expers, acceptum; sophismata omnia, totamque litem pariunt: unde saepissime de lana disputari caprina in Parmenide apparet; tantum abest, ut mysteria divina, non nisi pectore puro animoque purgato attingenda, tradantur. Denique, inter unum & multa quae versatur oppositio, ut e locis nonnullis supra enarratis, Aristotele praeterea copiose hac de re disputante, intelligitur, vehementer antiquos vexabat, Sophistis multa hinc, quibus dogmaticorum oppugnarent sententias, argumenta petentibus; qua enim ratione idem unum esse simul & multa, unus esse homo, multas tamen habens partes multasque qualitates, posset, non intelligentibus, multumque sibi negotii facessentibus, propterea quod unum pro eo, quod est divisionis & discriminis nullius capax, perperam accipiebant. Parmenides cum Zenone discipulo prope iam septuagenarius Athenas cum venisset; Socrates, quae scripserat Zeno, cupidus noscendi, (libri enim eius tum primum ab iis Athenas deferebantur) eos convenit, auditaque parte libri prima, disputationem cum Zenone est orsus: cui succurrens deinde Parmenides, Socratem adhuc iuniorem, laudato eius ingenio simul & philosophiae amore, nonnihil reprehendit, quod recte mentem in abstrusis his quaestionibus nondum exercuisset, &, ut doceat, qua ratione sit in his versandum, ex omni parte id, de quo disputabatur, examinat. Haec omnia ab Anti-

phonte, qui audiſſe ſeſe e Pythodoro, Zenonis familiari, refert, Cephalo Clazomenio ſapientiae ſtudioſo narrantur. Temporum rationes Platonem in his non ſecutum, cum Parmenides ante Socratis nativitatem obierit, ab aliis iam eſt animadverſum.

Prima autem libri pars, eſſe multa non poſſe, demonſtrabat inde, quod multa ſi eſſent, ſimilia & diſſimilia ſibi ſimul eſſe ſequeretur; quod cum fieri nullo modo queat, multa quoque ſunt nullo modo: cui partes reliquae conſentientes, idem variis argumentis evincebant. Hinc inferente Socrate, Zenonem aliis verbis eadem, quae Parmenidem, docere: hunc enim in carminibus, omnia eſſe unum; Zenonem, multa non eſſe, omni conatu probare, adeoque Zenonem hominibus, quaſi aliud dicat, illudere: negat Zeno, id ſibi eſſe propoſitum, ſed revera ſeſe vehementer Parmenidem iuvare; a vulgo enim Parmenidem, quod abſurda doceat, rideri; quos ut comprimat, ſeſe ex eorum, multa eſſe ſibi perſuadentium, opinione abſurdiora longe ſequi iis, quae Parmenidis ſequuntur ſententiam, demonſtrandum ſumſiſſe. Conceſſis his, rem ipſam Socrates aggreditur, errore quodam in concluſione latente, abſurda videri, quae concluſerat Zeno, licet reapſe nihil ſit ibi, quod ſecum pugnet, oſtendens: concretas enim res, ſeu individua, quae ſenſibus ſunt obvia, ab abſtractis rerum notionibus, ſimilia & diſſimilia ab ipſa ſimilitudine ac diſcrimine, quae ſunt unum & multa, ab ipſa unitate & multitudine, eſſe probe diſtinguenda. Quo facto abſurdi nihil ſequi, ſi quis concretas res ſimiles eſſe ſimul & diſſimiles, unum & multa, affirmet: cum enim ſimilitudinis ac diſcriminis, unitatis ac multitudinis eſſe ſimul poſſint participes; nihil eſſe in hac enuntiatione, quod ſecum pugnet: fore autem, ſi, unitatem eſſe multitudinem, identitatem eſſe diverſitatem, demonſtretur, quod minime tamen argumentis eius ſit evictum. Haec non diſtinguentes plurimos, mirari eorum concluſiones, & validiſſimas exiſtimare. Veriſſime licet hoc & acutiſ-

sime simul a Platone dicatur, quibus iisdem, uberius paulo & clarius expositis, Aristoteles etiam Eleaticos impugnat, argumentaque eorum parum habere roboris ostendit; erroris tamen haud parum admiscetur, dum abstracta haec rerum simul dicuntur esse simulacra, & a rebus seorsim exsistere: quod ipsum adoriens Parmenides, vehementer Socratem premit.

Species enim si a rebus ipsis sunt seiunctae, proprioque Marte exsistunt: omnium, inquit, rerum, & vilissimarum, capilli, luti, sordium, oportet species esse, quarum participatione lutum & sordes exsistant: quibus ubi assignare ideas Socrates veretur, rerum modo maioris momenti esse species affirmans; ridetur a Parmenide, vulgi opiniones insuper esse habendas philosopho, nec earum metu, quae sequuntur opiniones nostras, esse respuenda, dicente. Quod si porro similitudinis, unitatis, aliarumque idearum seorsim exsistentium participatione res singulares, quales sunt, efficiuntur, indeque nomen pariter ac naturam accipiunt; aut speciem totam, aut partem eius individuae habent. Quorum si sumseris illud; quot sunt individua, tot sunt etiam ideae, nec, quod initio dicebatur, una omnium idea exsistit: sin hoc; dividuntur ideae, nec in quolibet singulari totae insunt, quod absurdissimum. Magna enim non magnitudine, sed magnitudinis parte magnitudine minore, magna erunt. Magna porro, si magnitudine sunt magna; ipsam magnitudinem magni alicuius participatione esse magnam necesse est: ut enim illis magnitudo est causa, ob quam sunt magna; ita magnitudini ipsi magnum esse causam necesse est, ob quam est magnitudo: proinde praeter speciem, esse aliam rursus speciem sequitur. Cum Socrates, species esse nihil aliud quam notiones, & nuspiam nisi in animo exsistere, adeoque haud recte haec inferre Parmenidem, respondisset: ille contra, species, si sunt notiones; alicuius & quidem exsistentis oportet eas esse notiones, idque cuius sunt notiones, extra animum exsistere; praeter notiones ergo

sunt exemplaria rerum alia, unde ducuntur ideae, quibus absurda modo commemorata adhaerent: praeterea, cum e notionibus omnia constent; aut intelligere omnia, aut esse notiones, quae non intelligantur, prono alveo hinc fluit. Ideae, respondet Socrates, sunt motus ac mutationis expertes, nihilque praeter exemplaria, quorum reliqua similitudinem prae se ferunt; participatio autem nihil est aliud, quam similitudo. Hinc Platonem de ideis aliud longe, quam Alexandrinos, sentire, aperte satis constat: hi enim, ideas ipsas materiae infundi, & in materiam descendere, contendunt; ille, ad idearum similitudinem res esse conditas, affirmat, quod ipsum Aristoteles etiam indicat, Platonem in eo discedere a Pythagoreis referens, quod hi, ideas materiae immitti, ille, ad earum exemplar materiam formari, doceat. Quo ipso laqueos Parmenidis callide quidem effugit; re tamen ipsa parum sibi prospicit: ideas namque in Timaeo esse causas dicit, quibus materia a motu confuso & ordinis omnis experte arceatur, & constantia in materiae mutationes inducatur; quod fieri nullo modo potest, si nihil materiae inditur, quod eam constringat. Liquet hinc, Platonem in definienda idearum natura, ut in aliis maximi momenti quaestionibus, sibi non constare; quo ipso factum, ut alii alio eum traherent, eiusque patrocinio uterentur. Parmenides alia ratione haec impugnat: quod ad speciei est similitudinem factum, ei non esse similis species non potest; quare species, & quod ad eam est factum, eandem participant speciem; & praeter speciem nova semper emergit species sine fine. His, etsi sophistice conclusis, Socrates accedit, nec quid regerat invenit, cum eadem ratione concluderetur, si artifex ad exemplar animo propositum elaboraverit quidquam; praeter hoc exemplar, fuisse aliud, unde similitudo exemplaris, & rei ad exemplar factae, derivetur, quo fieri absurdius nihil potest. Nititur autem sophisma propositione falsa tacite arrepta, similitudinem omnem ab idea aliqua, seu exemplari ma-

nare, quod a rebus inter se similibus differat: similia namque omnia communem aliquam continent notionem, eaque notio in rebus, ad exemplar factis, ab ipso exemplari nulla differt ratione; sed ipsum est exemplar, bis animo obversans, sub notione exemplaris, & sub ratione notionis, exemplari & rei ad exemplar factae communis. Quamquam autem hoc ideas, quatenus sunt mentis notiones, non ferit; Socratem tamen, ideas per se seorsim exsistere putantem, omnino premebat: sequitur enim, praeter exemplaria esse notiones alias, unde exemplaria inter & res, ad eorum modum factas, similitudo intelligitur.

Alia his subtilissima Parmenides argumenta adiicit, quorum alterum quid sibi velit, vix assequor: si ideae per se seorsim exsistunt, esse in animis nostris nullo modo queunt; in nobis enim si exsisterent, per se seorsim non forent. Ideae porro, utpote naturae abstractae, & per se exsistentes, referri ad res concretas & sensibus obvias non possunt: dominus enim servi, non ipsius servitutis est dominus, & servus domini, non ipsius dominationis (liceat mihi brevitatis simul & necessitatis causa hoc vocabulum a significatione recepta nonnihil detorquere) servus; & quatenus uterque, tum servus, tum dominus, sunt homines, id est, res concretae, dominus dicuntur & servus; in rebus abstractis contra servitus ipsius dominationis est servitus; unde sequitur, concreta ad concreta, abstracta ad abstracta, nunquam abstracta ad concreta referri. Scientia ergo per se sumta, id est, scientiae forma & species, ad ipsam per se veritatem, seu veri speciem refertur; nostra autem scientia, quod apud nos est verum, id est, concreta attingit. Cum itaque ideae ipsae nobis non insint; idearum ope verum non cognoscimus, aut scientiam adipiscimur ullam. Haec qui affirmat, ideasque a nobis non cognosci inde concludit, redargui nequit, nisi in rebus plurimis versatissimus sit idearum defensor, longaque conclusionum ambage per ab-

ſtruſiſſima eum ſequatur. Accedit longe maius etiam hoc, ne Deos quidem ipſos rerum noſtrarum, nec nos rerum divinarum notitiam habere ullam poſſe. Deorum namque ſcientia cum ſit omnium exquiſitiſſima, & veriſſime ſcientia; in rebus etiam veriſſimis, id eſt, maxime abſtractis verſatur, nec pertingere ad nos, noſtraque, quae ſunt concreta, & a verarum naturarum puritate longe remota, ulla ratione poteſt. Eandem ob cauſam Deorum dominatio, quae ad ipſam modo ſervitutem refertur, ad res noſtras non extenditur, Diique nobis nullo praeſunt modo. Quicunque ergo recte haec percipit, & in omnibus ſibi conſtat, multo magis, qui perſuadere haec & perſpicue docere alios valet, is mirificus profecto vir eſt. Quae poſtrema cum Socrates ex animi ſui ſententia eſſe dicta, affirmaſſet; Parmenides, ſublatis prorſus ideis, ſcientiam omnem ac rationem penitus deleri, eſſeque adeo hanc quaeſtionem, ut difficillimam, ita longe maximam, ſubiungit, quam priuſquam in hanc vel illam partem definiat Socrates, maiori & accuratiori praeparatione & examine ſit ei utendum. Ideas qui per ſe putat exſiſtere, & abſtracta veras rerum naturas ac ſinceras eſſe, eum haec abſurda omnia ſequuntur, quibus ſententia Platonis magna ex parte eſt omnino obnoxia. Quidnam autem in ſcribendo hoc dialogo ſibi propoſuerit Plato, hinc ſatis puto liquere: multa ab aliis contra ideas dubio procul erant ſubtiliſſime diſputata, quorum quae plurimum ipſi videbantur habere ponderis, ſub Parmenidis perſona recenſet; eo ipſo, difficillimam eſſe hanc rem, de qua temere adeo non ſit iudicandum, demonſtraturus, adverſariis ſimul, his concluſionibus ideas proſtratas exiſtimantibus, os obturaturus. Cum enim, ut ex dictis apparet, refutare omnia non poſſet, nec, qua ratione ſeſe expediret ex argumentorum laqueis, reperiret; faciendum, quod faciunt omnes, qui ad incitas ſunt redacti, putavit, & longe abſurdiora ſequi e ſententia ideas negante demonſtrando, propter nonnulla explicatu difficilia

ideas non esse spernendas, ostendendum. Quod quo appareret magis, Parmenidem deinde inducit disputantem ita, ut omnis omnino scientia ac veri cognitio tollatur, monens hoc ipso lectores, nullum hinc aliud patere effugium, praeter ideas, quarum ope dialogi principio Eleaticorum sophismata prostraverat, easque adeo, propter difficultates nonnullas a Parmenide propositas, non esse statim repudiandas.

Cum Parmenides, opus esse Socrati exercitatione mentis, dixisset: cupiditate accensus Socrates, qualem intelligat, exponi sibi petit. In unaquaque re accurate examinanda, inquit Parmenides, quid in omnem sequatur partem, expendere & elicere oportet ita, ut videas quid sit eventurum, si res sit, deinde, si non sit, non ipsi modo rei, de qua quaeris, sed aliis etiam praeter hanc rebus, ad quas haec refertur, aut quibuscum aliquid ei intercedit commercii. Ut in quaestione de uno ac multis a Zenone tractata, quaerendum quid sequatur, si multa sint, deinde si non sint. Haec itaque quaestionum examinandarum summa sunt capita, unde porro genera sub his comprehensa Parmenides elicit haec: multa si sunt, quid futurum est his per se sumtis? quid si ad unum referantur? quid uni per se sumto? quid uni ad multa relato? Multa si non sunt, quid accidet uni & multis tum in se consideratis, tum ad se invicem relatis? Longum quidem ac molestum est hoc iter, sed necessarium verum perspecturo. Rectissime haec praecipit Parmenides: non intellectis enim, quae ex enuntiatione fluunt in utramque partem, quaenam sententia sit praestantior, verior, paucioribusque prematur difficultatibus, iudicari nullo modo potest; unde factum etiam, ut quicunque philosophi in disputationibus & opinionibus ante suam aetatem in omnem partem ventilatis multa lectione sese non exercuerunt, diuque dubitando, quid quamque sequeretur, anxie non inquisiverunt, aut parum probabilia & absurda sint amplexi, aut si verum attigerint, casu magis & secreto

quodam rationis inſtinctu ad id videantur delati, parum validi ac robuſti veritatis cum ſint ſemper defenſores.

His praemiſſis, primo loco quid ſequatur, ſi non ſint multa, id eſt, ſi ſit modo unum, aut non ſit, Parmenides inquirit. Unum ſi eſt; cum quod partes habet, aut totum eſt, multa ſit, totum etenim omne e partibus conſtat, utpote eo ipſo totum, quod pars nulla abeſt; partibus id carere, & totum non eſſe, ſequitur. Quod partibus caret, initio, medio, & fine carens, eſt infinitum; unum ergo eſt infinitum, nullaque figura praeditum: idem praeterea, cum quod partium eſt expers, a nulla re alia tangi queat & circumdari, in alio non eſt; nec in ſe ipſo, cum cingi a ſe ipſo nihil poſſit; nuſpiam ergo eſt unum, quod enim nec in ſe, nec in alio eſt, nuſpiam eſt. Omnis omnino mutationis expers eſt unum: neque enim ex alio in alium ſtatum, cum penitus unum idemque non eſſet futurum, nec in eodem moveri, aut ex alio in alium tranſire locum poteſt, cum, quod partibus caret, nullum habeat centrum, cumque, in nullo loco eſſe unum, iam ſit demonſtratum. Nec tamen propterea quieſcit: quod enim in nullo eſt loco, nunquam eſt in eodem loco, & quod in eodem nunquam eſt loco, movetur; quare nec quieſcere, nec moveri unum eſt dicendum. Quin nec ſibimetipſi, nec alii unum eſt idem, neque etiam a ſemetipſo, aut alio diverſum: a ſe ipſo enim ſi eſſet diverſum, ab uno eſſet aliud, nec amplius unum; alteri ſi eſſet idem, alterum, non unum foret; ab altero ſi differret, duo iam, non unum, forent; ſibimetipſi ſi eſſet idem, cum unum & idem a ſe invicem differant, unum amplius non eſſet. Hinc efficitur, unum nec ſibi, nec alii cuidam ſimile, aut diſſimile unquam eſſe: in omni enim ſimilitudine deprehenditur aliquid rebus ſimilibus commune, & idem; unde aequalitas etiam & inaequalitas ab eo omnis eſt removenda; temporiſque proinde menſura, ut unum nec antiquius unquam, aut recentius, aut ſe ipſo, aut alio fieri unquam poſſit. Tempus autem cum nullum ei inſit; nec fuiſſe,

aut futurum esse, immo ne esse quidem unum dicere licet: unde, unum nullo modo esse, efficitur; cumque non entis nulla sint praedicata, uni nomen nullum competit, unum nec scientia, nec sensu, aut opinione cognoscitur. Postrema haec conclusio in errorem Alexandrinos induxit eum, ut putarent, Parmenidem de divina loqui natura, in quam omnia haec ex ipsorum sententia cadunt: dum enim Deum removere ab omni student imperfectione, omnesque notiones nostras sibi persuadent multa habere adiuncta, quae quadrare in Deum non possunt, substantiam enim significare rem mutabilem, & alteri substratam, quod in Deum non cadit, ens autem adiunctam habere temporis notionem, cuius exsors est Deus, & sic porro; eo tandem devenerunt, ut nulla Dei notio relinqueretur, omniaque a Deo essent praedicata removenda, quo ipso in merum non ens naturam hanc praestantissimam converterunt, &, quod est in proverbio, vitando Charybdin in Scyllam inciderunt. Non esse autem hanc Parmenidis aut Platonis mentem, satis inde liquet, quod unum nullo modo exsistere tandem concluditur; unde contra eorum sententiam, Deum non esse, efficitur. Tantum autem abest, ut argumenta haec omnia vim habeant ullam, ut potius nihil sint nisi sophismata, subtilia quidem & arguta satis pro Parmenidis & Platonis aetate, revera tamen lusus meri, ne subtilitatem quidem magnam habentes. Quicunque paulo est in rebus metaphysicis exercitatior, notiones toto coelo diversas semper confundi, statim animadvertet: cuius rei pauca tantum exempla afferam in medium; omnia enim revocare ad examen, esset otio abutentis & lectorum patientia. Unum non posse totum esse, concluditur inde, quod totum est, cui nulla pars deest; unde sequeretur, naturam esse simplicem nullam posse; sequeretur etiam, totum per partes esse definiendum, quo ipso in primas definitionum regulas impingitur, circulum in definiendo vitare iubentes, qui, si per partes totum, & per totum pars definitur, vitari nulla ratione

poteſt. Finem non habere unum, id eſt, eſſe infinitum, efficitur ex eo, quod res partibus carens, finis eſt expers, cum infinitum tamen pateat latius, quam quod termino extenſionis aut magnitudinis caret. Nullibi unum eſſe, Parmenides ex eo concludit, quod in ſe ipſo eſſe unum nequeat, cum aliud continens ſit a contento, non animadvertens, ratione haec tantum differre, ubi de uno eſt ſermo; & ſequi etiam inde, deletis aliis circa ſubſtantiam aliquam omnibus, ſubſtantiam ipſam debere perire, quod nemo ſanus facile ei conceſſerit. Ceterum a Parmenide nunquam, quae Plato iam commemorat, ſunt ſcripta, aut dicta; is enim, teſtibus Ariſtotele, omnibuſque reliquis, qui antiquorum philoſophiam attigerunt, eſſe unum, non autem, eſſe unum non poſſe, ſubtiliter demonſtrabat.

Cum pugnare ſecum, & conſiſtere nulla ratione poſſe, modo probata Socrates dixiſſet; ad aliam & ſecundam quidem hypotheſin Parmenides progreditur, an alia forte hinc ſequantur, examinaturus. Quae allata modo ſunt, ex ipſa unius per ſe ſumti natura concludebantur: nunc unum copulatur cum ente, & quid eveniat, ſi eſſe unum ponatur, Parmenides inquirit. Haec probe diſtinguenda, ne eadem, quae ſupra, quaeri putantes, noſmet-ipſi in laqueos induamus, unde extricare nos deinde nequeamus: prima erat quaeſtio, ſi unum eſt, ſeu, ſi quam rem dicamus unam, quid ſequatur? altera eſt, ſi unum exſiſtit, ſeu ſi uni tribuamus τὸ eſſe, quid efficiatur? In quaeſtione priori eſſe & unum non diſtinguebatur; in hac autem eſſe & unum diverſas ſignificant res, unde fit, ut ſi unum eſt, partes habeat, ſitque ex unius & exſiſtentiae natura compoſitum, adeoque etiam totum. Hae autem partes cum intimo ſemper nexu cohaereant, nec hypotheſis noſtra ſeiungere eas a ſe invicem patiatur; pars utraque in duas rurſus ſecatur, in unum nempe, quod eſt, & unum, quod eſt unum, &c. eaque diviſio cum in parte quavis ſemper recurrat, ſi unum eſt, infinitam ſequitur eſſe multitudinem, ac numerum infinitum omnis generis numeros con-

tinentem. Unum igitur in partes quoque infinitas dividitur: quaelibet enim pars exſiſtentiae eſt particeps, ſeorſimque adeo & per ſe poteſt exſiſtere. Partes autem cum totius ſint partes; unum ſit totum neceſſe eſt, & finitum, cum partes omnes a toto tanquam termino comprehendantur, & toti includantur. Eſt ergo unum quod eſt, unum ſimul & multa, totum & partes, finitum & infinitum. Finitum porro quod eſt, figuram habet; & totum quod eſt, partes in ſe continet: quare unum, quatenus e partibus conſtat, in ſe ipſo, quatenus autem totum eſt, non in ſe ipſo, ſed in alio eſt; totum enim eſſe in partibus ſingulis nequit, aut igitur nuſpiam, id eſt, plane non, aut in alio eſſe, concludendum eſt. Quod in ſe ipſo ſimul & in alio eſt, movetur ſimul & quieſcit: in ſe enim quod eſt, in eodem ſemper exſiſtens, quieſcit; in alio autem quod ſemper eſt, movetur; igitur unum movetur ſimul & quieſcit. Unum ab uno cum non differat, ſibi unum eſt idem; cum autem in alio ſemper ſit loco, a ſe ipſo differt: ergo unum, idem ſimul ſibi & non idem eſt. Unum diximus eſſe; quod autem eſt, temporis eſt particeps, & quod temporis eſt particeps, ſenius iuniuſque continue ſe ipſo fit: ergo unum ſemper ſe ipſo antiquius fit & recentius. Rurſus cum quodcunque mutatur aut eſt, nullo alio tempore ſit aut mutetur, quam in quo eſt & mutatur; unum ſe ipſo nec iunius ſit, nec ſenius. In eundem modum plura ſubnectuntur ſophiſmata, quae referre piget; donec ad concluſionem tandem ſuperiori oppoſitam deveniatur, unum fuiſſe, eſſe, futurum eſſe, ſenſibus & mente cognoſci, nomineque inſigniri poſſe. Ut etiam haec ſophiſmata eſſe conſtet, unum modo alterumque exempli loco afferam. Unum quod eſt, e partibus conſtare concluditur inde, quod unum & eſſe differunt: iam autem haec ratione modo differunt, ſuntque partes tantum notionis; quare dividi unum revera poſſe, & veris conſtare partibus, minime ſequitur. De partibus autem numero infinitis quae dicuntur, extremae ſunt abſurditatis: putat enim Parmenides hoc effici ex unius & τοῦ eſſe notionibus ſemper

copulatis, propter quas unum quod est, non dividi modo in unum, & esse, sed unum rursus in unum & esse, & esse in unum & esse, & sic in infinitum, possit; perinde ac si quis dicat, denarium, qui constat ex assibus, dividi in denarium & asses, & singulas rursus partes in denarios & asses posse. Separata semel exsistentia ab unitate, qui inter ea antea erat, nexus tollitur, nec ullo iure exsistentiae inesse rursus unitatem, aut unitati exsistentiam, dicere licet.

Comparans deinde, quae unum non sunt, cum uno, quid futurum sit aliis ab uno, posita unius natura, quidque aliis sit eventurum, si esse unum ponatur, quaerit; eademque sophistica ratione hinc elicit absurda multa, quaeque, nisi ratione & otio misere abutenti, venire in mentem nequeunt. Equidem haec legens, tanto afficior taedio, ut iis referendis immorari prorsus nequeam, lectoresque, praelibatis iam superioribus, gratiam mihi, quod eos morari his noluerim, sperem habituros.

Secundam deinde Parmenides aggreditur quaestionem, unum si non sit, quid sequatur? unde specimen aliquod afferre nihil attinet, cum omnia sint superioribus similia, cumque res maioris momenti adhuc restent dicendae.

CONVIVIUM.

In hoc dialogo duo sibi proposuisse Plato videtur: alterum, de amoris natura, & qualis esse debeat, differere; alterum, Socratem laudare, & sinistros, qui de eo ferebantur, rumores purgare: quae ambo mutuo quodam vinculo copulantur. De amore saepius solebat Socrates loqui, & vocabulo rei turpissimae, sed quae per omnem vigens Graeciam, turpis haberi fere desierat, cuique, si bono accipiatur sensu, plurimum inest iucunditatis & emolumenti,

ad conciliandos sibi iuvenum animos uti; ob id ipsum in suspicionem vitae turpioris adductus, & a luxuriosis ad causae patrocinium adhibitus, qui graviori nullo exemplo tueri vitam sese posse rebantur. Hanc ut maculam a Socrate abstergat, grati animi discipulus, amorem proborum virorum ac sapientum, alium esse longe ab amore luxuriosorum, cum duo sint amoris genera, demonstrat, quorum alterum Socrates probaverit, ab altero sese plane abstinuerit; idque Alcibiadis illius pulchri, ob cuius amores infamis habebatur Socrates, testimonio firmat. Habiti autem hi de amore sermones fuerant in convivio Agathonis poëtae, quo, sacrificio ob palmam sibi in poëtarum certamine a populo Athenienſi delatam facto, amicos per biduum exceperat; quibus bibendo pridie fatigatis, sermonibus terere tempus, relicto, quantum vellet bibere, cuiusque arbitrio, placuerat. Huic convivio Socrates, cum pridie vocatus venire non potuisset, altero die intererat, finique eius supervenit etiam Alcibiades iam potus. Apollodorus, quae dicta ibi erant, audita ab Aristodemo, familiari narrat: Aristodemum obviam Socrati factum, ab eoque, ut secum pergeret ad Agathonem, rogatum, & persuaderi sese passum, cum Socrate iter esse ingressum; Socratem autem, tardius incedentem, iussisse eum praecedere, sicque solum Agathonis domum intrantem, Socratem nuspiam conspexisse: Agathonem, audito Socratem cum Aristodemo venisse, puerum vocare eum iussisse, qui, Socratem in vestibulo proximo stantem cum arcessisset, nolle eum venire, renuntiarit; quo facto Agathonem coenam iussisse afferri, Aristodemo ut Socratem mitteret rogante, hunc enim esse ei morem: Socratem autem media ferme coena ingressum, Agathone, rem, quam quaesierat, inventam, utpote qui ante non destitisset, ei gratulante. Tum Pausaniam, placeretne sermonibus tempus terere, rogantem, cum assensu auditum; & Eryximacho, de amore, cuius laudes a poëtis non minus, quam oratoribus neglectas videat, a convivarum singulis differi sibi placere, dicente, omnes assensos.

Orationes igitur, quae memoratu digniſſimae ſibi ſint viſae, ſeſe relaturum.

Phaedrum primum hoc fere modo locutum: Magnus & mirus inter Deos hominesque Amor Deus eſt; antiquiſſimus enim eſt, ut cuius parentes a poëtis non memorantur, quemque inter primos genitum omnes fatentur: idem maximorum nobis bonorum eſt auctor; quid enim iuveni utilius probo amatore; aut viris, amaſio pulchro? Nemo, praeſente quem amat, quidquam in ſe admittere turpitudinis aut dedecoris audet; nemo fortius pugnat, ut nihil dici fortius poſſit exercitu, ex amatoribus & amaſiis conflato; nemo adeo eſt ignavus, quem amor non ad virtutem ſtimulet, unde pro iis, quos amamus, mortem ſubire non recuſamus. Dii etiam ipſi praemiis afficiunt, qui recte amant, teſtibus Alceſte, ac Achille: quorum alteri mariti vitam donarunt, alterum, pro Patroclo amatore pugnantem, in beatorum inſulas tranſtulerunt.

Phaedri, & qui poſt eum locuti fuerant, ſilentio ab Ariſtodemo praetermiſſi, orationes iure Pauſanias reprehendit, perperam laudari Amorem in univerſum, cum duo Amores probe ab invicem ſint diſtinguendi. Veneres enim eſſe duas, alteram Urani filiam, antiquiorem; alteram Iovis & Dionis, iuniorem, quae pandemos, ſeu vulgaris ſoleat dici: adeoque duos etiam Amores, cum nullus ſine Venere Amor exſiſtat. Quamquam autem Dii omnes laude ſint celebrandi; tamen, cum actio omnis per ſe nec bona ſit, nec mala, fiat vero aut bona, aut mala, prout recte, aut perperam perpetratur, & proinde nec omnis amor ſit honeſtus, & laude dignus, Amores hos eſſe accurate diſtinguendos. Qui igitur ad vulgarem refertur Venerem amor, eum, ut vulgarem, & hominum abiectorum, feminas perinde ac pueros, & corpora potius, quam animos amantium, & voluptatem modo ſpectantium, eſſe vilem, nec laude ulla dignum. Coeleſtis contra Veneris amorem, adoleſcentibus ſolis intentum, moribus eorum & ingeniis delectatum, eaque emendare ſtudentem, ut firma inde ac

perpetua gignatur per totam vitam amicitia, ſumma laude eſſe decorandum. Lege itaque eſſet cavendum, ne quis pueros amet, cum his maxime propter mores adhuc incertos inſidientur amatores vulgares: cuius legis veſtigia in nonnullis quidem civitatibus exſtant, in quibus reprehendere tamen multa poſſis; in Elide enim & apud Boeotios, dicendi artem non callentes, amatori gratificari pulchrum habetur, in Ionia & ſub barbarorum imperio turpe contra, quod philoſophiae, & exercitiorum corporis ſtudium, amicitiaeque conſtantes ac magnae, animos acuentes, & erigentes, dominationi non conducunt; apud nos vero & Lacedaemonios varia de amore exiſtimantur, unde appareat, rem ipſam turpem eos non iudicare, ſed ſi recte fiat, honeſtam, ſin perperam, odio dignam. Turpis namque eſt corporis amor, qui nec perpetuus eſt, nec in rem perpetuam fertur; honeſtus contra morum & animorum amor, ut alios reddamus meliores, aut ab aliis emendemur ipſi, ſtudens. Hic itaque eſt decantatus ille Platonicus amor, quem amicitiae vehementioris eſſe genus ſatis hinc apparet; quemque ideo hoc nomine videtur philoſophus magis, quam proprio inſigniiſſe, ut a turpi illo corporum commercio homines abſterritos, ad ſanam mentem, vitamque recte inſtituendam revocaret; faciliuſque, retento nomine antiquo, ut ſe ſequerentur, iis perſuaderet: ſolent enim homines res novas, praeceptaque vitae nova, antiquis & conſuetis involuta vocabulis, ad animum facilius admittere, vocabulorum contra novitate a rebus vel optimis abſterreri. Ceterum longe alius eſt hic Platonis amor ab eo, quem Platonicum nos conſuevimus vocare, in ſexu etiam feminino animum, neglecta corporis forma, praecipientes amandum; quod ſane Platoni non venit in mentem.

Pauſaniam excipiens Eryximachus medicus, recte eum dicit duo amoris genera conſtituiſſe, ceteraque optime locutum, niſi quod orationem haud optime concluſiſſet: haec igitur fere ſuppleturum. Amor non hominibus tantum & animalibus, ſed omnibus praeterea rebus ineſt; quare

de eo dicendum in universum, ut, qui probus sit, quive improbus, recte intelligatur. Alius est in corporibus sanis, alius in aegris amor; in eoque medicina omnis versatur, ut illi gratificemur, huic adversemur; illum alamus, hunc pellamus; qui idem gymnasticae etiam, agriculturae, ac musices finis est. Hoc intelligens Heraclitus, verbis tamen haud aptissimis usus, unum, a se ipso dissidens, in concordiam rediisse, instar lyrae concentus, dicit: gigni namque harmonia e dissonis, quamdiu sunt dissona, nullo modo potest; adeoque harmoniam e gravi & acuto antea dissonis ortam dicere forte volebat. Maximi ergo momenti res est, hos amores ab invicem recte discernere, ut probo amori semper obsequamur, improbo per omnia adversemur. Quae de Heraclito afferuntur, hunc habent sensum: unum, id est, omnium elementorum in ignem illum divinum versorum massa, pugnantibus secum qualitatibus contrariis, frigore, calore, humiditate, siccitate, ab igne ante subactis, dissidio coepit intestino laborare; ignem namque elementa tandem omnia superata, in suam vertere naturam; eoque ipso mundi effici exustionem putabat. Pugnantibus autem inter se his, ex igne reliqua rursus elementa procreabantur, quibus formatis, concordia & ordo coepit restitui: unoquoque enim elemento pondere suo certum denique locum occupante, & ab aliis omnibus sese seiungente, ornatus mundi & ordo emerserunt.

Eryximacho, ut medicum & physices studiosum decet, de amore locuto, succedit Aristophanes, poëta comicus, poëtice simul & ad movendum risum accommodate de amoris causa & origine differens. Fuit olim hominum natura alia longe, quam nunc conspicitur: tria namque principio fuerunt hominum genera, masculinum, femininum, & cuius nomen modo superest, re sublata, androgynum, utriusque sexus particeps. Horum hominum figura erat rotunda, manibus quatuor, totidemque pedibus instructa, capite uno, faciebus duabus adversis, auribus quatuor, genitalibus duobus, ita ut dorsis adversis pectora & abdo-

mina essent conglutinata. Mares a sole, feminae a terra, androgyni a luna erant procreati. Robore corporis ingenti pollentes androgyni Deos ipsos oppugnabant, quaeque Oto, Ephialto & gigantibus tribuunt poëtae, hi audebant. Quos cum Iuppiter aliique Dii, ne honores & sacrificia, cultusque omnis Deorum periret, delere fulmine sibi non iudicarent expedire; vix demum, inita aliqua ratione, Iuppiter Deos alloquens, Videor mihi, inquit, reperisse, quo eos compescam: in duas singulos partes dividens, infirmiores eos simul, nobisque ob auctum numerum utiliores reddam; quod si ne hoc quidem suffecerit, dividam iterum, ut uno tantum pede ingrediantur. Quo simul dicto, medios divisos Apollinem iussit curare: qui circumacto vultu in partem anteriorem, ut ob oculos semper habentes sectionem essent modestiores, effecit, vulnusque cute adducta & in regione umbilici consuta, curavit. Hinc autem nova mali seges suborta: dimidium enim quodvis, alterius ductum amore, id quaerebat; inventoque cum propter coalescendi denuo cupiditatem adhaerescceret, fame homines moriebantur. Miisertus itaque eorum Iuppiter, aliam mali medicinam excogitavit, genitalia in partem corporis anteriorem transferendo; hucusque enim non ex se invicem, sed cicadarum instar e terra generaverant sobolem; ut satiati amplexibus, rerum ad vitam necessariarum gererent curam. Haec itaque est amoris causa: unusquisque cum sit hominis particula dimidia, partem alteram, quacum coniunctus coalescat in unum, quaerit; qui ex androgynis sectis sunt orti, feminarum amori viri, virorum feminae indulgent; qui e muliere secta procreati sunt, feminas sectantur; qui autem secto mari originem debent, puerorum amoribus sunt dediti. Amoris itaque causa cum sit partium ante unitarum seiunctio; finis eius est, non coitus, sed in priorem conditionem restitutio, idque intelligitur & inde: si Vulcanus amantibus polliceretur, sese eos vinculis firmissimis copulaturum, rursusque adunaturum; laeti omnes acciperent. Hanc voluptatem & felicitatem

amore nobis parante, ſpem ſimul oſtendente, fore, ut poſt hanc vitam rurſus uniamur; pie eum colamus, beneficiorumque, quibus nos onerat, gratiam ei habeamus.

Ariſtophanem excipiens Agatho, Haud recte, inquit, qui ante me dixerunt, in laudando mihi Amore videntur verſati, ob beneficia eum magis, quam egregias, quibus ornatur, dotes, praeclaramque naturam, celebrantes. Deorum omnium beatiſſimum equidem iudico Amorem: pulcherrimus enim ſimul & optimus eſt; alterum, ob iuventutem perpetuam, teneritatem, & aetatis florem; alterum, ob animi, ab omni iniuria & laeſione averſi, temperantiam, qua aliis omnibus cupiditatibus & libidinibus moderatur, fortitudinem, qua & Martem ſuperat, ſapientiam denique, qua poëticum ſpiritum amantibus infundit, artes docet, ruſticitatem amovet, feritatemque omnem ex animis evellit.

In his omnibus etſi aliquid philoſophiae inſit, recte tamen & ad verum accommodate per omnia non dicuntur: unde Socrates, devoluto ad eum dicendi ordine, non poſſe ſeſe hac ratione amorem laudare, eorum ſequendo morem, qui ſimul enarrare alicuius laudes ſibi propoſuerunt, de vero parum ſolliciti, undecunque ſplendida & laude digna corradunt; ſed ſuo potius modo, ad verum reſpicientem, & accurate amoris naturam indagantem, de eo ſe dicturum profitetur: placere ſibi vehementer Agathonis, naturam amoris pro fundamento ſubſternentis, rationem, de ea tamen aliter, quam Agathonem ſeſe ſentire; id quo magis appareat, nonnulla ſibi laudationi, ad accuratius definiendam amoris indolem, videri praemittenda. Amor omnis cum ad aliquid feratur, quod, quia nondum habet, concupiſcit; cumque cupiditas omnis ab indigentia manet, nemo enim, quae habet, cupit, & quotieſcunque optare nos, quae habemus, dicimus, nihil intelligimus aliud, quam, quae nunc habemus, in poſterum etiam habere ac retinere nos velle: eſt indigus, adeoque pulchritudinis, utpote quam amat, expers; cum porro bonum & honeſtum ſit

idem, quod pulchrum, bono etiam omni amor caret. Perperam ergo ab Agathone, quasi bonorum omnium esset particeps, celebrabatur: cuius ergo orationem missam iam faciens, quae de amore audivi e Diotima muliere sapientissima, referam. Quae postquam me eadem, quae Agatho, existimantem, iisdem ferme argumentis, quibus Agathonem ego, refutasset: an igitur, aiebam, amor deformis est & malus? Absit, inquit; ut enim inter sapientiam & insipientiam, ita inter pulchritudinem & deformitatem est medium aliquod, quod nec pulchrum est, nec deforme. At, magnum tamen esse Deum Amorem, fatentur cuncti! Deum? Sunt, qui Deum esse Amorem prorsus negant, quorum e numero est uterque nostrum, ut qui Deos omnes beatissimos existimantes, Amorem bonorum omnium & beatitudinis expertem iudicantes, divinitatem ei omnem denegamus. An mortalis igitur est Amor? Minime gentium; inter Deos enim & mortales tertium Daemonum genus interiacet, quorum ministerio res humanae, preces & sacra Diis, Deorum voluntates & mandata hominibus nuntiantur; qui quod inter immortales mortalesque interiectum est spatii complent, ut apte omnes universi partes cohaereant; quorum auxilio vaticinia cuncta, expiationes, initiationes, divinatio, magicaeque praestigiae fiunt, omneque Deos inter & homines, cum Dii non misceantur hominibus, commercium, & vigilantibus & dormientibus nobis, perficitur, ipsa etiam sapientia omnis nobiscum communicatur: quicunque enim artes callet, quae manuum ope exercentur, opifex tantum; qui contra in artibus est versatus, quae ingenio & mente indigent, δαιμόνιος consuevit vocari. Inter hos Daemonas Amor etiam numeratur. Intelligitur hinc, Platoni iam placuisse, sapientiam, ac praecipuas ingenii dotes Daemonas nobis impertiri: quod idem rudis antiquitas cuncta, teste Homero, a Deorum aliquo doctum esse omnem artificem egregium, & a Diis inspirari sapientibus consilia, canente; rudis etiam barbarorum hominum aetas, auctoribus, quicunque incultas gentes adierunt, ho-

dieque sibi persuadet. Nec mirum, haec ita fieri, cum, quorum causas ignorant homines, quaeque ingenii modulum excedunt, ad divinam semper naturam referantur; unde sequitur necessario, quo rudiores sunt homines, rerumque naturae magis ignari, eo plura Diis auctoribus tribui. Id potius mirum, esse hodie multos adhuc, sapientiae laudem affectantes, qui in eodem haerent luto, Daemonum, sive, ut nunc consueverunt loqui, spirituum afflatu, & cum angelis commercio, omnem homines sapientiam doceri existimantes, eumque in finem adiurationes, caerimoniasque miras ac superstitiosas excogitantes, ut apparere spiritus, & respondere ad interrogata cogantur; quos, tot seculis a barbarie iam elapsis, totque praeclaris ad verum cognoscendum subsidiis iam paratis, nihilo esse quovis barbaro, ac de infima plebe homine, quovis Hurone aut Kamtschatkae incola sapientiores, non pudet. A philosophis post Platonem spreta & irrisa haec opinio, circa Christi deinde nativitatem, invalescente omni superstitionum genere, quo magis ab Romanorum dominatione animorum & ingeniorum libertas opprimebatur, ab Alexandrinis, Aegyptiorum, & orientis gentium, nunquam satis cultarum, & religionibus supra modum eadem de causa deditarum, superstitionibus infectis, est revocata; cumque horum philosophia ad gentes barbaras, literisque nondum satis excultas transiret, nacta eadem persuasione infectos, semper viguit, donec per Arabes ad nos tandem transmitteretur, qui per breve illud temporis spatium, quo Cartesii, Newtoni, Leibnitii, aliorumque studiis genuina floruit philosophia, eam sprevimus, desinente autem summorum philosophorum progenie, ac tenebris redeuntibus, in eandem rursus prolabimur. Ceterum non est praetereundum, Platonem de magia haud constanter loqui: in libris enim de legibus incertum, an sit magia, existimabat; nunc, Daemonum eam ope peragi, haud cunctanter affirmat.

His praemissis originem Amoris exponit ita: Dii cum Veneris celebrarent natales, & Porus, opum Deus, con-

vivio intereſſet; Paupertas, cibi aliquantulum mendicabunda, acceſſit. Porus nectare gravatus in Iovis hortum conceſſit dormiturus; ad quem Paupertas, ut ex eo prolem conciperet, clam acceſſit, Amoremque deinde eſt enixa. Venerem itaque, utpote in eius natalibus genitus, comitatur, naturaque, cum pulchra ſit Venus, pulchritudinem ſectatur; cumque Paupertatem habeat matrem, indigus ſemper eſt omnium, pauperumque more, ſqualidus, durus, pedibus nudis, ſub dio, & ante fores, matrem ſequens, noctes exigit. A patre autem habet, quod bonis & pulchris ſemper inſidiatur, prudentiam concupiſcit, perque omnem vitam philoſophatur. Haec eſt Amoris natura: qui autem ſapientem eum ac beatum putant, eos in errorem inducit, quod Amorem eſſe talem exiſtimant, quale eſt quod amatur, cum potius talem haberi par ſit, qualis eſt amans, ut cui amor ineſt, quique ab eo ſtimulatur. Utilitatem autem hominibus quam afferat, intelligitur hinc: pulchra amant homines ob eandem cauſam, ob quam bona, ut felicitatem adipiſcantur, hinc cupiditates omnes, amor omnis proficiſcitur: is autem felicitatis amor, in multa rurſus genera diſpeſcitur, alii enim divitias, alii potentiam, alii ſapientiam, alii aliud amant; quare amor in univerſum nihil eſt aliud, niſi appetitus, quo bonum ſibi ſemper adeſſe omnes cupiunt; qui autem proprie amor vocatur, ſeu ſpecies ea, cui maxime id nomen haeſit, eſt partus in pulchro, tam quoad animam, quam quoad corpus. Quod quo explicetur magis, tenendum, omnes homines ſemper animo & corpore eſſe praegnantes, & ſimul certam attigerint aetatem, edere partum cupere, idque fieri aliter, quam in pulchro, non poſſe; eſt enim generatio res divina, pulchro conſona, a deformi abhorrens. Sciendum porro, cum natura amor omnis bona ſemper nobis eſſe, id eſt, coniuncta immortalitati nobis adeſſe cupiat; eſſe eum immortalitatis cupiditatem; ob eamque ipſam rem ad generationem tendere; liberorum namque & prolis procreatione omni mortalium generi immortalitas conciliatur

& perpetuitas, quam adipiſci alia ratione nulla queunt. Solis quippe rebus ſempiternis ſemper eſſe eiſdem eſt datum: quae vero mutationi ſunt obnoxia, cum eſſe eadem ſemper non poſſint; inter ipſas tamen viciſſitudines quandam habent perpetuitatem. Ut enim homo, per omne vitae ſpatium tum corpore, tum animo vehementer mutatus, idem nihilominus dicitur; ita res ſucceſſivae, quamdiu in eodem manent genere, individua licet alia aliis ſuccedant, eaedem permanent, & immortalitatis cuiuſdam ſunt participes: & quemadmodum homo in ſenectute idem propterea dicitur, qui fuerat in infantia, quod decedentes corporis partes ſimiles ſibi, earum occupantes locum, relinquunt, & in opinionum locum ſuccedunt aliae; ita genus univerſum audit idem & immortale, quod pereuntium loco nova ſemper & ſimilia relinquuntur individua. Ineſſe autem hominum animis hunc immortalitatis amorem, viros magnos & praeclaros famae & laudis ſempiternae cauſa magna ac difficillima facere reputanti, ſatis conſtat. Qui igitur corpore ſunt foecundi, feminas ſectantur; qui autem animo, prudentiam rerumque optimarum ſcientiam, cum omni virtute, gignere in animis aliorum ſtudent. Hi delectati pulchritudine, pulchros ſequuntur: quibus ſi ineſſe animam etiam pulchram intellexerint, exſultantes, amicitiam cum iis firmiſſimam, & familiaritatem intimam contrahunt. Egregie haec Plato exſequitur: qui etſi primo intuitu ſubtilius videatur, quam verius, amorem etiam vulgarem e ſtudio immortalitatis derivare; re tamen penitius inſpecta, a vero haud plane aberrat. Hominum namque plurimi eſſe ſibi liberos cupiunt ideo, ne nomen gentis exſtinguatur, immortalitatis aliquod genus affectantes: naturam porro, ut ſerventur animalium genera, amoris ſtimulum corporibus indidiſſe, apud omnes recte philoſophantes eſt in confeſſo. Nonnihil tamen erroris, hypotheſi ſerviens, obrepere ſibi noſter eſt paſſus, ſolum immortalitatis ſtudium amoris cauſam exiſtimans. Ceterum his ipſis pſychologiae altioris genus ineſt, quod

recentiori demum aevo magis a philosophis coeptum est coli: amorem namque, qui est cupiditatis species, derivare e genere noster studet; quod idem accuratius exsequuntur recentiores, an cupiditates cunctae ex uno aliquo manent fonte, quaerentes, multaque, quae circa animam observantur, e paucis & per se manifestis explicare initiis studentes.

Cum amorem pro cupiditate Plato accipiat, omnemque ad bonum & felicitatem ferri cupiditatem doceat; amandi praecepta esse ei nulla alia possunt, quam quae philosophis aliis sunt praecepta felicitatis adipiscendae. Horum duo facit genera, duosque amores, alterum commune, alterum sublime & summis philosophis dignum, prout nempe bonum & felicitas definitur e communi hominum opinione, aut ex accuratiori philosophorum sententia. De illo dixerat hucusque Diotima; de hoc iam orditur sermonem, perfecta & ἐποπτικὰ haec amoris mysteria vocans. Quicunque his cupit initiari, a iuventute statim pulchra amet corpora, & unum sibi deligens amicum, veris eum rerum notitiis imbuat; hinc deinde ad contemplandam, quae omnibus est corporibus communis, pulchritudinem progrediatur, omniaque corpora pulchra amet. A corporibus tunc ad animas sese erigat, earum scrutando pulchritudinem, animamque pulchram pulchro corpori anteponere paulatim assuescendo, & quod in legibus, officiis, & moribus est pulchrum hinc perspiciendo, donec unam esse in omnibus pulchri naturam intelligens, pulchritudinem animarum corporum anteferat pulchritudini. A legibus & moribus ad scientias progrediatur, ut, ampliori pulchritudinis notione parta, pulchritudinem rebus singularibus inhaerentem minoris faciens, ad ipsum tandem omnis pulchri fontem accedat. Scientiis namque & philosophia praeparato satis animo, ipsum per se & suapte natura pulchrum, ab omni concretione mortali liberum, semper sibi simile, a deformi ac turpi remotum longissime, cuius participatione rebus aliis pulchritudo inest, a

passione omni immune, conspiciet. His gradibus ad pulchri ipsius contemplationem evectus, summa fruetur beatitudine, humana omnia, aurum, argentum, pompam, quaeque alia maximi vulgo fiunt, parvi pendens, quin cibo potuque neglecto, contemplationi huius pulchri unice inhaerens, nihil aliud, quam id intueri, indeque summam haurire felicitatem cupiet. Quae cum ita sint, nihil profecto hominibus ad adipiscendam beatitudinem magis conducit amore. Pulchrum ipsum, & pulchri omnis fontem nullum intelligit, praeter Deum, pulchrumque, quod proprio sensu accipiebatur initio, tandem pro perfecto adhibetur: quas significationes utrasque Graecus sermo coniunxit; nec id praeter rem, cum omni pulchritudini insit perfectio quaedam. His praestructis, vis & sensus argumentationis Platonicae facile perspicitur. Nostro loquendi more, haec ita enuntiaremus: ab ea, quae corporum formis & figuris inest, perfectione, ad contemplandam, quae in animis, eorumque operibus, in legibus, moribus occurrit, hinc ad eam, quae in scientiis abstractis, philosophia maxime deprehenditur, perfectionem intuendam progrediendum, unde tandem ad perfectionis ipsius devenitur contemplationem. Recte a singulari ad universale, a concreto ad abstractum, in cognoscenda rerum natura pedem Plato docet promovendum: quod autem, hac via ad Dei cognitionem accedi, sibi persuadet, egregie fallitur. Hanc qui sequitur methodum, perfectionis ampliorem semper & accuratiorem adipiscitur notionem, donec ad ipsam tandem perfectionis maxime abstractam & ad omnia sese extendentem perveniat notionem. Iam notio perfectionis latissima, toto coelo differt a notione perfectionis summae: porro notio perfectionis summae longe alia iterum est ab notione entis perfectissimi; nisi forte, Deum ipsum esse summam perfectionem, placeat nobis affirmare. Hic error Platonis omnino insedit animo, quem post eum multi errarunt: an alii ante eum, liquido vix potest definiri; probabile tamen est, Pythagoreos esse

primos eius auctores, abstractis animi notionibus exsistentiam nonnunquam tribuentes, substantias eas existimando, id quod eorum πρῶτον ψεῦδος fuisse mihi quidem videtur. Hi gradus iidem a Platonicis deinde recentioribus, ut ad Deum ascendamus, vehementer commendantur, unde in scholasticorum complurium, ac mysticorum theologorum ac philosophorum scholas irrepserunt: qui orationis figura in errorem abrepti, ad intuendum ipsum Deum hac ratione posse perveniri sibi persuaserunt; non animadvertentes, ideam, seu notionem entis perfectissimi, hoc tantum modo e rebus sensibus obviis abstrahi. Sonant quidem verba Platonis, ac si Deum ipsum intueri philosophos existimasset: ferunt tamen & interpretationem saniorem; cui opitulatur praeterea, quod corpore demum solutos, ad Deum veraque ac sinceras rerum naturas intuendas nos accedere, alibi docet. Beatitudinem autem ex naturae perfectissimae contemplatione ad nos redundantem nullam intelligit aliam, quam voluptatem e mentis exercitio verique inventione manantem, auctam insuper rei summae ac praestantissimae intuitione: quotiescunque enim magnae alicuius rei notio obversatur animo, haec ipsa obiecti magnitudo animum extollit, & iucundissimo magnitudinis sensu perfundit. Hanc voluptatem mystici deinde, Alexandrinorum prementes vestigia, ab ipso Deo mentibus infundi existimantes, quod naturam sequitur rerum, causae extra naturae ordinem constitutae tribuerunt. Quam inanis itaque sit, & ab omni prorsus fundamento destituta mysticorum & theosophorum philosophia, perspicue hinc apparet: quam qui sequi per omnes voluerit ambages, &, demtis verborum ampullis, nudam animo sistere; aut orationis figuris in sensum proprium misere detortis, & paralogismis, risu potius, quam plausu dignis, aut imaginationis, omnem rationem respuentis, niti deliriis totam deprehendet.

His a Socrate dictis, intrat Alcibiades, qui, ut temulentus, cum strepitu multo iocatus, in ordinem tandem

cogitur, monitus a convivis, unicuique laudes Amoris esse celebrandas, ad eumque dicendi ordinem iam esse devolutum. Negat Alcibiades sese cum sobriis oratione certaturum; tamen, ut aliquatenus satisfaciat legi a convivis scitae, de Socratis laudibus dicturum, idque praesente ipso, quo facilius, si quid falsi narret, redarguatur. Est Satyro quidem aut Sileno, inquit, facie Socrates similis; intus tamen totus pulcher ac divinus, qui eloquentia & rationum pondere omnes superat oratores, meque adeo saepe movet, ut, pessime de me sentiens, vitam vix tolerem: quem ego solum vereor, nihil, quo eum redarguam, me habere probe mihi conscius. Sub hac Sileni figura mira latet temperantia ac moderatio; divitias enim, quaeque alia homines magni faciunt, Socrates contemnit; pulchritudo nulla castitatem eius expugnat, ut saepe, eum forma mea captum existimans, sum expertus, qui semper me ei obtuli, immo ad coenam cum vocassem mecum solo totam in eodem conclavi, lecto propinquo, noctem ut exigeret, effeci; quibus tamen omnibus nihil omnino profeci. Laborum praeterea ei patientia inest summa, qua in ea, cui una interfuimus, expeditione omnes superavit. Frigus quam facile toleret, intelligitur inde, quod, quo tempore nos alii pellibus aliisque vestimentis muniti e tentoriis progrediebamur, nihil Socrates vestitui solito addebat. Quin, cum in profundam aliquando incidisset meditationem, a summo mane ad lucem usque sequentem sub dio in eodem loco immotus stetit, donec, quod quaesierat, invenisset. Fortis animi hoc maxime dedit documentum: vulneratum me, hostibus undique cingentibus eripuit; cumque apud Delium nostri fugerent, cum Lachete, omnia circumspiciens, trucique vultu, quo terrorem hostibus incuteret, pedem retulit. Haec non diu post Socratis obitum, ipso eodem tempore scripta, quo plurimi adhuc, qui Socratem viderant ipsum, superessent, removendae ab eo omni turpis amoris suspicioni, ni fallor, sufficiunt. Patet praeterea hinc, quod su-

pra iam innui, Socratem ecſtaſes nonnunquam, ſumma animi contentione meditantem, eſſe paſſum: cuius rei in hoc dialogo duo exſtant documenta. Eſt autem hoc ecſtaſeos genus aliud longe ab eo, quod Alexandrini, eorumque ſequaces, miris laudibus celebrant. Cuius enim animus ob profundam rei obſcurae aut difficilis meditationem extra ſe rapitur, vel potius totum ſeſe intra ſe contrahit ac colligit, is abſtractas rerum notiones comtemplatur; quibus occupatus, a phantaſiae figmentis non deluditur, ſed placida altiſſimaque fruitur quiete. Qui contra eum in finem animum a ſenſibus & rebus externis abducit, aut vi abripit, ut naturam aliquam contempletur, quam, qualis ſit, ignorat, ſummam eſſe modo, ac luci ſimilem, exiſtimat; is ordine ac ratione nihil quaerens, ab imaginationis phantaſmatibus miſere decipitur, ut quae, miras & inſolitas ſequens imagines, ſummoque conatu effingens, pro veris notionibus eas obtrudit, perſuadens homini, ſuis viribus eas non eſſe formatas. Has tamen imagines ſi curioſius inſpicimus, ſemper e rebus ante lectis, auditis, & antea comprobatis, eſſe ductas facile perſpicimus: ſic quae Ioh. Pordagius vidit per ecſtaſin, ſunt e Cabbaliſtarum Sephiroth, ſeu circulis aut ſphaeris ducta; Iacobi Boehmii viſa e rebus chymicis; Swedenborgii autem reſpublica ſpirituum, e Cabbaliſtarum Adam Kadmon, id eſt, homine primigenio, mundos omnes includente, ſunt hauſta. Quae qui animadverterit, nae is perſuaderi ſibi nunquam patietur, ineſſe his ecſtaſibus divini aliquid, mentemque a ſenſibus abductam, Deum ipſum naturaſque ſpirituales poſſe contemplari.

PHAEDRUS.

ORIGINEM amoris ſuperiori dialogo per imagines Plato expoſuerat, a Poro & Penia procreatum dicens: eam-

dem nunc perſequens a primis repetit initiis, diſputatione magis philoſophica, cui anſam praebet Phaedrus, lecto Lyſiae libello, in quo amaſium debere non amanti potius, quam amanti gratificari, demonſtrabatur. Refutato eo, Socrates indolem amoris ex animorum natura, Deorumque in gubernando mundo legibus, indagat. Utitur Lyſias his praecipue argumentis: amatores, cupiditate deſinente, beneficiorum in amaſium collatorum ſaepe poenitet; qui non amant, cum omnia ante perpenderint, nec occaecati ſint cupiditate, eos poenitere nunquam poteſt eorum, quibus bene aliis fecerunt: accedit, quod amatores, quam male res ſuas adminiſtrarint, ſecum reputantes, gratiam amaſiis ſe iam retuliſſe ſibi perſuadent; quod cum non cadat in eos, qui amore non ſunt capti, cumque hi nihil habeant, quod ex amore in ſe redundaſſe incommodi dicant, promti ſemper ſunt ad facienda, quaecunque rogantur. Ex amantibus, qui pauci ſunt, eligere optimum tibique acceptiſſimum difficile; in non amantibus, quorum magnus eſt numerus, quem amicitia exiſtimes dignum, reperire facilius. Amantibus ſeſe tradere dedecori eſt, non amantium familiaritas a nemine reprehenditur; amantes ab aliorum arcent familiaritate, non amantes aliorum minime invident amicitiae; amantes omnia probant & laudant, non amantes monendo meliorem reddere amicum ſtudent. Socrates, multa ſeſe a ſapientibus antiquioribus his meliora dicta ſcriptaque dicens audiſſe, a Phaedro, ut ea recitet, tandem expugnatur.

Erat adoleſcens formoſus, inquit, cui multi cum eſſent amatores, ex eorum numero unus, callidior ceteris, nec minus tamen eum amans, non amare ſeſe ſimulans, non amanti potius, quam amanti eſſe gratificandum, his verbis ei ſtuduit perſuadere: ut in omni, de qua conſulitur, re, quid ea ſibi velit, ante definiendum; ita nunc in amoris naturam & vim, antequam in hanc vel illam partem conſilium tibi ſuppeditem, inquirendum. Amor omnis eſt cupiditas quaedam; ſunt autem duo ſumma cupidita-

tum genera: alterum voluptatum, natura nobis insitum; alterum eius, quod est optimum, studio ac mentis exercitio partum. Haec pugnant inter se nonnunquam, consentiunt interdum: quoties cupiditas optimi vincit, temperantia exsurgit; ubi contra cupiditas rationis expers ad voluptates nos rapit, libido vocatur, cuius multa sunt genera, interque ea etiam, de quo quaerimus, amor; superante namque cupiditate rationis experte, & ad voluptates e corporum formis percipiendas nos abripiente, dicimur amare. Quae cum ita sint; amasium amator sese esse inferiorem ac deteriorem cupiet, & ab omni re, unde melior reddatur, summo studio eum arcebit: aequalis enim si fuerit sibi amasius, aut se praestantior; minus erit iucundus, minusque per omnia obsequens. Cum autem voluptatem solam respiciat amans; corpus etiam amati, ut sit molliſſimum, ac ab omni labore & exercitio vehementiori aversum, curabit. Quin, quo magis sibi sit deditus amasius, quaecunque ei cum aliis intercedunt affinitatis cognationisque vincula, rumpet, a parentibus cognatisque eum abstrahendo; & quo facilius donis eum ac beneficiis detineat, rebus eius adversis laetabitur, secundis tristitia afficietur. Amantem, ob aetatis disparitatem, consuetudinis assiduitatem, multaque alia, esse amasio molestum necesse est: quibus omnibus accedit denique, quod amor definens, in odium solet acerbissimum verti. Quare ab amore abstinendum plane: quotque huic insunt mala, tot contra insunt bona amicitiae ac familiaritati, citra amorem initis.

His dictis, Socrates, de Amore, utpote Daemone aut Deo, mala omnia se locutum, eoque ipso peccasse in religionem, secum reputans; ad placandum numen palinodiam canit, quo amorem, sed castum, commendat. Vertitur autem totus rei cardo in ambiguitate verborum: eundem namque amorem, quem modo culpaverat, in palinodia etiam vituperat; substituto in eius locum alio sanctiori, quem nos amicitiae vehementioris nomine insigniremus.

Eſt autem recantatio talis: amorem ob id maxime vituperavimus, quod inſaniae nobis genus, omniſque inſania malum videbatur: at quaedam furoris genera divina prorſus & optima ſunt; Pythiae enim, Sibyllae, aliorumque ſacerdotum fatidicus furor, poëtarum a Muſis correptorum inſania, divinae ſunt res, maximo ſemper in pretio habendae. Furorem autem a Diis ſaepiſſime hominibus ad ſalutem immitti, ut demonſtremus; de animae natura quaedam ſunt praemittenda. Omnis anima eſt immortalis: quod enim ſemper movetur, & a ſe ipſo movetur, mortalitatis eſt expers; quod contra movetur ab alio, cum finem motus habeat, vivere etiam deſinit: movens porro ſe ipſum, cum motus omnis ſit fons & principium, & cauſam movendi natura complectatur, interitus pariter ac ortus non eſt capax. Qualis autem ſit animae natura, res eſt indaginis altioris, quaeque ſermonem prolixum poſtulat: ſimilitudine aliqua explicari in praeſentia ſatis commode videtur poſſe. Fingamus currum alatum, cum auriga, ut ex horum ſimul ſumtorum indole, qualis ſit anima, intelligamus. Deorum equi & aurigae omnes, e bonis oriundi, boni ſunt omnes; reliqua vero omnia, utpote mixta, a mali contagione non ſunt immunia. Auriga igitur, & equorum alter boni ſunt; alter contra equus deterior: quo fit, ut recte currum hunc regere ſit difficile. Unde autem hanc mali labem contraxerit anima, hinc perſpicietur: anima omnis curam gerit omnium inanimatorum, totumque mundum, modo hac, modo illa induta forma, pervagatur: quamdiu perfecta eſt & alata, totum gubernat mundum, ſublimia curans; alis vero amiſſis, fertur, donec ſolidum corpus apprehenderit, in quo ſedem figens, & vitam efficiens, novum animalis genus procreat. Quem haec habeant ſenſum, ex ſuperioribus facile eſt intellectu: auriga eſt divina ac pura rationis pars, quam Daemonem nonnunquam vocat; equorum alter bonus, partem animae irascibilem, malus cupiditatem denotat; quam ineſſe arbo-

ribus etiam ac ſtirpibus, utpote materiae inhaerentem ac propriam, ſupra docuit. Quamdiu a materiae contagione libera manet anima, ſublimibus dedita meditationibus, ac mortalia cuncta ſpernens, inter Deos natura ſibi cognatos verſatur, ac Diis coniuncta in gubernando mundo occupatur.

Simul autem amiſerit alas, e Deorum conſortio eiecta, ad craſſam materiae terreſtris faecem detruditur; eſt enim alarum ea vis, ut in ſublime, ubi Deorum habitat genus, animam tollat. Divinum omne ſapiens eſt, bonum, pulchrum, ac eiuſmodi rebus alitur & augetur alarum natura ac vis; turpibus contra ac malis perditur. Alae itaque ſunt rerum divinarum, id eſt, idearum, contemplatio ac meditatio: a quibus ſimul deflectit anima, ad materiam fertur. Magnus ille in coelo dux Iuppiter curru alato primus incedit, gubernans omnia ac diſponens, quem Deorum Daemonumque exercitus in undecim diſtributus partes ſequitur, Veſta in Deorum domo manente ſola; ubi autem ad epula & convivium vadunt, ſummum coeli verticem petunt. Ac Deorum quidem equi maxima facilitate eo contendunt; reliqui non ſine moleſtia, gravante eos & ad terram deprimente equo malo, progrediuntur: unde quaecunque vocantur animae immortales, poſtquam verticem attigerunt, extra coelum conſiſtunt, & coeli motu circumactae, quaecunque fiunt in mundo, contemplantur. Locus hic coelo ſuperior a nemine poëtarum pro meritis eſt celebratus, nec celebrabitur; qualis autem ſit, intelligitur hinc: natura coloris ac figurae expers, quae tangi non poteſt, vere exiſtit, & ab animae auriga, id eſt, mente ſola conſpicitur, praeterea quae circa eam verſatur ſcientia vera, hunc tenet locum. Hanc ſimul aſpexerit anima, amplectitur, eiuſque contemplatione alitur & delectatur, donec motus in orbem ad idem fuerit reverſus; per quod tempus totum iuſtitiam ipſam, temperantiam, ſcientiam, puras ſinceraſque, aliaque ſimiliter ab omni mutationis labe remota, conſpicit. His nutrita in mundum

regreditur, domumque revertitur; ubi ab auriga ambrosia ac nectare pascitur. Haec Deorum est vita. Aliarum vero animarum nonnullae optime Deos secutae, auriga caput in superiorem attollente locum, ab equis tamen turbatae, verum vix aspiciunt; nonnullae autem caput efferunt, depressae tamen statim ab equis, verum partim vident, partim non conspiciunt; nonnullae tandem, quod arrigere caput nequeunt, submersae circumferuntur, multoque tumultu inter se, utra praeeat, certant. Ibi aurigarum vitio crura aliae frangunt, aliae alas amittunt, omnes, non conspecto vero, discedunt. Est autem lex fatorum haec: quaecunque anima veri aliquid conspexerit, ad alteram usque periodum est mali omnis expers: quae si semper aliquam attigerit veri partem, semper a poena omni manebit immunis; quaecunque contra anima nihil conspexerit veri, & oblivione aut pravitate depressa, & ad terram delata, alas amiserit, in generatione prima bestiae formam non subit, sed in philosophum, musices, honesti, pulchrique amantem transit virum, si maximam veri partem; in regem iustum, belli ducem, quae minorem veri partem fuerit intuita, & sic porro, transit. In his formis, quae iuste tempus exegerit, melioris; quae iniuste, deterioris deinde fit conditionis: unde enim venit, non nisi annis praeterlapsis decem millibus, anima revertitur, praeterquam quae sincere incubuerit philosophiae, aut pueros philosophice amaverit; hae enim omnes tertia mille annorum periodo, ter in eodem vitae tenore perseverantes, ad Deos redeunt. Reliquae, exacta vita prima, in iudicium adducuntur: quarum aliae sub terra poenas dant, aliae in coelum sublatae, quae meruerunt, ibi praemia accipiunt; millesimoque omnes anno vitam novam sortiuntur, ubi hominum animae in bestias, bestiarum in homines, pro suo cuiusque merito transeunt. Insunt his nonnulla obscura, quae tamen, quo minus totius pateat sensus, non obstant. Iovem octavam fixarum stellarum sphaeram videtur in-

telligere, ut quae motum reliquis impertit, adeoque omnium dux est. Dii per ordines distributi, Iovem sequentes, astra sunt, a sphaera octava mota; duodecim autem quare Deorum constituat ordines, cum septem sint tantum planetarum sphaerae, in praesentia equidem non perspicio. Millesimo quovis anno nova rerum incipit conversio, animarumque in nova corpora distributio, prout veri plus minusve singulae perspexerint. Locus supercoelestis, ubi verum omne ac divinum habitat, est locus supra octavam sphaeram, extra mundi ambitum situs, ubi, condito mundo, Dei esse conditoris domicilium, supra aliquoties est notatum, id quod disertis hic verbis confirmatur. Quae autem causa deprimat animas, & a veri divinique contemplatione arceat, haud satis est a Platone declaratum; pravitatem enim equi alterius qualem intelligat, aut unde manantem, haud proclive est ad explicandum: animae enim priusquam corpori immerguntur, pravae illius cupiditatis vix videntur esse participes; nisi forte hanc partem addi ei a creatore statim dicas, quod in Timaeo haud accurate est a Platone definitum; ut nec id, ubinam, & quo tempore animae, antequam corpus subeant, verum contemplentur? & quisnam sit coeli ille circuitus, quo animae a corpore adhuc secretae Deum aspiciunt? Obscuritatis autem causa est, aut quod in ordinem accuratamque disciplinae formam Plato haec non redegit, aut scripta non reliquit: Platonici namque genuini perplexe & ipsi hac de re loquuntur; certe Timaeum sequentibus nulla haec expediendi iniri ratio commode potest; ibi enim, creatis a Deo animis, corpora a Diis minoribus, id est, astrorum mentibus, quibus statim induntur animae, fabricantur.

Hinc porro, quales Plato ideas intelligat innatas, perspicue cernitur: in periodo illa prima, antequam corpora sortirentur animae, e Dei, eiusque quod vere est, contemplatione ideas hauserunt, id quod disertis quoque verbis ita subiungit: recordatio itaque eorum, quae tunc vidimus,

ad naturas veras capita attollentes, noſtra eſt intellectio & ratiocinatio; quare philoſophiae ope alas anima recuperat. Eadem amoris etiam eſt cauſa: conſpecto enim hic pulchro, veri illius illic conſpecti recordamur pulchri, eoque alis acceptis avolare iterum cupimus, quo furore correpti amatores vocantur. Cum autem paucae, quae ibi viderunt, memoria teneant; pauci quoque eius ſunt indolis, ut pulchra, honeſta, aliaque praeclara conſpicientes, extra ſe quaſi abripiantur, amatorumque nomine ſint digni. Quod vero pulchritudo maxime nos movet, inde eſt, quod huius formam clariſſime tunc ſumus contemplati, quodque iuſtitiae, temperantiae, aliarumque animi virtutum exigua tantum & obſcura apud nos veſtigia cernuntur, pulchritudine in ipſos etiam ſenſus incurrente. Propter quod ipſum, qui veri illius pulchri non recordantur, ad pulchrum conſpectum omni impetu feruntur, & pecudum inſtar, nulla eius veneratione tacti, corporis modo voluptatem inde quaerunt. Qui contra vero contemplando iam eſt aſſuetus, conſpecta pulchriori forma, divinam illam veneratur pulchritudinem, & Dei inſtar pulchros colit, procul habita libidine omni. Amantes tamen non omnes eodem ſeſe modo gerunt: Iovis ſectatores, utpote alis robuſtioribus praediti, facilius amorem ferunt; Martis autem cultores, iniuriam ſibi ab amato illatam non tolerantes, ad arma & caedem ſtatim provolant. In explicanda amoris cauſa, hic etiam, ut ſupra, corporis fere obliviſcitur, omniaque a formis quibuſdam ſola mente cernendis derivare commode ſeſe poſſe putat, non attendens, amorem omnem ſenſu proprio acceptum, corporis unice niti neceſſitatibus, & a corporis unice pendere habitu. Quod enim, ſemotis his, pulchritudini ineſt ad movendum animum efficaciae, id exiguum eſt, nec ad amoris accedit aut vehementiam, aut inſaniam. Hoc autem ipſum e divinarum formarum aut idearum contemplatione perperam repetitur, cum inſint animis noſtris vires, quibus abſtrahere hanc notionem

rebus sensu & mente perceptis queamus. Platonicus ergo amor haud optimo nititur fundamento: unde simul, quam parum sibi constent, intelligitur, qui rem e corpore ortam fere totam, corporisque viribus superstratam, abstrahere a corpore, animorum quendam comminiscendo amorem, conantur. Quod autem de animabus cum Iove & Marte circumactis dicitur, aliquam e Timaeo accipit lucem, ubi animas per planetas creatorem distribuisse narrat, non adiecto tamen, eas pro planetarum natura diversos induere mores, aut e planetis ad terram descendere; quorum alterum disertis verbis hic affirmatur, alterum innui haud obscure videtur, ut adeo ab Alexandrinorum de descensu animarum opinione non omnino sit aversus Plato, an autem ex astris subtile quoddam corpus seu vehiculum secum afferant animae, in incerto relinquatur.

Cum itaque ad similitudinem eius, quem comitatae sunt ante hanc vitam, Dei, mores fingant: hinc etiam, qui fiat, ut alius alium amet, nec iidem omnibus placeant mores, intelligitur. In Iovis qui fuerunt sectatoribus, animam quaerunt Iovialem, id est, philosophicam, & ad imperandum factam; quam inventam omni amore amplectentes, sibi reddere simillimam student, Deum semper respicientes, & memoria, qualis ille sit, tenentes. Qui Iunonem sunt secuti, regium quaerunt animum; qui Apollinem, animum Apollini similem, & sic porro. Intelligitur hinc, Deos duodecim esse eosdem, quos summos religio Graecorum existimabat: an autem ad astra hi sint referendi, haud satis apparet; quod ipsum in Platone interpretando plurimum exhibet negotii. Eandem namque non ubique Plato sequitur de Diis opinionem, modo astronomice de iis differendo, modo ad vulgarem de iis sententiam omnia accommodando, nuspiam, qui concilianda sint haec, docendo; unde utrum inconstantiae id, an studio veram de Diis sententiam occultandi, sit tribuendum, definiri liquido nequit. Equidem, cum in aliis etiam

in eadem semper sententia non perstet Plato, inconstantiae id malim tribuere. Similitudinem animas inter & Deum, quem sunt secutae, ab imitatione hoc loco repetit: quo ipso Eclecticorum, particulas aliquas animam in astris sibi ascisscere autumantium, sententia videtur sperni.

Reperto adolescente pulchro moribusque amatori simili, pravus ille cupiditatis equus ad voluptatem totis viribus tendit; superatus multo labore ab altero probo, & auriga, modestiam induit: quo fit, ut victis cupiditatibus turpibus, amator & amasius honestam deinde ac concordem agant vitam, alterque alteri vehementer ad omne virtutis exercitium prosit. Haec sunt bona ex amore vero ac honesto manantia, ob quae laudare amorem par est: quae contra absque amore contrahitur familiaritas, cum divini nihil habeat, humanasque modo exerceat virtutes; animorum hanc similitudinem non efficit, nec proinde ad virtutem tantum prodest, quantum amor genuinus, unde nec eadem post mortem a Diis praemia fert. Verissime haec a Platone dicuntur: vera namque & vehemens amicitia magis prodest hominibus, quam vulgare illud vitae commercium ac consuetudo, amicitiae nomen sibi vindicans; hanc autem amoris nomine praecipue Plato intelligit. Quod pulchritudinem autem & adolescentiae florem adiicit, quibus hoc amicitiae genus concilietur, quamquam haud optime fiat, cum ab amicitia ad amorem turpem, sub illo praesertim coelo, iisque civium moribus, facillime transeatur; excusationem tamen aliquam fert: nihil enim hoc amicitiae genere efficacius ad conciliandos sibi discipulos, philosophiamque propagandam, quo nihil philosopho ea quidem aetate, qua libris nondum solebat philosophia posteris commendari, cordi esse magis debebat.

His dictis, ad ferendum de Lysiae libello iudicium Socrates convertitur, in quo praeter alia id maxime reprehendit, quod veri quandam secutus speciem, ipso vero, & accurate dicendi arte neglectis, decipere lectores stu-

duerit: esse enim dicendi artem, non quam vulgo existimant, facultatem probabilia quaedam afferendo, natura rei, de qua dicitur, ignorata, assensum audientibus extorquendi; sed qui recte sit de quacunque re dicturus, eum debere rem ipsam plane habere perspectam, & definire ante, de quonam sit dicturus, utpote quibus demtis, dici de nulla re commode possit; cum, ignorata re ipsa, ne probabiles quidem & sophisticae possint rationes afferri. Qui fallere oratione cupit, eum proxime ad verum accedentia oportet differere: haec autem ipsa, nisi quid verum sit in re, de qua quaeritur, cognitum habeamus, seligere & invenire nullo modo possumus. Nec obstat, quod Sophistas scimus de omni re in utramque disputare partem, quodque Eleaticum Palamedem novimus arte sua effeciisse, ut eadem similia & dissimilia, unum & multa, mota & quiescentia viderentur; cum arte hoc fieri concedamus, & quodcunque arte fit & ratione, sine omni veri cognitione nequeat effici; de industria namque alium in errorem inducturus, quidnam maxime vero sit simile, adeoque ipsum verum quale sit, debet perspicere. Haec quamquam probabiliter differantur, sintque utplurimum vera; non necesse tamen est semper ita sese habere, potestque omnino fieri, & fit saepissime, ut, qui verum ipsum ignorat, maxime tamen verisimilia dicat, & rationum subtilissimarum laqueis ipse irretiatur: cui documento sunt Sceptici, verum sese fatentes ignorare, de rebus tamen plurimis subtiliter admodum & probabiliter disputantes. Palamedem autem Eleaticum vix alium intelligit, quam Parmenidem, quem ipse ita inducit disputantem, ut in Parmenide vidimus. Quod cum de Parmenide praeter Platonem scribat nemo, cum potius Parmenidem uno ore, esse unum, multo argumentorum apparatu docuisse, quicunque eius legerunt libros, laudatis ipsiusmet verbis, affirment, ipso etiam Aristotele, diligentissimo veterum lectore, id penitus ignorante: mirum sane est, ab his omnibus dissidere Platonem, nec facile expeditu; nisi suppositium quendam librum, a Sophistarum

aliquo exaratum, oblivioni deinde traditum, pro genuino Parmenidis foetu Platonem habuisse, indeque falsa assinxisse Parmenidi, dicamus.

HIPPIAS MAIOR.

Cum Hippia Sophista, quem dialogo, eius nomine inscripto, supra iam est aggressus Plato, iterum Socrates de natura & notione pulchri disputat, ita, ut nihil affirmet ipse, Sophistam per omnia refellat, ignorantiamque simul cum arrogantia, qua omnia sese scire, & respondere ad interrogata quaevis sese paratum ostendit, ei exprobret. Solet autem Socrates definitionibus libenter ad disputandum cum Sophistis uti: nihil enim in omni philosophia difficilius est, quam accurate, ita ut nihil contra queat dici, definire; unde hodie etiam rarissime philosophi in rerum definitionibus consentiunt. Neque id mirum, cum vocabula ipsa per se sint admodum ambigua, pluraque similia, re diversa, simul significent; cumque, sublata etiam ambiguitate, difficillimum sit adeo accurate simul & perspicue notionum abstractarum partes discernere, & discretas enumerare, ut totam vocabuli vim, notionisque naturam exhauriant, nihilque obscuri aut ambigui relinquant. Quod si reputarent secum, qui in philosophiam hodie insurgunt, eamque ut incertam ac lubricam spernunt; reprehendendi impetu cohibito, omnique in iudicando temeritate ac praecipitantia vitata, ad inquirendum philosophos essent hortaturi, & quaecunque inde emergit, etiam minutissima veritatis scintilla, eam lubentes accepturi, reliqua a temporis progressu quieti exspectaturi.

Postquam Socrates Hippiam, rerum utilissimarum peritia mire se iactantem, iuvenesque sese meliores reddere

gloriantem, nunquam tamen Lacedaemonem aut profectum, aut accitum, falſe riſit, Lacedaemonios optimarum rerum ſtudioſos nihil parvi facere commemorans eorum, quae ad emendandos iuventutis mores ſpectant; Hippiam, pulcherrimum a ſe ſcriptum de iuvenum educatione librum narrantem, ut, quidnam ſit pulchrum ipſum, cuius participatione, quaecunque ſunt pulchra, fiunt pulchra, ſibi explicet, definiatque pulchritudinis in univerſum naturam, rogat: ſeſe enim nuper nonnulla ut pulchra laudantem a diſputatore quodam arreptum obmutuiſſe; quae itaque ex eo audierit recitaturum, ut hanc ignorantiae maculam Hippias ex animo ſibi eluat. Reſpondet primo loco Hippias, pulchram virginem eſſe ipſum pulchrum: Socrateque, multa eſſe praeter virginem pulchra, equum, lyram, ollam, alia, obiiciente; Hippias, haec omnia cum virgine collata pulchri nomine nullo, inquit, ſunt modo digna: id quod Socrates redarguit, virginem pulchram, ſi cum Diis comparetur, pulchram haud amplius eſſe, unde aliter huic quaeſtioni eſſe ſatisfaciendum. Nihilo deinde melius pulchrum Hippias definit, quo reliqua ornantur, quoque praeſente res videntur pulchrae: quo facile a Socrate refutato, quaſi nunc demum, quid ſibi velit quaeſtio, intelligat, divitiis abundare, proſpera frui valetudine, honore affici, pulchrum eſſe aſſerit; eoque etiam refutato, propius tandem, praeeunte Socrate, ipſamque ei hanc definitionem ſubminiſtrante, ad verum accedit, pulchrum eſſe, quod eſt utile, affirmando; pulchros namque eſſe oculos, non qui ſint inepti, ſed maxime ad cernendum apti, eademque ratione pulchra dici alia cuncta, quod ſunt ad uſus, quibus deſtinantur, apta; potentia ergo per ſe ipſa pulchra, impotentia turpis eſt. Hoc Socrates eo ſtatim refutat, quod potentia ad malas etiam res ſaepe adhibetur, adeoque ipſa per ſe eſſe pulchra nequit. Quod ſi pulchrum eſſe ipſum utile dicamus, utile autem quod bonum efficit; ſtatim occurretur nobis, pulchrum ex noſtra ſententia boni eſſe cauſam, adeoque, cum cauſa neceſſario differat ab effe-

ctu, pulchrum esse bonum, bonumque viciſſim pulchrum, nullo modo posse. Quamquam subtiliſſima sit haec conclusio; eorum tamen, qui ab utilitate repetunt pulchritudinem, non evertit sententiam: hi enim pulchrum & utile re esse idem, unde recte omne honestum dicatur bonum, & bonum viciſſim omne honestum; ratione autem differre, eo quod ad delectationem modo praesentem pulchritudo, ad futuram autem, & deinde efficiendam referatur utilitas, affirmabunt.

Hanc ipsam opinionem examinandam statim proponit Socrates Hippiae haesitanti, nec quid afferat ampiius habenti: pulchrum, inquit, recte videtur definiri, quod auribus & oculis volupe est; in hominum enim aliarumque rerum formis & figuris, in picturis, & statuis, in musica denique, & sermonibus pulchrum praecipue habitat. Sed obstat huic, quod in legibus, hominumque studiis & vitis inesse pulchrum etiam dicitur; quod in rebus gustu, tactu, odoratuque perceptis pulchritudo etiam deprehenditur; quod cum iucunditate pulchrum definiatur, nulla plane, ob quam sensuum quorundam voluptates reliquis anteponantur, causa est, ut his solis tribuatur pulchritudo; quod denique cum differat ab auditu visus, & quod auditur simul non cernatur, commune aliquid oportet esse, ob quod rebus auditu & visu perceptis tribuitur pulchritudo, aliud ab ipsa delectatione. Intelligitur hinc, Platonis iam aetate viguisse recentiorum quorundam opinionem, pulchrum sensibus exquisitioribus & accuratius res distinguentibus, visu & auditu, percipi docentium, eamque eius esse naturam existimantium; contra quam gravissime Plato, & ita simul disputat, ut, qui sese extricent, vix putem eos reperturos.

826047

EPISTOLAE.

In Platonis Epiſtolis narrantur, quae Dionyſium inter & Platonem ſunt geſta, aliaque praeterea occurrunt explicatione nulla egentia: de philoſophia raro diſſeritur, & ſi quid argumenti philoſophici a Platone affertur, id de induſtria tanta verborum obſcuritate eſt involutum, ut ne Oedipus quidem verum inde ſcriptoris ſenſum poſſit elicere. Habebat namque, ut alii fere philoſophi omnes, & Plato ſua ſecreta, quae revelare profanis, id eſt, ſcholae placitis non plane initiatis, nefas putabat: quo de genere erant ἄγραφα illa ab Ariſtotele etiam commemorata δόγματα.

Vol XII # 4855

Plato - Opera Omnia.

(Ed. Tiedmann)

V. 12

LIBRARY
Pontifical Institute of Mediaeval Studies
113 ST. JOSEPH STREET
TORONTO, ONT., CANADA M5S 1J4

4855 .